DANIELIS WILHELMI TRILLERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS CONSILIARII AVLICI ELECTORIS SAXONIAE MEDICINAE PROFESSORIS PRIMARII IN ACADEMIA WITTEBERGENSI ET ILLVSTRIS ACADEMIAE SCIENTIARVM BONONIENSIS SODALIS

OPVSCVLA MEDICA AC MEDICO PHILOLOGICA,

ANTEA SPARSIM EDITA

NVNC AVTEM IN VNVM COLLECTA ATQVE DIGESTA

AB

AVCTORE IPSO PRIVS RECOGNITA

AVCTA CASTIGATA ET EMENDATA

CVRAVIT ET PRAEFATVS EST

CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR IN ACADEMIA LIPSIENSI ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSOR PVBLICVS EXTRAORDINARIVS FACVLTATIS MEDICAE ASSESSOR MINORIS PRINCIPVM COLLEGII COLLEGA HOC TEMPORE PRAEPOSITVS.

VOLVMEN I.

FRANCOFVRTI ET *LIPSIAE*

SVMPTIBVS IOANNIS GEORGII FLEISCHERI

cIↃ IↃCCLXVI.

AD

VIRVM ILLVSTREM ET EXPERIENTISSIMVM

GEORGIVM GOTTLOBIVM RICHTERVM

REGIVM CONSILIARIVM AVLICVM ARCHIATRVM
ET PROFESSOREM MEDICINAE PRIMARIVM
IN ACADEMIA GOETTINGENSI

THEOLOGVM PHILOSOPHVM
ORATOREM POETAM

ET

QVOD HIS LAVDIBVS OMNIBVS LONGE PRAESTANTIVS
VIRVM PIVM PROBVM AC HONESTVM
AMICVM SVVM VETEREM VERVM FIDVM ET CONSTANTEM
SENEM SEPTVAGENARIVM VENERANDVM
SENIS PARITER SEPTVAGENARII
ET
AMICI INTEGERRIMI DEDITISSIMIQVE

DANIELIS WILHELMI TRILLERI
DISSERTATIO EPISTOLARIS.



Iam dudum quidem animum noſtrum honeſta inceſſit cupido, monumentum quoddam publicum ſtatuendi priuatae noſtrae amicitiae, olim ante hos quinquaginta annos, Lipſiae, in iuuentute, candide inchoatae; deinde in virili aetate, diſiunctiſſimis licet per iniqua fata, et ſpatioſa locorum interualla, corporibus, coniunctiſſimis tamen ſemper animis, diligentiſſime cultae, atque nunc demum in vltimam vſque ſenectutem, ſine vlla querela et offenſa, ſeruatae atque continuatae. Haud enim mihi ſufficiebat, nobiſmet ipſis eam ſolum cognitam eſſe, aut nonnullis aliis nobis amicis perſpectam; ſed cupiebam potius vel maxime, ingenuae laudis cupidine incenſus, ipſam, ſi fieri vnquam poſſet, ſerae quoque poſteritati, imo ipſi orbi, vbique innoteſcere: ne ſcilicet priſcum aeuum ſolos ſuos iactaret Oreſtes, ac Pylades, Damones, et Pythias paucaque id genus alia rariſſima verae ſanctaeque amicitiae exempla, adeo, vt ex omnibus ſaeculis vix tria, aut quatuor, nominentur paria amicorum; quin potius, ex ipſius noſtrae recentiore documento liquidiſſime conſtaret, nec noſtra, licet forte vitioſiore alias aetate, defeciſſe prorſus eiusmodi memorandae amicitiae plus quam Pyladeae, exempla. Sed excuſſa mea paupercula ſupellectile litteraria, nihil equidem dolens eheu! inueniebam, quod mihi vel placeret, vel TVIS praeſertim meritis ac virtutibus dignum eſſet. Leuem enim, aut ſubitam TIBI dedicare diſſertatiunculam, aut iſta adhuc leuius quoddam ac frigidius carmen licet iam alibi a me tentatum, nec mihi ſatis conuenire videbatur, nec TE inprimis decere:

 prae-

praecipue, quum eruditis tantum non omnibus notum ſit, *quantus ſis in poëtica*, vti de Veſpaſiano quondam dicebat PLINIVS, vt adeo merito cum PAPINIO STATIO Hexametros meos timerem. Ille enim in vaſti ingenii ingentisque ſpiritus poëtam, LVCANVM, Panegyricum Scripturus, ita ſe modeſte non minus, quam acute et ingenioſe, excuſabat: *Ego non potui maiorem tanti Auctoris habere reuerentiam, quam, quod laudes eius dicturus, Hexametros meos timui*, in quibus tamen pangendis alias, ceu notum, haud infimus eſſet aut infeliciſſimus. Omni igitur ſplendido ſatis atque idoneo apparatu, ad TE digne laudandum, noſtramque rariſſimi exempli amicitiam annis, animisque inprimis contractam ac firmatam, decenter extollendam, ſic deſtitutus, generoſum animi impetum moeſtus interea repreſſi, atque commodiorem feliciöremque occaſionem opperiendam cenſui, quae et paullo poſt, praeter omnem ſpem et opinionem, mihi oblata fuit. Elapſo enim proxime anno, forte fortuna accidit, vt Clariſſ. et Experient. D. KRAVSE Profeſſ. Lipſ. celeb. atque FLEISCHERVS, dilectiſſimus meus gener, gratiſſimi certe hoſpites, me inuiſerent atque nonnullas mearum diſſertationum, inter alias doctas, aut indoctas chartas, in menſa obiter poſitas, forſan conſpicientes, me iteratis precibus enixe rogarent, vt omnia mea ſcripta iuuenilia et academica olim ſparſim edita, vno quidem corpore comprehenſa, ipſis publicanda permitterem; Ceterum ſeſe interea omnes curas ſumtusque edendi illius operis lubentiſſime in ſe eſſe ſuſcepturos atque erogaturos. Ego vero parcus meorum ſcriptorum amator, ac durus rigidusque forſan nimis, foetuum meorum

rum

rum pater, plane negaui, digna quidem vſquequaque eſſe illa opuſcula, partim olim iuuenili calore immature et rudi adhuc facie ac imperfecta, producta, partim poſtea inter alios labores academicos, ſubito impetu effuſa potius, quam cum cura ac lima elaborata; quae Vno volumine collecta, publico offerrentur aut rectius obtruderentur; vt enim ingenue fatear, mea ſcripta ſemper mihi ieiunitatis et ſiccitatis eorum ſatis conſcio, diſplicuerunt, etiamſi aliis interdum placerent: ideo ſimul ac chartis perituris a me illita ſunt, mox etiam oblita et obtrita iacent; vt mei familiares norunt; praeſertim, quum mihi moleſtisſimum, taediique plenisſimum onus eo ipſo ſimul imponeretur, in hac ſenili mea aetate, omnia illa ſcripta denuo recognoſcendi, emendandi, augendi, minuendi atque caſtigandi, cui ferendo vix me parem ſentirem. Illi vero ad haec tanto inſtantius me compellare, imo tanto acrius compellere et flagitare, donec me ſic diutius, ſed fruſtra, renitentem ac repugnantem tandem expugnarent ac peruincerent. Omnia igitur mea ſcripta tam iuuenilia, quam ſenilia et academica, quotquot nempe ad manum erant, multa enim, dudum perdita, comparari non poterant, tanta fuit mea negligentia, quaedam etiam aliunde petenda erant, diligenter recenſui, ſubinde multis accesſionibus auxi, amplificaui, pasſim correxi, emolliui, immutaui, idque omne non ſine moleſto ingentique labore, tandem cum Deo, perfeci. Si quid igitur forſan vtilitatis, aut certe voluptatis, ex hac noua veterum opuſculorum meorum ſylloge, percepturi ſint lectores, id profecto omne ſolum binis iſtis honeſtisſimis Viris ſupra laudatis KRAVSIO nempe atque genero

meo

meo FLEISCHERO imputandum vnice erit, quorum quippe imperiosis veluti precibus, eo tandem adactus fui, vt arduum illum ac molestum laborem in me inuitus fere susciperem, de quo alias ne per somnium quidem, vnquam cogitaueram: licet mihi non deessent praeuia eiusmodi collectionum exempla, vt ROLFINCII, HOFFMANNI, STAHLII, SCHVLZII, SEBIZII, BOHNII, RIVINI, ADOLPHI, PLATNERI, et aliorum, vt illas multas magnasque *Collectiones Hallerianas* iam taceam, quod quidem institutum nec laude caret, nec vtilitate, modo delectus rerum accuratius teneatur, nec vilioris sortis, ac peioris monetae scripta, et dignis indigna, velut infelix lolium laetis satis, temere intermisceantur. Volebam quoque simul TIBI met ipsi, charissime RICHTERE, hac mea opera, exemplo et incitamento quasi esse, vt TVAS nitidissimas et stilo et argumentis dissertationes et programmata doctissima, praesertim vero suauissima TVA poëmata et elegantissimos Elegos plusquam Lotichianos, aut Heinsianos, meo quoque perituro nomini a TE nimis benigne, ex parte, inscriptos, vno quoque Volumine comprehensos in publica commoda et oblectamenta, quam primum euulgares. Quod si precibus meis his publicis a TE impetrauero, vt certe spero, imo confido; tum certe plurimum mihi debebit vniuersus orbis litteratus et eleganter solideque doctus. Data igitur semel fide, vt dixi, de hac quidem opusculorum meorum collectione adornanda, TV statim mihi rursus occurrebas, cumprimis post ipsas postremas TVAS litteras, mirum amorem ac candorem erga me spirantes, et blando humanitatis sale abunde sparsas, cuius nomini clarissimo, mihique

hique praesertim carissimo, eundem ante omnes alios, inscribendam et dedicandam merito censebam: vt sic nempe monumentum aliquod perenne, si non propter praestantiam, tamen propter molem, aliquamdiu forte duraturum, statuerem nostrae integerrimae et rarissimi exempli amicitiae et religiosi animi cultus, quo TE iam per integros quinquaginta annos, propter eximias ingenii dotes, atque animi virtutes, digne prosequutus sum. Perenne igitur mihi monumentum erecturus es, mi Bone! ita forte ridendo, me interrogabis amicissime RICHTERE! Perenne omnino, inquam ego, sed audi modo, ex meo certe desiderio ardentissimo, voluntate honestissima et cupiditate TVVM illustre nomen aeternitati tradendi flagrantissima. Quod si igitur forte saeculi potius ingrati vitio ac liuore, quam mea culpa, perenne illud haud futurum sit, tamen eo bono et candido animo condidi, tanquam perenne foret. Sicut quondam similem in modum, de MARTIALE scripserat PLINIVS ab ipso carmine laudatus. *At non erunt aeterna, quae scripsit. Non erunt fortasse: ille tamen scripsit, tanquam essent futura: Dedit enim mihi, quantum maxime potuit, daturus amplius, si potuisset.* Atque id ipsum mihi solatio erit, si hoc meum qualecunque monumentum aeternum forte non fuerit, quoniam illud ea propensissima quidem voluntate ita tamen scripsi, tanquam tale omnino esset futurum, aeternitatem Tibi daturus si potuissem quidem, ipse eheu! homo periturus. Licet igitur scripta mea ipsa quippe breui interitura, aeternitatem Nomini TVO haud promittant, nec promittere vnquam possint, quoniam nempe longissime absum a stolida illa APIONIS, Grammatici,

matici, iſtius tinnuli cymbali mundi, aut publicae famae tympani, arrogantia, et ridiculo faſtu, qui, teſte PLINIO ridente, *immortalitate donari a ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat;* animum tamen TVI in me amoris, fidei atque candoris aeternum memorem TIBI tanto certius polliceor; quo quidem munere, haud contemnendo; quoniam illo praeſtantius, meliusque nihil quidquam ab homine mortali et caduco iure exigi poteſt, TE ſatis contentum fore, interea certiſſime confido. Ceterum vero, ſi non omnia, tamen quaedam forte, ex his ipſis noſtris opuſculis, TIBI aliquantum placitura eſſe, fere perſuaſus ſum; namque TV a longo iam tempore, ſolebas meas eſſe aliquid putare nugas; praeſertim, quum in quibusdam eorum, olim a TE perlectis, *et rerum delectum et ſtili robur,* per litteras, ad me datas, laudares, vtrum ſeuero ac veraci iudicio, an vero blando potius ac fallaci praeiudicio, quia, cenſente SYMMACHO, *rarum eſſe ſolet in amante iudicium,* equidem iam non definio. Eandem tamen fauorabilem de iisdem ſententiam partim tulerunt quoque ipſa veſtra diaria litteraria, alias quidem nimis profecto rigida ac ſeuera, ne quid grauius dicam, contra meam iuſtam ac vi quaſi extortam *Apologiam pro Habenis et Arundinibus Suetonianis*, dum ſcilicet effuſis veluti irarum habenis, in eam violentiſſime irruerent; quum tamen penitus neſcirent, ipſas illas clandeſtinas famae obtrectatorum technas et machinas, quibus oblique me peterent, per conductitium illum adgreſſorem: ceu TIBI amiciſſime RICHTERE, forſan haud ignotum erit. Sed nolo iam olidam illam Camarinam denuo hic commouere, tranſeant ergo haec cum ceteris erroribus.

Sed

Sed et Lipſienſes, aliaeque Ephemerides litterariae benignius iudicarunt, de his noſtris diſſertationibus, praeſertim vero bini iſti illuſtres et ſplendida meritorum gloria per orbem florentiſſimi Viri, *Liber Baro van* SWIETEN, et Venerabilis MORGAGNVS, in nouiſſimo ſcilicet praeſtantiſſimo opere, *de cauſis et ſedibus morborum*; praeterea quaedam quoque ex iisdem diſſertationes alibi iam denuo impreſſae fuerunt, veluti exercitatio iſta ſatis, opinor, nota, *de veterum Chirurgorum Arundinibus, et habenis*, quae Amſtelaedami, 1751. ſplendide recuſa fuit, item diſſertatio *de pleuritide aeſtiua*, quae vna cum ipſo de eodem Argumento, libello, ſatis, vt puto, cognito, Venetiis nuper 1759. prodiit, me tamen inſcio et inconſulto, ſed parum nitide, quod doleo, parumque emendate; vt iam de aliis taceam, quae potiſſimum *Collectionibus diſſertationum Hallerianis* dudum inſertae fuerunt, ne forte vanus nimis et intempeſtiuus friuolorum meorum opuſculorum laudator et amator, ſi non TIBI, at aliis forſan, mihi iniquioribus, vt ſane ſunt multi, eſſe videar. Inde ergo aliqua mihi ſubnata eſt fiducia, vt rogatus, hanc ipſam ſyllogen typis permittendo, tantiſper crederem, forſan nunc non diſplicitura penitus in vnum corpus collecta, quae antea ſparſim et membratim veluti edita, haud parum paſſim placuiſſent. Igitur

Si illud, quod volumus, eueniet, gaudebimus;
Sin ſecus, patiemur animis aequis.

Id vero potiſſimum ad aliquam forte horum opuſculorum commendationem, facere nobis videbitur, niſi fallimur, quod in iis componendis, ſemper quam diligentiſſime eo reſpiceremus, vt

 res

res nouae, et *verba vetera*, vna arctiſſime coniungerentur, hoc eſt, vt res quidem haud plane nouas et inauditas; ſed tamen non prorſus vulgares, aut in ſcholis nimium decantatas, aut etiam in Commentariis plurimum protritas produceremus, ſimul vero quantum ſcilicet, in his fieri poſſet, dictione plana, pura, perſpicua, ornata et Latina, vteremur, ne lectoribus eruditis ſtilo horrido, aut barbaro, faſtidio eſſemus aut ludibrio, praeſertim, quum iuſta cum indignatione, paſſim animaduerterem, in plerisque, quae hodie quidem vulgantur, ſcriptis medicis, vtramque hanc maximi momenti rem admodum ſocorditer eſſe neglectam ac prorſus praetermiſſam. Quotidie enim ad fluentem vſque nauſeam, eiusmodi macrae, ieiunae et ſteriles diſſertationes de vulgatiſſimis quidem et millies iam pertractatis vbique argumentis, in publicum prodeunt, v. gr. de Febribus, Scabie, Phthiſi, Colica, Cephalalgia, aliisque id genus morbis vulgo cognitiſſimis et in omnibus libris medicis vbique obuiis, et vberrime iam dudum explicatis, in quibus tamen nihil prorſus noui, quod non dictum ſit prius millies, deprehenditur; quin potius chorda ſemper eadem ſtridula vbique tangitur, raucaeque palumbes, vt cum poëta loquar, eundem leſſum gemere non ceſſant. Sed narrabo hic TIBI, amiciſſime RICHTERE, pace quidem TVA, lepidam hiſtoriam, quae mihi ante complures iam annos, Lipſiae obtigit. Meminiſti adhuc forſan boni iſtius Viri, craſſi, ventroſi, claudicantis, grandi capite et toruo vultu, nobis quotidie in aedibus Riuinianis obuii, qui, ipſo RIVINO, communi noſtrum praeceptore venerando, defuncto, victum deinde quaerebat ex venditione

variorum

variorum ſcriptorum Veterum, minorum rariorum, vndique collectorum. Is igitur, ſtipatus duobus famulis, me aliquando accedebat, mihique ad renouandam amicitiam veterem, dono offerebat, centum et quinquaginta ſex diſſertationes de *ſola pleuritide* ſcriptas; forte enim fama perceperat, me de eodem argumento eſſe aliquid commentatum. Ego vero tanta quidem farragine diſſertationum, de vno eodemque morbo laterali, ſcriptarum, merito vehementer exterritus, ſtuporem meum fere damnare coepi, quod ſcilicet veluti Iliadem poſt Homerum fruſtra ſcripſiſſem, atque denuo argumentum nimis ſero adgreſſus eſſem, quod iam a centum et pluribus auctoribus, ſummo haud dubie ſtudio, pertractatum penitusque exhauſtum eſſet. Verum, plurimum tum fallebar iudicii et praeſagii: paullo enim poſt, die quodam, ab officiis vacuo, animum inceſſebat cupido, comparandi inter ſe has ipſas diſſertationes, atque diligentius ſimul inquirendi, ecquid tandem ſingulae ſingulare haberent, et quid inprimis nouum atque hucusque ignotum, me docerent. Decem igitur aut aliquanto pluribus, ex immenſa illa ſtrue obiter forte protractis, et inter ſeſe paullo attentius collatis; protinus, attonitus fere, animaduerti, omnes inter ſe non ſolum rebus et erroribus, ſed et paene verbis ipſis, exactiſſime conuenire, nullaque in re, a ſe inuicem multum differre, niſi ſola forſan aetate, et externa forma, aut denique ſtili, nunc horridioris, nunc paullo tolerabilioris, varietate. Quare mox iuſto taedio captus, merito abſtinui a reliquis indagandis, et conferendis, ne ſcil. tempus tam carum ac pretioſum male ſic perderem. Vides igitur, mi optime RICHTERE, de ſola

 pleu-

pleuritide ducentas fere conſcriptas eſſe diſſertationes, nam vetus ille amicus tum ipſe non omnes habebat, quae poſtea in Belgio, Gallia et alibi, hac noſtra aetate, magna quoque copia, prodierunt. Quid igitur putes, o chariſſimum caput, ſi reliquarum quoque diſſertationum v. g. de febribus, Tertiana Quartana, Coryza, Dyſenteria, aliisque id genus morbis vulgatiſſimis ſcriptarum, numerus forte ineatur; quam immenſa propemodum copia exinde ſit enaſcitura? Quid autem, obſecro, mirum, tam vberem quidem eiusmodi miſerarum ac vulgarium diſſertationum, ceu ranarum illarum memphiticarum ſibi inuicem foede ſuperimpoſitarum eſſe hodie vbique proventum? quum tamen alicubi forte non deſint inſtitores nonnulli, famelici, ſordido illo ingenii ſterilis largitore, ventre nempe, impulſi, qui in eiusmodi ineptis diſputationibus producendis, ſtrenue occupati ſunt, quas deinde ex armariis repletis depromtas ieiunis et egenis Candidatis ad libram et lancem, care ſatis diuendunt, veluti aromatarii, vt ſic loquar, rugoſum piper, et pallentis grana cumini, aut bonae vetulae malas, nuces, haleces, ac cucumeres, ſi ita quidem libere iocari liceat. Verum ſunt rurſus alii, qui loco diſſertationum, meras Homilias, vt ſic dicam Medicas, aut Chrias veluti Aphthonianas, nobis proponunt, dum leui facilique cuidam argumento medico longum quidem, ſed inſulſum ſimul inſipidumque ius frigide ſuperfundunt, atque multo quidem, inani tamen et ſuperuacuo ſermone verbisque rerum caſſis, parum, aut rectius, nihil dicunt, ſedulo ſimul ſibi cauentes, ne quenquam meliorum auctorum in ſua loquendi ſartagine, honoris aut auctoritatis cauſa,

alle-

allegent, aut se veteres nouosque scriptores legisse ostendant. Malunt quippe per se soli desipere, quam ab aliis probis Auctoribus adiuti et meliora edocti, rectius sapere, atque ad instar aranearum inaniter operosarum, ex se ipsis pertexere casses, subtiles quidem; sed laxos a quouis lenioris aurae afflatu facile dissipabiles, et omni fere vtilitate aut probabilitate cassos frustra contendunt.

Verum adhuc alii denique noua quidem et rariora in scriptis suis tractant, sed plerumque curiosa magis, quam fructuosa, et subtilia potius, quam vtilia. Qualia nimirum inter alia, sunt de intima plantarum variarum structura, diuersis organis, artificiocissimis staminibus, fibrillis, pistillis, sexus differentia, amoribus, connubiis, puerperiis, forsan et, si iocari quidem liceat, adulteriis, vetitisque hymenaeis, adeo, vt hinc forte proxime, nouam quoque Legem Iuliam contra ista noua plantarum adulteria, vt sic dicam, habituri simus, quemadmodum iam olim ipse PLINIVS sic acutissime scripsit: *Ob hoc insita, et arborum quoque adulteria excogitata sunt.* Haec tamen cuncta parce nempe et modice, nec ad inanissimam vsque subtilitatem, tractata, laudanda potius sunt, quam penitus vituperanda, quoniam scilicet legentium spectantiumque animos oculosque oblectant, et absconditam plantarum naturam scite illustrant ac manifestant.

Idem quoque iure censendum est de variis nouis experimentis chemicis curiosis, nostra quidem aetate, non exigua copia, publice productis, quae, licet ipsi humano generi, ad ipsam salutem, aut fortunam augendam, parum prosint; tamen eidem etiam

etiam haud multum nocent; sed iucundo potius oculorum spectaculo inseruiunt, atque inprimis variam metallorum rerumque naturalium indolem et conditionem reconditam per potentes ignes exploratores, recludunt et in clariore luce collocant.

Tanto autem peiores et nocentiores per Deum! istae sunt nouae Apologiae et commendationes, nimia eheu! abundantia, in hunc vsque diem, promulgatae, nobisque prorsus inuitis, imprudenter impudenterque, pudet sane pigetque fateri, obtrusae, scilicet de omnis generis venenis, alias atrocissimis ac pestilentissimis, v. g. de diua illa, seu rectius, dira, *cicuta*, ista inquam efficacissima, si Diis placet, omnium fere morborum hucusque insanabilium, panacea, item de *Belladonna*, tam bello quidem nomine prorsus indigna, de *Colchico*, *Hyoscyamo*, *Napello*, *Datura*, aliisque id genus plantis dirissimis et venenatissimis, quae hodie proh dolor! heu! vbi pudor! iudicium, modestia et conscientia? praestantissimis tamen et securissimis alias remediis quibusuis, inaudita fere audacia, longissime praeferuntur, adeo, vt inde benignissima salutaris Medicinae beneficia, maxima saeculi peruersi calamitate, in malignissima veneficia turpissime conuertantur. *Ceu vero Remedia desint, vt scelera contrectent Medici: sed ista praetexunt noxio instrumento; tantumque impudentiae est, vt venenum artis esse persuadeant; Quis autem quaeso, sanus mente, Veneficia innocentiora effecit, quam ipsa remedia?* Tam seuere ac vere iam suae aetatis Medicos veneficos increpuit PLINIVS: Quid autem obsecro, nunc esset dicturus, si in nostrum quidem longe corruptius aeuum delatus, nostros videret Medicos venenarios, venerandos scilicet illos inquam Ci-

cura-

cutarios, Colchicarios, Nappellarios, et Belladonnarios, proh Deum hominumque fidem! quam latrantia, horrida et formidabilia nomina. Quid vero, obſecro, nunc grauiter ſatis atque vehementer dicam exhauſto fere iam omni verborum increpantium et lancinantium fonte, de noua iſta arte nefaria et exitioſa, ſiue rectius noua et inaudita antehac Carnificina ac Tortura, innumeris paene libellis famoſis ac fumoſis hucusque, effrenata licentia, laudata, et impudentiſſime, etſi plane incaſſum, defenſa, qua ſcilicet ſanis Venis, praeter omnem rationem et neceſſitatem, nocentiſſimarum Variolarum venenum proterue infunditur, certiſſimumque Vitae periculum, ſic crudeliter inducitur, ad auertendum aliquando adhuc incertum et nunquam forte venturum. Quum tamen iam dudum ſapientiſſime monuerit ipſe SOCRATES, *quod peſſimus ille Morborum ſit Medicus, qui idem cum morbo ipſo graſſante, Remedium vſurpet*, hoc eſt, vt haec commode huc applicentur, qui variolas temere curet, per ipſas Variolas, et variolas certas cum ſummo vitae periculo, ſanis corporibus inſerat, ne aliquando incertae, forſan ſine periculo, adueniant. Quod ſane curioſum dicam? an furioſum. Quis vero, obſecro, hic iuſtis temperet a lacrimis? quis inquam, ſerio non ingemiſcat ſaeculo noſtro corrupto, ſua ſponte, in exitium ſuum ruenti, atque per indubitata mortis pericula ſordido artis illius nefandae miniſterio, violenter introducta, dubiam admodum et ambiguam ſalutem quaerenti et expectanti? ſed quoniam haud ita pridem, publicae vtilitati pro virili mea, etiam in vltima iam ſenectute, conſulturus, ipſe contra dirum hoc nefas et inſanabile paene Cacoëthes, poſito

omni ſeruili aut anili metu, publice animoſius inſurrexi, iuſtoque Volumine metrico id ipſum acriter impugnaui, et ſolidiſſimis, vti certe perſuaſus, exiſtimo, argumentis inſtructus, fortiter expugnaui, funditusque euerti, ſicque meam conſcientiam hoc inſuſtentabili fere onere per longius tempus, vehementer preſſam ac paene oppreſſam feliciter tandem liberaui; nolo hic plura de hac maximi momenti re incaſſum praefari. Neque vero minore animorum irritatione concertatum hucusque fuit, de famoſa iſta *Irritabilitate*, cum latranti nomine, ſi ita quidem cum PLAVTO hic iocari licet, aliis nobile illud ſcilicet inuentum acriter impugnantibus, aliis contra acrius propugnantibus, ſed perquam exiguo, niſi fallor, vtramque in partem, cum fructu. Namque vt cum poëta ingenue fatear, hic

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Siue enim vera fuerit iſta quidem *Irritabilitas*, ſiue falſa; neque ſane tunc magis proderit mortalibus, neque minus nocebit. Longe leuius tamen periculum interea iisdem ex eadem imminet, quoniam ſcilicet, ſtrenuis noſtri ſaeculi Herophilis et Eraſiſtratis hodie amplius non licet, vt illis nempe priſcis, viuos homines crudeliter incidere, ab ipſa natura clauſa adyta violenta manu recludere, profaniſque oculis nimis curioſe introſpicere, atque in palpitantia adhuc praecordia viſceraque calentia audax minaxque ferrum immiſericorditer demittere. Tanto maius autem certiusque exitium et excidium ex eadem impendet miſerandis et crudeliſſimo fato perituris canibus, quippe qui experimentorum vano eheu! conſilio et inani opera, faciendorum cauſa, cateruatim vbique ad ſaeuiſſimam lanienam rapiuntur,

untur, ibique compuncti, vellicati, lacerati, pressi, irritati, tracti, contorti, vstulati, et mille aliis miris dirisque modis diutius siccis oculis, cordeque paene ferreo, excruciati, vt scilicet se mori sic longius sentiant, tandem, post lentas dilatae mortis moras, sera nimis misericordia, trucidantur, heu! frustra ac sine vllo in ipsum genus humanum vsu, sic acerbissime torti et interemti.

Deplorat rigidis perituram bestia cultris
Infaustam sobolem.
Ah miser! extremum cui mortis munus iniquae
Eripitur, non posse mori.

Sed rixarum metuens, prudenter nolo iam plura, de hac ipsa immani et inani lite disceptare, ne scilicet Crabrones irritentur, imo potius ne ipsi Medici nonnulli, qui de hac ipsa irrita vt plurimum irritabilitate tanquam pro aris et focis, acerrime inter se digladiantur. Nonsolum enim *vatum genus est irritabile*, vt HORATIVS ait ipse vates; sed et saepissime ipsorum Medicorum, quibus frequentius, vel leuis causa, aut suspicio tantum, sufficit ad grande irarum irritamentum. Sed satis nunc de ipsis dissertationum et Exercitationum medicarum argumentis, partim vulgaribus, et ad nauseam saepissime iteratis; partim nouis quidem et curiosis, sed parum vtilibus; partim autem prorsus noxiis cauteque vitandis ac vetandis.

Iam vero etiam quaedam adhuc monenda tandem restant, de externo ipsarum mundo, siue cultu et ornatu, in ipso dicendi genere latino, adhibito et obseruato. Sed hic eheu! piget quidem taedetque ingenue fateri, plerumque infelix lolium et

 steriles

ſteriles dominantur auenae: paucisſima ibi rident ac nitent; plurima vero ſordent, ac ſtiuam magis olent, quam ſtilum: lutulenta potius fluunt, quam luculenta, limoſa, quam limata, et polluta denique quam polita. Nonnulli ex iſtis Autoribus, macros tantum turdos in fumido igne verſant, vt ſic loquar, veluti ille male ſedulus hoſpes apud HORATIVM, aut pingui Minerua ſordide pingunt, aut ad inſtar mali illius extemporalis poëtae tragici ALCESTIDIS, foecundi nimis feſtinatique curſus ſcripta protrudunt, in triduum tantummodo, imo vix trihorium, ſuffectura, et mox intra primas memoriae metas corruitura. Quin et nonnunquam ipſum adeo bonum Priſcianum ſibi infeſtum prorſus habent, atque iratum. De hac vero putida ſua cultioris ſtili negligentia, vel blandius admoniti, vel ſeuerius reprehenſi et caſtigati, protinus ſuae ſocordiae, ceu velamen aliquod, etſi lacerum et male ſartum, praetendunt illud notisſimum, vulgi dicterium: *Morbos non verbis curari, ſed herbis.* Nonnulli quoque, illis nonnihil doctiores, ad ipſum prouocant CELSVM, pariter alicubi dicentem: *Morbos non eloquentia, ſed remediis, curari, et elinguem quoque Medicum, vſu ipſius artis, probe edoctum, magnum in ſua ſcientia, fieri poſſe artificem.*

Sed boni illi aut mali forte, ſimul non cogitant, fruſtra ab ipſis fuiſſe allegatum omnium Medicorum diſſertisſimum et ſtilo puro nitidoque latino politisſimum, hincque ſemper in illuſtre exemplum omnibus inpoſterum Medicis quam diligentisſime ad imitationem, proponendum, praeſertim, quum idem ipſum adeo HIPPOCRATEM noſtrum ſcite vereque vocauerit, *Virum et Arte, et Facundia inſignem:* quem quippe ipſum diligenter HO-

MERVM

MERVM legiſſe, ſtiloque expresſiſſe, teſtantur vbique ipſius ſcripta, et confirmatur inſuper auctoritate EROTIANI, GALENI et aliorum, vt in his ipſis opuſculis, non vno tantum in loco, fuſius et ſolidius probauimus: quale quid etiam de ARETAEO conſtat, Medico diſertisſimo, et dictione quoque Homerica vbique ornatisſimo ac florentisſimo, vti poſt PETITVM et WIGANVM, alibi oſtendimus. Hinc fruſtra pariter in ſuae ignauiae tutamentum, ad illud acutum SENECAE effatum confugiunt; *Non quaerit aeger medicum eloquentem, ſed ſanantem:* Subdole vero ſimul omittunt verba illa notatu digna, ſtatim ibidem ſubſequentia, *ſed ſi ita competit, vt idem ille, qui ſanare poteſt, comte de his, quae facienda ſunt, diſſerat, boni conſulet,* et quae ibi plura leguntur. Vnde nunc liquido, opinor, patet, artem bene medendi, beneque ſimul meditandi, loquendi ac ſcribendi, commodisſime in vna morari ſede poſſe, nec elegantiora ſtudia ſtilique nitidioris praeſertim culturam, officere quidquam ipſi arduo ſanandi officio. Inde recte et ſapienter mihi videtur pronunciaſſe magnus ille IOSEPHVS SCALIGER: *Homines, qui ſine litteris, Medicinam tractant, eſſe ſimiles iis, qui in alieno foro litigant.* Vtut vero in Medico pure ſic dicto practico, forſan ſufficiat, ſi non male prorſus ſcribat, aut loquatur; in Medico tamen vere docto, et profeſſoria praeſertim dignitate conſpicuo, neceſſario haud dubie requiritur, vt non ſolum non male, ſed et inſuper etiam bene, imo et optime, ſcribat, atque diſſerat, quoniam ſcilicet docendo atque ſcribendo, illuſtri debet eſſe exemplo ſuis diſcipulis et Auditoribus, qui ſuorum Praeceptorum vitia ac virtutes adſcita ſenſim conſuetu-

 dine,

dine, facile omnino imitantur. Nihil igitur mirum, ab omni fere aeuo, repertos esse Medicos complures, et artis suae praestantia, et stili purioris elegantia ceterisque humanitatis artibus, iuxta celeberrimos. Quis enim quaeso nescit magna illa profecto nomina, FERNELIOS, CRATONES, LANGIOS, TVLPIOS, BALLONIOS, LOMMIOS, SPONIOS, PATINOS, LINDENIOS, BARLAEOS, BARTHOLINOS, BORRICHIOS, WORMIOS, HOFFMANNOS, DRELINCVRTIOS, PETITOS, MEIBOMIOS, CHIFFLETIOS, RHODIOS, FREINDIOS, MEADIOS, BERGEROS, MORGAGNOS, PECHLINOS, VALLERIOLAS, PINCIEROS, SCHVLZIOS, ALMELOVENIOS, aliosque plures, quos haec angusta pagina vix capit, maxima dudum copia, singularibus scriptis, merito laudatos, a GEORGIO FRANCO, IACOB. BVRCKHARDO, LOESCHERO, *van* SEELEN, VINCKIO, LAMPE et aliis. Quorum praestantissimorum in vtraque arte Medicorum, insigniumque ducum laudatissima vestigia, TE mi ornatissime RICHTERE, indefessa tua industria, non solum presse sequutum, sed et proxime felicissimeque assequutum esse, ipse sum testis ocularis, et studiorum conscius; ipsa vero tua scripta, tam medica, quam metrica, summa gratia, lepore, eloquentia, sale ac venustate affatim condita, tanto luculentius vberiusque testantur, quibus proinde merito convenit illud PLINII elogium de cultissimis poëmatis Spurinnae venerandi pariter senis, ac poëtae pii atque casti: *Mira illis dulcedo, mira suauitas, mira hilaritas, cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis.* Adeo, vt mihi hinc animus, forsan non

vane,

vane, iamiam praefugiat, TE annorum, opum et honorum tandem saturo, atque feliciter relato inter illa rarissima senectutis longaeuae, simul tamen viridis vegetaeque, exempla, a PLINIO, VALERIO MAXIMO, LVCIANO, CICERONE, PLVTARCHO aliisque commemorata, aliquando rebus humanis exemto (vtinam id quam serissime et nonnisi saeculo Vitae exacto, fiat!) vix quenquam tam eleganter doctum ac politum Medicum repertum iri, qui perdigne Tibi in locum vacuum succedat. Sed absit malum omen! Indies enim, heu! piget fateri, magisque deficere incipiunt eiusmodi Medici, solide in sua arte docti, et cultioribus simul litteris non leuiter tincti, sed penitus imbuti, quorum quippe prohdolor!

Numerus vix est totidem, quot
Thebarum portae, vel diuitis ostia Nili.

Quoniam optimae hae litterae hodie in hoc optimo quidem Mundo, sic vulgo, sed non optime, dicto, nihil quidquam fere amplius valent: quin potius fastose fastidioseque contemnuntur, prae nimio solius fere vernaculae linguae cultu, variis luxuriantis ingenii lusibus frigidis vt plurimum, ambiguis et ieiunis sententiolis, argutulis, imo rectius obtusis, declamatiunculis tinnulis, ineptis Cordis formationibus, vt quidem ridicule vocantur, item inanibus subtilitatibus, vulgo sic dictis aestheticis, ingeniosis nequitiis, et id genus aliis offuciis, affaniis, inaniis, bullis, ampullis, bracteis, nubibus, vmbris, plasmatis et Phantasmatis, quibus hodie incauti iuuenum nec rerum nec verborum adhuc satis peritorum, animi, maximo suo damno, aliquando nimis sero, emersuri, misere in fraudem inducuntur, vt nubem

pro

pro Iunone, amplectantur, et, vt PETRONIVS pulchre et acute ait: *et rerum tumore, et sententiarum vanissimo strepitu, hoc tantum proficiant, vt, quum in forum venerint, ad res nempe grauiores perite tractandas, tum plane attoniti putent, se in alium terrarum orbem delatos. Nihil igitur altum, nihil magnificum, ac diuinum, nec per omnem postea vitam, suscipere possunt, quia suas omnes cogitationes abiecerant antea, in res tam humiles, contemtas, futiles, steriles, aridasque et vsu fructuque carentes*, vt CICERO fere alicubi, vere ac seuere dixit. Sed haec pauca obiter, de hoc saeculi nostri nubes tantum et inania captantis, insanabili paene quiduis, modo nouum et insolitum, nolim dicere stolidum sit, scribendi ac loquendi, item philosophandi, Cacoëthe; ne communi senum more, nimis difficilis, querulus, laudator temporis acti, et morosus praesentis vituperator, si non TIBI; at certe aliis, nouorum praesertim admiratoribus, videar.

Quantum vero, aut quantulum, ego ipse forte profecerim in his ipsis amoenioribus litteris, si modo de me ipso quidquam hic interponere liceat, quas a prima statim pueritia, incredibili plane amore et ardore deperii, et per omnem deinde Vitam, inexpugnabili prorsus constantia, colui; mei sane pudoris non est, ambitiosius hic enarrare, aut ampullari; alii potius, qui me meosque mores propius norant, de eo libere et ingenue iudicent. TE vero inprimis hic fidum, candidumque Vitae meae academicae testem appello, amicissime RICHTERE; TV ergo ipse vere ac seuere pronuncies, quam negligenter, aut diligenter haec ipsa suauissima humanitatis studia olim tractauerim,

rim, atque in meos vſus conuerterim. Ipſe forte adhuc probe meminiſti, omnes noſtros ſermones, diſputationes, tam publicas quam priuatas, et Exercitationes ſcriptas, imo et ipſas adeo noſtras ambulationes nunc in amoenos illos hortos ſuburbanos clauſos, nunc vero in apertos ac liberiores campos, nunc denique in circumiectos Lipſiae pagos, villas ac ruſticationes, benignam ſemper ac vberem materiam nobis praebuiſſe, de his ipſis cultioribus litteris, ſine quibus omnis eruditio manca omnino mutila et imperfecta eſt, aut Corpus ſine capite, aut Caput ſine oculis, diligentius agendi, et intentius diſceptandi. Erat enim tum in nobis, in quo nempe, iudice CICERONE, *omnis vis amicitiae eſt, Voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio, et commune ſtudium acerrimum, cognoſcendi ſemper aliquid atque diſcendi, in quo remoti ab oculis populi, otioſum tempus conterebamus.* Inde pari fere animorum contentione et aemulatione honeſta, perpetua, quae ingenia alit, acuit et exſtimulat, vna tractabamus ſtudia philoſophica, hiſtorica, Linguarum etiam Orientalium, Phyſica, Oratoria, et alia, praeſertim poëtica, in quibus feliciſſime perdiſcendis, adeo vſque fauentes TIBI habuiſti ipſum Apollinem, alias perquam difficilem, et omnes Muſas Gratiasque omnes, vt hinc inter praeſtantiſſimos ac cultiſſimos noſtri aeui poëtas, inprimis elegiacos, connumerari ſummo iure, promerueris, atque proinde Celeberrimo TVO nomine, in poſterum etiam inſigne prorſus augmentum et ornamentum additurus ſis eleganti THOM. BARTHOLINI libello, de *Medicis poëtis.*

Ego autem minora tantum trepide ausus, heroas illos supra laudatos ac Medicos suae artis et humanitatis studii iuxta peritissimos e longinquo saltem sequebar, passibus haud aequis, et quem, denegata forte mihi a natura, ingenii velocitate ac felicitate, attingere desperabam, summum claritatis aut perfectionis gradum; improbi tamen laboris pertinacia, tandem vtcunque assequi contendebam, satis iam contentus, si non primas, secundas tamen, aut tertias, quartasue partes obtinerem, *summum enim culmen affectantes*, iudice COLVMELLA, *satis honeste vel in secundo fastigio conspiciuntur*, et, si non inter primipilares, saltim inter velites, aut postremum agmen, connumerarer. Sed dum haec ingenti nisu ausuque, mecum sic agito, iam spe veluti diuite laetus ac beatus, animumque incensus famae venientis amore, ecce! turbo quidam infestus subito exortus, mihi tum formidabilis; nunc vero perquam ridiculus, omnia mea praeclara consilia simul vehementer disturbauit, qui meum istum flagrantem in bonas litteras amorem pectore moesto penitus paene excussisset, illumque prorsus extinxisset, nisi tanta mentis constantia mediis in turbis istis, mox adfuisset. Paucis igitur hic TIBI, pace tua, narrabo lepidam ac iucundam historiam istam iuuenilem, forsan, nisi fallor, contractae frontis senilis seria blando risu iocoque TIBI explicaturam.

A Schola itaque Cizensi, ductu et exemplo B. mei HERZOGII, viri graece inprimis, doctissimi, adhuc calens, imo feruens, ab assidua vtriusque linguae auctorum lectione, Anno 1713. Lipsiam delatus, noctes diesque, serio cogitabam, quomodo

modo iſtos tantopere mihi adamatos auctores, praeſertim graecos, modico pretio, commode compararem. Interea vero a Curatoribus meis viginti aliquot imperiales acceperam, ad ligna, candelas, ocreas, et neſcio, quae alia, contra tum inſtantem rigidam hiemem, praeſidia neceſſaria, conquirenda. Commodum autem eo ipſo tempore, forte accidebat, vt Bibliotheca melioribus libris inſtructiſſima, (credo fuiſſe illam B. OLEARII, niſi fallor) publice diuenderetur: Quo laetiſſimo mihi nuncio, vix audito, protinus ego illuc accurrebam, imo aduolabam, ibique abunde inueniebam, quo ardentiſſima ſitis mea plene tandem ſedaretur. Oblitus ergo prae ſummo iſto gaudio, lignorum, candelarum et ocrearum mearum, imo cibi et vitae paene ipſius, leui profecto aequoque ſatis pretio, duodecim tantum, aut quindecim Imperialium, (equidem non ſatis adhuc memini, nec multum refert) comparabam mihi varios vtriuſque linguae auctores, veluti DIODORVM SICVLVM, THVCYDIDEM, SOPHOCLEM, et DIOGENEM LAERTIVM HENR. STEPHANI, LVCIANVM, et PHILOSTRATVM ALDI, SVIDAM PORTI, DEMOSTHENEM BASIL. HERVAGII, et nonnullos alios; item TACITVM LIPSII, SVETONIVM CASAVBONI, PLINIVM, cum Notis Varior. paucosque alios iam mihi oblitos. Tum vero adeo me beatum putabam ac praedicabam, vt miram meam felicitatem omnibus in triuiis ac compitis etiam vix de facie mihi notis, forſan tunc obuiis, ore hiante ac ridente enarrarem, quin et montibus et Syluis imo, vt perditi iſti amatores apud PLAVTVM, ni fallor, nocti ac diei, ſoli, lunae ac ſideribus, meas

illas nouas delicias opesque iactarem, quas ſane eo quidem temporis puncto, nec cum Croeſi Craſſiue theſauris, nec cum opimis iſtis conditionibus Attalicis facile permutaſſem. Sed gaudium exſuperantiſſimum breui moeſta admodum calamitate vehementer eheu! interturbatum fuit. Percepto enim paullo poſt, per neſcio, quem malignum delatorem, de hac mea nimis ſcilicet profuſa prodigentia, rumore, Curatores iſti mei, Viri alias optimi, et iuris quoque peritiſſimi; ſed his quidem amoenioribus ſtudiis haud ſatis imbuti, mox per litteras ſeueras, atroces et minaces, adeo vſque me increpabant, quaſi vero, impium ſacrilegium commiſiſſem, aut ipſam bonam patriam male prodidiſſem; et parum ſane aberat, quin me perdito illi filio, poſt pudendam bonorum ſuorum dilapidationem, aridis ſiliquis, paneque ſecundo miſere paſto, digne adiunxiſſent. Addebant etiam acerba ſcommata et argutula dicteria: Artes videlicet has inglorias grammaticas ſolis Scholarum Moderatoribus relinquendas, nec panem habere, nec pannum, nec penum, nec pecuniam, ſed penuriam, et breuem quidem famam, longiorem vero famem, pauperesque Camenas non facile auro implere vacuas Crumenas; nihil quippe ex illis addiſci, quam ſplendidam vanitatem, et curioſam inertiam. Hac igitur ſubita, vehementi et amara obiurgatione, fulminatus quaſi, ac totus perterritus, primum ipſe putabam, me, licet inſcium, grande forſan flagitium commiſiſſe, ſeria poenitentia, et cita praeſertim malorum ſcilicet iſtorum librorum venditione, religioſe expiandum: et ſane crediderim, ſi tum, primo iſto terrore, mox commodus emtor, parata inprimis pecunia inſtructus, preſto

praesto fuisset; quod illi bonos istos meos libros, oculis paene ipsis mihi cariores, quamuis aegerrime et inuitissime, rursus vendidissem. Sed primis illis fluctibus sensim tandem compositis, et collecto rursus animo, mihique post istam trepidationem, denuo paullatim redditus, serio mecum cogitare coepi, me tamen nobile potius ac laudabile facinus, quam indignum, aut illiberale, perpetrasse, nec sumtus illos cum probro ac dedecore effudisse, quod scilicet honesto discendi studio incensus, maluerim lignis, candelis, et ocreis ipsis, aliisque vitae commodis carere, quam libris; et docte potius esurire, quam indocte ligurire; quin imo, cum bonis libris, male algere, quam sine eis, bene calere. Haec ergo finis Priami fatorum, hic inquam, verae illius, sed ludicrae, historiae exitus; cuius postea, elapso interea tanto temporis spatio, toties singulari cum voluptate, recordatus fui; quoties ipsos illos Libros, mihi olim paene capitales, quos in perpetuam rei gestae memoriam, diligenter adhuc asseruo, aut forte conspexi, aut in ipsos meos vsus adhibui. Ab eo autem tempore, more mihi meo, vixi, imperturbatus, nec amplius curaui inanes de mea fama, aut fame, Curatorum meorum Curas: quin potius, exinde nocturna diurnaque manu versaui Exemplaria Graeca et Latina, praesertim tamen priora, quae scilicet cum CATONE, iam sene, *sic auide arripui, quasi diuturnam sitem explere cupiens.* Etiamsi enim, vt cum FAVORINO apud GELLIVM, loquar, *opera mihi princeps, et prope omnis, in litteris disciplinisque Graecis, sumta est; non infrequens tamen quoque fui Latinarum litterarum, quas quippe non subcisiuo, aut tumultuario studio*

 dio

dio colui, vna cum Hebraicis et aliis, quod adiicere hic, ſine omni vana iactantia, mihi liceat.

Liberrimo igitur curſu, et effuſis veluti habenis, aſſidue peruagatus ſum optimos illos priſci aeui Auctores, tanquam amoena Vireta fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas, vt cum poëta loquar, atque duplicem ex illis fructum cepi vberrimum, nempe variae doctrinae incrementa, variarumque potiſſimum virtutum ſplendida exempla et incitamenta.

Quare minime poſſum hic aſſentiri feroci illi Mario, fruſtra, ita apud SALLVSTIVM, affirmanti, imo et inaniter glorianti: *Neque litteras Graecas didici: parum placebat, eas diſcere, quippe quae ad virtutem, doctoribus nihil profuerunt.* Quod ſi enim ipſis forſan doctoribus parum, aut nihil, profuerint, profuerunt tamen haud dubie, multis diſcentibus ac legentibus, et etiamnum plurimum vſu prodeſſe poſſunt ac prodeſſe ſolent. Inde longe veriorem et aequiorem iſtam merito exiſtimo CICERONIS ſententiam, etiam pueris ipſis, in ſcholis, vulgo notiſſimam, nec tamen ideo ſpernendam: *Haec ſtudia Adoleſcentiam alunt, Senectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium praebent.* Id quod vel ipſe inprimis, plus ſemel, per longam meam Vitam, luculentiſſime ſum expertus, praeſertim vero, in diuturno iſto duroque bello, et maxime, ipſa dira obſidione; tum enim noſtris quidem acerbiſſimis doloribus, variisque, et vndique circumfuſis moleſtiis, alia fere nulla potuit inueniri leuatio, niſi poſt ipſum ſacrum Codicem, vnicum iſtum omnis veri ſolidique ſolatii fontem pleniſſimum, ex aſſidua harum meliorum et elegantiorum litterarum

terarum tractatione; hae enim tunc nobis erant ſummorum dolorum ſolatia, hae inquam, fomenta et auocamenta.

Mirum ergo in modum, mihi ſemper placuit generoſa illa et ingenua MVRETI eloquentiſſimi confeſſio, in praefatione ſuarum *Variarum Lectionum*, non ſine voluptate ſingulari, legenda: *Vere hoc tibi affirmare poſſum, ſi quis mihi Deus omnes opes, omnia commoda, omnem potentiam proponat, ea lege, ac conditione, vt ſemel deponam haec ſtudia, et has qualescunque litterulas, altrices adoleſcentiae meae, fidiſſimas meorum omnium temporum comites deſeram; nunquam id faciam, neque quidquam tanti eſſe ducam, quod mereri velim, vt a ſuauiſſimo earum amplexu et contubernio abducar.* Ad quae aurea plane verba, iam ſenex, laetus video, me in tenera adhuc aetate, haec olim in margine, adſcripſiſſe: *Haec et mea mens ſemper fuit, ſemperque erit, donec viuam.* Nunquam igitur, per omnem meam Vitam, ſatis quidem longam, me poenituit, aut ſuſcepti olim conſilii, aut impenſae poſtea operae in diligenter colendis iſtis ſtudiis, quae in adoleſcentia honeſtiſſima ſunt, in iuuentute optima, et in ipſa denique ſenectute iucundiſſima, cui nempe in ipſo ſenili otio, pabulum veluti praebent longe ſuauiſſimum, quod ſemper reficit, et nunquam deficit, nec quidquam ſatietatis aut faſtidii adfert. Hae enim ipſae manſuetiores litterae, ipſi arti ſalutari ſeueriori opportune iunctae, non ſolum frigus, duramque famem depulerunt, vt ſic loquar; ſed et, ſi non magnam, tamen aliquam, niſi omnis fallor, famam mihi circumdederunt. Nimirum iſtae ad inſtar ſalis ſunt, aut ſacchari, quae dapibus, condimenti

loco,

loco, parce ac tempeſtiue adiectae, omnia cibaria faciunt conditiora, nec vllum ipſis inſuauem ſaporem facile conciliant. Dant enim vetuſtis nouitatem, nouis auctoritatem, faſtiditis gratiam, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, ſterilibus foecunditatem, aridis ſuccum, frigidis calorem, dubiis fidem, et amaris dulcedinem: *Veluti abſinthia tetra Medentes, quum dare conantur, prius oras pocula circum, Contingunt mellis dulci flauoque liquore*, vt eleganter LVCRETIVS. Vbique ergo, vel in his ipſis *opuſculis medicis*, operam dedi quam diligentisſime, vt, quantum fieri commode poſſet, aut liceret, paullo ingratioris et auſterioris argumenti Exercitationes, amoeno iſto humanitatis ſale modice conſpergerentur, atque ſic vel ipſi moroſi ac faſtidioſi nimis Lectores, his iucundis quidem exſurdati quaſi palati blandimentis, ad breuem modo earum lectionem placide inuitarentur: ſequutus ſic, ſed neſcio, an etiam aſſecutus, prudentiſſimum illud poëtae conſilium ſatis vbique notum:

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Age igitur, mi optime RICHTERE, antiquos noſtros mores haud exuamus, quin potius conſtanter ſeruemus, et pergamus, etiam iam ſenes facti, in noſtris quidem ſtudiis, tenere iſtam meliorem viam, quam olim in iuuentute instituimus; quid enim quaeſo iucundius eſſe poteſt ſenectute, iuuentutis ſtudiis ſtipata? Nec demum in ſera ſenectute, male dediſcamus, quae quondam in iuuentute, bene didicimus, beneque iuuenes nos audientes docuimus. Hinc ne vnius quidem aſſis faciamus invidos

vidos illos et inficetos humanitatis contemtores, ſinamusque eorum inconditos et tumultuarios garritus, aut barritus generoſo potius contemtu, praeterfluere, qui ad has ipſas ſuauiſſimas litterarum Epidorpides, torpidum calloſumque prorſus habent palatum, ac ſicut PLINIVS ait, *optima quaeque contemnere malunt, quam diſcere*, et tamen, vt ſapere ſcilicet putentur, Coelum ferme ipſum vituperant, foedaque inde alienae ſcientiae, ſibimet ipſis ignotae, obtrectatione, famam ſibi aucupari ſtudent, ſed vani et inani aucupio, et facere quae ipſi non poſſunt, verbis proterue eleuant, ad inſtar ſcilicet notiſſimae vulpis illius Aeſopiae, quae vuam altius pendentem, et iamiam mitem ac maturam, quam imbecilli humilique nimis ſaltu aſſequi non poterat, contemtim, ſed frigide et inepte, nondum maturam proclamabat. Vnusquisque enim, iudice ipſo HIPPOCRATE noſtro, ex his, quae ipſe non habet, exiſtimat, id quod in alio abundat, ſuperfluum eſſe, quin et ſimul vitioſum et inde vituperabile. Nec enim pauper diuitiis elatum libenter intuetur, nec equitandi peritum imperitus, nec valentem imbecillus, nec loripes rectum, aut formoſum deformis, ac balbus denique diſertum, ex acuta MAXIMI TYRII, et THEMISTII ſententia; ſinamus ergo illos moro ſuo more viuere, noſque noſtro rectiore, et prudentiore potius viuamus, ſi non forſan a praeſenti ingrato ſaeculo, at certe, a futuro aliquanto gratiore et aequiore, dignam laudem habituro. Inde igitur inſanis mentitiſque praeconiis extollant alii, hodie mutatis moribus et ſtudiis, inſitas arte nefaria Variolas; nos contra perpetuo ſeruemus, et alamus inſitam variae ſcientiae

 cupi-

cupiditatem, atque inprimis nos ipſos concutiamus cum poëta noto, *num qua nobis Vitiorum inſeuerit olim Natura aut etiam conſuetudo mala.*

Irritent porro alii miſeranda animalia fruſtra, in lentam ac crudelem necem; nos contra irritemus, et exſtimulemus animos noſtros ad honeſtas virtutes, ac perpetuam beatae mortis meditationem. Iactent denique nonnulli Colchica venena, ceu ſumma remedia; nos e contrario, forti conſtantique animo perferamus, ſi quis nos innocentes odio, inuidia, morſuque maligno venenat. Vitae tandem ipſius puritatem et elegantiam prius ſectemur; deinde etiam ſtili ac ſermonis, et relinquamus ex aduerſo, aſperam illam tetramque ſcribendi ac loquendi ſcabritiem, ſtribliginem horridamque barbariem, pluribus ſaeculorum ſuperiorum Philoſophis ſcholaſticis, nonnullis item Mathematicis, imo et quibusdam Theologis, qui graecarum latinarumque litterarum, ipſiusque diuinae artis poëticae rudes, rus potius loquebantur, quam roſas, et hinc foeda barbarie omnia conſpurcabant, adeo, vt eorum obſcura ſcripta Lecturis ſemper vere et vbique incedendum aut reptandum ſit per loca ſenta ſitu, denſas vmbras, noctemque profundam; nihilo minus tamen inani faſtu tumidi, haec amoena humanitatis ſtudia inhumaniter aſpernabantur, omnesque generatim poëtas, pro meris fatuis fatue habebant, non bene ſecum perpendentes, ſua etiam potiſſimum cauſa, longe plures eſſe fatuos, qui non ſint poëtae, quam quidem poëtas, qui ſint fatui; vnde nunc ad ipſos illos frigidos rigidosque poëſeos oſores eo facilius concludere licebit: qui nempe, vti dixi, poëtae non erant, et ta-

men

men etc. Iure igitur ſpretis ac contemtis raucis iſtis declamatoribus, nos interea laeti, ſecuri ac tranquilli, cum poëta cantemus:

Mihi parua rura, et
Spiritum Graiae tenuem Camoenae
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

Sed nolo nunc TE pluribus obtundere, mi *amabiliſſime Senex*, ne nimium TVA patientia abuſus videar, quod tamen, me non aduertente, iam fortaſſe factum fuerit; ſed ipſe noſti, ſenes vt plurimum garrulos eſſe, querulosque, ac citius finem viuendi inuenire, quam loquendi, aut ſcribendi. Accipe igitur quaeſo hunc ipſum meum librum, eo maxime animo, quo a me TIBI mittitur, hoc eſt, ſincero atque beneuolo. Non tamquam a viro docto, in vanam tantum oſtentationem, ſcriptum; ſed potius, tanquam a bono honeſtoque viro, atque candido veroque ſimul amico, quod omnino pluris eſt aeſtimandum; pulcherrime enim monente alicubi SENECA, *Magno quidem impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtia, laudatio haec conſtat!* O HOMINEM LITTERATVM! *ſimus autem hoc potius titulo ruſticiore* contenti: O VIRVM BONVM! Poſtremum ergo, nunc alloquor hunc ipſum librum meum, a me iam abiturum, TE que, auctoris ſui heu! nimis remoti loco, propius ſalutaturum, notis his poëtae, illius exulis ſuoque ingenio miſeri, verbis:

Parue, (ſed inuideo) ſine me, Liber ibis in vrbem,
Heu mihi! quo Domino non licet ire tuo.

 Ah!

Ah! vtinam per iniqua tempora, dubiam valetudinem, languidam fenectutem, aliaque impedimenta, ipſum comitari, tibique mea manu, meo oſculo et amplexu, ſimul offerre liceret! O qui complexus! o gaudia quanta tum nobis futura! heu! dura fata obſtant, et obſtiterunt nobis iam per triginta amplius annos. Noſti ipſemet *Amice dilectiſſime*, per omne hoc diuturnum tempus, nos iter molitos eſſe, ad nos inuicem videndos, amplectendos, et vltima eheu vice, in vita ſalutandos. Sed meditati tantum ſemper fuimus hoc deſideratiſſimum diu iter; nunquam vero proh dolor! re ipſa exſequuti ſumus, genio, neſcio quo maligno, aut fato ſiniſtro, nunquam non nobis contrario. Deinde me iam itineri iſti accinctum ac paratum ſubito oppreſſit horrida illa funeſti belli tempeſtas, quae per ſex amplius annos, in nos crudeliſſime deſaeuiit, adeo, vt tandem etiam cum vltimo vitae diſcrimine, moenibus ceu captiui, incluſi, diriſſimam obſidionem paſſi ſimus, quod, recte iudicante apud LIVIVM, Eumene, ipſo experto, *omnino in belli calamitate eſt miſerrimum.* Mox ad augendum meum dolorem, inſequutus filiae meae dilectiſſimae deſponſatae in longinquas oras abitus, quam ſuauiſſimam itineris ad TE inſtituendi, comitem mihi adiungere decreueram; intervenere poſt, vt fit, curae variae, publicae, priuatae ac domeſticae, quae omnem commodam proficiſcendi occaſionem nobis eripuerunt, et generoſum animi impetum repreſſerunt. Senes interea vterque facti ſumus, et quidem grandaeui, ſeptuaginta iam annorum et vltra, in ancipiti, imo praecipiti ſtantes, aut trepidantes; capitis noſtri niues, propinquae mortis gelidae hiemis nos admonent,

nent, et aetatem hanc noſtram properare ad vltimam ſuam metam, vitaeque noſtrae ſolem, emenſo longiore ſpatio, dudum feſſum proxime forſan declinare in occaſum. Mors non patitur moram, aurem nobis iam vellens, ait, venio. Sarcinae ideo ocyus ſunt colligendae, vt accincti ſimus, paratique, tanquam ex longa nauigatione in exoptatum portum ſubito venturi. Heu! non licet nobis amplius ſpes inchoare longas, rapiamus ergo praeſentes dies fugaces, rapiamus inquam, horas fugaciores, imo rapiamus denique fugaciſſima horarum momenta, quam minimum creduli poſtero diei aut inuidae infidaeque aetati. Maturemus igitur iter noſtrum feſtinanter et rapide, non ſegniter et delicate, priuſquam iter illud longum ac poſtremum nobis ſit ingrediendum, vnde negant redire quenquam. Forte Deus noſtrûm tandem miſertus, nos diu diuulſos ac diſiunctos benigna vice ſorteque in vnam ſedem reducet, ad extrema nempe oſcula carpenda. TE cum, mi RICHTERE, viuere amem, tecum obeam libens.

Interea vero, quantulumcunque nobis forte vitae precariae ſpatium a diuina indulgentia adhuc prorogabitur; id ſodes, cum CICERONE agamus, *vt, ſi eſſe vna minus poſſimus, ac quidem vellemus, animorum tamen coniunctione iisdemque ſtudiis ita fruamur, vt nunquam non vna eſſe videamur.* Quod ſi autem contra, ſors mea fatalis, fortaſſe citius exitura ſit, quam tua; tum ne indefletum, nec inhonoratum quaeſo, ſinas amicum TIBI per omnem olim vitam, deditiſſimum, nec ipſum cum nobili illo poëta, manſuris tuis chartis inornatum ſileri patiaris; quin potius vitam morte ereptam ipſi benigne reddas Elegis prae-

ſertim tuis aeternum victuris, quibus nihil facile mundius, venuſtius, limatius atque preſſius: Muſa enim TVA quenquam a TE laudatum mori omnino vetat. Quo facto, nihil gratius iucundiuſque ad meam vmbram perueniet, *quam pauca* RICHTERI *mei verba, ſed a pleno venientia pectore veri.* Commode igitur hic mihi iterare liceat, preces illas a BVCHNERO quondam noſtro, ad OPITIVM ſuum, magnum illum et primum Poëtam, directas: *ſi quid nobis acciderit humanitus, tamen Frater optime, memoriam noſtri comiter habebis, et dabis operam, vt beneficio calami tui, parte aliqua, ſuperem.* Haec ille ad OPITIVM *primum*; Haec ego ad te, OPITIVM *alterum.* Sed plura heu! intimus animi fracti ſauciique dolor ac moeror iam prohibet. Ideo nunc tandem Vale o deſiderium meum ac delicium! o animae dimidium meae! o rariſſimi cariſſimique amici exemplum incomparabile! Vale, inquam, et interea ſemper recordare *Trilleri* tui, RICHTERI ſui perpetuum memoris, ipſiuſque memoriam ſeriſſime demum cum Vita ipſa, depone! Ah! ſalue aeternum mihi, aeternumque Vale! Scribebam moeſtus, Wittebergae, D. X. Februar. ipſo *Natali meo ſeptuageſimo ſecundo.* Anno CIↃ IↃCCLXVI. quo, vti ipſemet probe noſti, ante Quinquaginta annos, quondam inclyta Academia Lipſienſis me ſummis in philoſophia honoribus condecorauit, quae, vt ille ſepienter ait, *Mentis debet eſſe Medicatio, et Meditatio Mortis.*

LECTV-



LECTVRIS

S.

CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE.

Non dubito, fore permultos, qui, cum Illustris Viri, adhucdum inter viuos agentis, Opuscula haec a me curata et edita esse legent, haud parum mirentur. Quamuis igitur ea res apud bonos nulla magnopere excusatione indigere videatur: tamen cum nemo facile, etiamsi optima quaeque curet, ab omni inuidentium liuore et obtrectatione tutus esse possit, placet paucis exponere, quibus demum adductus causis quaue occasione a Celeberrimo Auctore petierim, vt varii argumenti scriptiones, a multis retro annis seorsim et sparsim editas, in vnum volumen colligere, eiusque edendi curam mihi committere vellet. Res vero fere habet sic. Cum ego inde vsque, ex quo et Medicinae et aliarum artium doctrinarumque studiis animum addixi, satis intellexissem, non facile quenquam posse ad doctrinae maturitatem non contemnendam adspirare, nisi animum, primis doctrinarum et artium principiis

cipiis

cipiis imbutum, protinus ad Veterum libros studiosius legendos converteret: ipse non iis tantummodo sedulam operam nauaui, sed, cum in iis multa dubia, difficilia et obscura, multa deprauata deprehenderem, ex Recentioribus quoque diligentius versaui scripta eorum, qui Antiquorum libros commentando, emendando, explicando et illustrando prae caeteris inclaruerunt. In illis autem longe eruditissimus TRILLERVS *est etiam clarissimus. Eius igitur scriptiones, ornatae illae, et vberrima multiplicis lectionis copia iucundaque varietate plenae ac fere abundantes, ex iisdemque maxime hae, per quas aut Veterum locis obscuris lucem intulit, aut alia lectu iucunda et scitu necessaria de iis proposuit, mihi mature innotuerunt, quamuis non omnibus aeque facile licuerit compotiri. Accidit autem, vt, cum Virum Illustrem anno superiori Wittebergae inuiserem; liberaliterque habitus, inter varios sermones mentionem quoque iniicerem de vtilitate et iucunditate atque raritate priorum ex doctissimis eius scriptionibus, earumque desiderio non paucos teneri asseuerarem, vna mecum adesset* FLEISCHERVS, *Illustris Auctoris gener, vir honestissimus. Is ergo ad verba nostra sumtus descriptioni suggerendos vltro offerebat; ego vero, cum Vir modestiae studiosior non tanti putaret sua,* FLEISCHERI *precibus meas iungebam, et curam editionis, si mihi ea quidem demandaretur, praefandique munus memet suscepturum pollicebar. Precibus tandem nostris victus Venerabilis Senex conditionem accepit, sic tamen, si ego et promissis starem, et omne quoque huius rei consilium a me profectum esse palam profiterer. Quorum nihil detrectaui, confidens plane fore, vt bonarum litterarum et veteris Medicinae cultores mihi gratias habituri essent, si tot libellos paucarum chartarum, quos sparsim extantes post paucos annos nusquam reperire licuisset, non modo in vnum collectos, sed auctos etiam (nam id Illustris Auctor simul promittebat) ornatioresque expositos haberent, et legere possent. Quae quidem spes cum vana non sit, nulla am-*

plius

plius commendatione praefationisque prolixitate opus esse videtur. Ne quis tamen Auctoris amore tantummodo dicta a me illa esse putet, non alienum erit, hoc loco quaedam proponere, quae his, qui Veteres eorumque Commentatores doctissimos non ita, vt par et aequum est, legunt et appetunt, stimulos addant, qui eos faciant appetentes. Quodsi hac opera mea fuero consecutus, erit, de quo vehementer gaudebo. Dolent enim omnes litterarum fautores, in plurimis adeo iam frigere earum studia, vt, nisi a paucis foueantur et excitentur, tantum non emori videantur. Ac iure sane et merito illi dolent. Nam doctorum hominum monumenta, paucis ante nos seculis edita, eorumque temporum historiae docuerunt, desertis litteris neglectisque Antiquorum libris, artes ipsas et doctrinarum studia inculta esse et relicta, neque denuo coli, vitamque quasi recipere potuisse, antequam bonae litterae renascerentur. Neque vanus metus est, ne, si Veterum lectio prorsus negligatur, spissae denuo tum caeteris artibus, tum vero maxime salutari obducantur tenebrae. Haec enim cum in vsu potissimum et experimentis posita sit, nec tamen vnius vel paucorum hominum aetas ad capienda experimenta colligendasque obseruationes, et condendas morborum historias sufficere queat; ars profecto salutaris non potest non maximum capere detrimentum ex neglectu eorum librorum, qui multorum seculorum obseruationes, et longo vsu confirmatam medendi rationem continent. Quam tristis fuerit artis conditio ante eius per restauratas litteras emendationem, IANVS CORNARIVS *docet in praefatione Versioni librorum* PAVLI AEGINETAE *praemissa. Imo vero etiam post illarum restaurationem, cum Medici non, vt debebant, illis veterum monumentis vterentur, optimas subinde medendi vias ignorarunt, hominibusque, cum salutem vellent, pestem attulerunt. Quod vel ex eo solo intelligi potest, quod* AMBROSIVS PARAEVS *de sanguinis, cum impetu ex venis et arteriis maioribus ruentis, fluxu cohibendo memoriae prodidit. Ea enim*

aetate cum illam promptam et facilem medendi rationem, quae canalium deligatione fit, ad vnum omnes ignorarent, misere vulneratos aut medicamentis adurentibus et adstringentibus aut ferro ignito diu saepe et frustra excruciarunt, et tormentis affecerunt, sic vt ex ita ambustis, posteaquam tormenta illa iterum, iterumque admota pertulissent, vix vnquam tertia pars conualesceret, et id admodum aegre, quod ambusta vulnera difficillime ad cicatricem deducerentur. Ipse autem PARAEVS *se edoctum Dei numine arbitratur illam venarum arteriarumque deligationem, cum legisset apud* GALENVM, *ad sanguinis fluxum sistendum nihil esse praesentius, quam vasa ipsa, quorum ductibus fit ipsa fluxio, versus radices suas, hepar nempe et cor, religare. Sed ante* GALENVM, CELSVS *noster idem genus auxilii oratione perspicua admodum proposuit. Quot autem miseros per tot annos in tam truculentis bellis putas, ignorata illa medendi via, periisse? Sed fortasse dicent nonnulli, illis quidem temporibus lectionem veterum necessariam fuisse, nostris non esse, cum tot clarissimorum virorum opera erudita et eximia vbique terrarum venalia prostent, e quibus ea, quae Medici, artem facientes, impune nescire nequeunt, vbertim hauriri compendio temporis possint. Sed quamuis neminem laude sua fraudandum esse iudicem, et a patribus nostris libros Veterum diligenter lectos, ex iisdemque pleraque excerpta esse lubenter fatear; aetate tamen nostra fuere, qui a priscis admoniti, nouas vtilesque medendi vias ingrederentur.* RAVIVS *certe, homo Germanus, inter Batauos clarus lithotomus, cum calculi curandi rationem subtiliter excoleret, per* CELSI *lectionem se profecisse palam professus est. Cum nuper in Galliis viri periti nouum genus suffusionem oculorum curandi proponerent, id multis nouum visum est et inauditum; quod tamen ab* AVICENNA *luculentis verbis memoriae proditum est. „Nam homines quidem, inquit* AVICENNA, *habent vias „diuersas in exercendo curam aquae, quae fit cum instrumento, „ita,*

„*ita, vt quidam ſint, qui diſrumpant inferiorem partem corneae,*
„*et extrahant aquam per eam; et hoc eſt, in quo eſt timor, quo-*
„*niam cum aqua, quando eſt groſſa, egreditur albugineus.*„
Aqua autem AVICENNAE *interpretibus dicitur ſuffuſio ipſa, albugineus vero vitreum ſic dictum humorem ſignificat. Liquet igitur, non ita a prioribus excuſſa eſſe Veterum ſcripta, vt non ſubinde vtilia et pro nouis incognitiſque habita ex iis colligere liceret. Quae quidem ſpes etiamſi vana fuerit, verum tamen ſemper erit illud verbum,* „*Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquae*„ *dum recentiorum medicorum optimi et integerrimi quique, doctrinae medicae fontes puriſſimos in Antiquorum libris quaerendos eſſe, ingenue profitebuntur, ipſique auctores erunt ſuaſoreſque, vt iuniores, perceptis artis principiis, fontes illos ipſos adeant, nec ſolos riuulos ſectentur.* HERMANNVS BOERHAAVIVS *certe, at quantum nomen! medendi rationis fundamentis iactis in Inſtitutionibus medicinae, ab ſe monſtratam viam medendi ab* HIPPOCRATE, GALENO, ARETAEO *aliiſque Veteribus plane et accurate oſtenſam eſſe diſerte docet.* IOANNES DE GORTER *in praefatione chirurgiae repurgatae,* „*Morborum internorum,*
„*inquit, ſolida ſcientia cum rudi quadam duntaxat anatomica*
„*cognitione, qualem veteres poſſederunt, multo plus vitae et ſa-*
„*nitati confert (videlicet quam ſubtilior anatome aliaeque ſubti-*
„*litates theoreticae) cum non ſolum cognitionem morbi in viuen-*
„*tibus, verum etiam curationes ſiſtat. Cui hoc videtur para-*
„*doxon, comparet modo* HIPPOCRATEM *noſtrum in arte me-*
„*dendi cum hodiernis Anatomicis; is enim nullibi ſubtilitatem*
„*anatomicam crepat, ſed candide, quae in morbis detexit, me-*
„*moriae tradidit, et in chirurgicis fuit expertiſſimus. Neque*
„CELSVS *minus in chirurgia quam in cognitione morborum in-*
„*ternorum praeſtans fuit. Quibus grauiſſimis in arte medendi*
„*auctoribus ſatis colligi poteſt, cognitionem morborum externo-*
„*rum cum rudi intelligentia anatomica ſatis valuiſſe ad cogno-*

„ſcendos morbos et curandos eosdem, modo ſcientia ea vlteriori „obſeruatione practica in morbis internis confirmetur. Hoc ſi „quis neget, HIPPOCRATEM, CELSVM, GALENVM et multos „alios artis principes inſcitiae arguit, e quibus tamen ad hoc vſ- „que tempus ſcientiae medicae fundamenta petuntur.„ Poſſem nubem teſtium non minoris auctoritatis adducere. Omni enim aetate doctos et graues viros video de neglectu veterum librorum eſſe conqueſtos. GALENVS ſuo iam tempore ſcripſit: „Multa „inuenio ab antiquis ad vnguem demonſtrata, quae tamen hodie „a plerisque nec propter ignorantiam intellecta, nec propter ſo- „cordiam intelligi tentata ſunt. Et alibi, „Quinimo, inquit, „et inuidi nonnulli veterum libros vel abſcondunt, vel prorſus „abolent. Quidam vero id ipſum faciunt, vt, quae in ipſis ſcri- „pta vel tradita ſunt, ſua eſſe dictitent. Alii vero, quia, cum „ipſi in primis doctrinae lineis haereant, neque ſolidioris doctri- „nae Auctores exponere ſuſtineant, libellos nullius frugis compo- „nant Auctores miſerabiles.„ Cuius rei cauſam GALENVS rur- ſus alibi optime explicat, his vtens verbis. „Si quis Veteres negli- „git aut contemnit, neque proprie neque perſpicue interpreta- tur.„ Non autem luctor cum laruis. Nam iſtius farinae Scri- ptoribus, qui, vt SCALIGERI verbis vtar, omnia ſcire volunt et nihil legerunt, et quorum tamen inanis loquacitas animos iuue- num veluti peſtilenti quodam ſidere afflat, tantum abeſt, vt ca- reat aetas noſtra, vt potius abundet; quanquam et ſint, pauci quidem, qui HIPPOCRATI Magno, et Docto GALENO, aliisque, quas meruere, laudes reſtituant. Non ignoro, quoſdam dicere, Veterum diligentiam in rebus ad artis exercitium pertinentibus ſuſpiciendam quidem eſſe, eam vero, quae in contemplatione et cauſarum inueſtigatione poſita ſit, non vſque quaque eſſe laudan- dam. Sed haec ſors communis omnium fere et Auctorum et tem- porum eſt, etiam recentiſſimorum, vt theoria mutetur in horas. Percurras, mi Lector, artis medicae hiſtoriam; obſtupebis opi-

nionum

nionum monſtris, vt ſummam Medicorum inconſtantiam ſatis mirari non queas. Quorum memoriam non modo faſtidit mens, ſed horret et refugit. Nonne noſtra quoque aetate cum HERMANNVS BOERHAAVIVS, *adhibito acri iudicio, medicinam dogmaticam optime condidiſſe videretur, ſecuti ſunt, qui ea, quae Vir ſummus artificio mirabili et diligentia ſumma adſtruxerat, ſubruere conarentur, quo iure quaue iniuria, alii viderint. Habentque adeo et Medicorum opiniones ac libri fata ſua; neque alia eorum conditio eſt, quam veſtimentorum, vt* AVG. QVIR. RIVINVS, *Medicorum Lipſienſium decus quondam ſummum, in praefatione operibus* BALD. TIM. A GVLDENKLEE *praemiſſa monet, pilei magnitudinem mutabilem in rei exemplum faceta et eleganti oratione proponens. Quo quidem dictum a me putare noli, aut nihil omnino certi in principiis artium et doctrinarum eſſe, quod nuperrime aliquis, qui omnium minime debebat, dixit; aut tot eximia Recentiorum inventa in anatomicis, phyſicis, et chemicis nullius pretii, atque adeo ſuſque deque habenda eſſe. Attamen neſcio quomodo, poſt tot praeclara diligentiſſimorum hominum opera, fiat, vt cum* MORTONO *hodieque iis, qui de illis inventis nimis gloriantur, illud* FONTANELLI, *ex quinto dialogo priſcorum mortuorum cum recentioribus, reponi iure quodam poſſit, quod* ERASISTRATVS HARVAEO *obiecit. „Vos magis eſtis „Phyſici, at peritiores inde Medicos euaſiſſe inficior; aegros „enim eodem ac vos ſucceſſu ſanauimus.„ Sed de his quidem ſatis dictum ſit, ne nimia diligentia et ſtudio Veteres iunioribus commendandi nobis ipſis noceamus, neque idem nobis, quod olim* PROTOGENI, *nobiliſſimo pictori, accidat; qui, quod manum de tabula tollere neſciret, habitus fuit indoctior. Nihil igitur reſtat, niſi vt pauca quaedam de hac opera et cura mea dicam. Quo enim minus aut ſcriptiones has aut earum Auctorem pluribus laudibus proſequar, prohibet ſingularis eius modeſtia; quae quippe putidam in os laudationem vehementer auerſatur. Curam*

ram autem egi, vt, cum errores temerantium operarum in huius generis libellis deſcribendis vix caueri poſſent, eorum pauciores relinquerentur. Hos vero, qui forte inſunt, propediem notabimus. Superſunt enim ex Auctoris noſtri diſſertationibus quaedam, quae, quod, mercatus tempore aduolante, a feſtinantibus licet operis, nobisque vrgentibus, deſcribi ac perfici non poſſent, volumine ſingulari eodemque ſecundo concluſae et comprehenſae poſt paucas dierum ſeptimanas venum habeantur. In eius fine inuenies, quae in priori errata ſint. Ego vero nihil magis in votis habeo, quam vt Numen Benignius Auctori horum Opuſculorum doctiſſimo eas animi corporisque vires in ſenectute largiri velit, quae HIPPOCRATIS *editionem diu ſperatam et exoptatam nunc re ipſa molienti et inſtruenti, ad pertexendum, ſarciendum, et abſoluendum opus illud ingens, ſufficiant. Interim* TV, *mi Lector, his vtere et vale. Scripſi in Academia Lipſienſi in ipſo mercatus vernalis ſtrepitu. A. P. C. N.* CIↃ IↃCCLXVI.



CONSPE-

CONSPECTVS
DISSERTATIONVM
PARTIS PRIMAE
CVM IPSIS NOMINIBVS
CANDIDATORVM RESPONDENTIVM.



CON-

CONSPECTVS
EXERCITATIONVM MEDICO-PHILOLOGICARVM SEV PROGAMMATVM, PARTIS SECVNDAE CVM IPSIS CANDIDATORVM NOMINIBVS.

OPVSCV-

OPVSCVLORVM
MEDICORVM
PARS PRIMA
COMPREHENDENS
DISSERTATIONES.



DISSERTATIO MEDICA PRIMA.

DE

FAME LETHALI

EX CALLOSA

ORIS VENTRICVLI

ANGVSTIA.

PROOEMIVM.

Vna tantum naſcendi lex propoſita eſt cunctis mortalibus; mille autem moriendi neceſſitates iiſdem ſunt impoſitae, adeo, vt hinc, ex quorundam veterum Philoſophorum opinione, natura ipſa circa hominum finem operoſior atque ingenioſior fuiſſe videatur, quam circa eorundem ortum atque progenerationem. Inde igitur SENECA Pater *Lib.* III, *Controuerſ.* XVI. et *Lib.* VII, *Cont.* I. iam olim, ita haud praeter omnem rationem, conqueſtus eſt: *Multas rerum natura vias aperuit, et multis itineribus fata decurrunt: et haec eſt conditio miſerrima humani generis, quod naſcimur vno modo, multis morimur: laqueus, gladius, praeceps locus, venenum, naufragium, mille aliae mortes inſidiantur huic miſerrimae animae.* Qualia etiam in hunc ſenſum plura leguntur paſſim, apud PETRONIVM, *Cap.* CXV, PLINIVM maiorem, *Lib.* VII, *cap.* I. et LIII. VALERIVM MAX. *Lib.* IX, *cap.* XII. IV-

LIVM FIRMICVM, *Lib.* I, *Astronom. cap.* IV. HYGINVM, in *Fabulis*, PLVTARCHVM, AELIANVM, STOBAEVM, aliosque plures; pleni enim sunt vbiuis Veterum libri eiusmodi querelarum. Conf. huc inprimis IO. PRICAEI *Obseruat.* ad APVLEII *Metamorph. Lib.* XI. *p.* 687. sqq. vbi plurima veterum loca de his innumeris caducae humanae vitae casibus fortuitis, quam diligentissime congessit.

Bene autem hic addit SENECA *mille alias mortes.* Quis enim, quaeso, vel enumerare, vel coniectura tantum assequi valeat omnes illos innumeros fere numero casus subitos, repentinos, improuisos, insolitos atque inexpectatos, qui ab externa violenta caussa atque iniuria illati, miseros incautosque mortales, festinatis fatis, ante diem, ocyssime media e vita rapiunt, adeo, vt animi corporisque infirmo admodum filo cohaerens societas velocissime dirimatur? Plena quidem, vt notum est, eiusmodi fatalium casuum subitaneorum spatiosa sunt volumina et theatra sic dicta tragica, quae ingenti numero exposita patent oculis eruditorum; et tamen, quod merito dolendum, post vberrimam illam messem, residui adhuc spicilegii atque

materiae tanta abundat copia,
Labori faber vt desit, non fabro labor.

Hinc missis his, ad ipsos potius accedamus morbos, assiduos illos lethi fabricatores, vt belle ait LVCRETIVS, qui scilicet singulis fere momentis, perquam foecunda foetura, intra nosmet ipsos, progenerantur, totque tantisque copiis atque quasi cateruis, nos miseros infesto impetu quotidie adoriuntur, vt exactissimus eorum numerus vix, ac ne vix quidem, iniri queat. Inde et summus, post Deum, nostrae artis salutaris conditor, HIPPOCRATES, illos temerarios, qui certum morborum numerum definire frustra conati fuerunt, iam sua tempestate, haud immerito ita increpuit, in aureo Libro *de Victu Acutor.* haud procul ab initio: Ἔνιοι τοὺς ἀριθμοὺς ἑκάστου τῶν νουσημάτων σάφα φράζειν ἐθέλοντες, οὐκ ὀρθῶς ἔγραψαν. *Nonnulli singulorum morborum numeros clare et perspicue pronunciare volentes, haud recte scripserunt.* A qua verecundi et prudentis Senis verissima sententia haud longius abest Stoicorum Philosophorum princeps SENECA, in diuina fere *Epistola* XCV, perquam lepide atque acute, pro more suo, ita scribens: *Innumerabiles*

merabiles esse morbos, non miraberis; coquos numera! PLINIVS tamen maior, binis his maximis viris paullo audacior, omnes morbos ad exactiorem quendam numerum redigere ausus est, his quidem verbis, *Lib.* XXVI, *cap.* I. *Parum erant homini certa morborum genera, quum supra* CCC *essent, nisi etiam noua timerentur?* Sed *Libro* XXV, *cap.* III. siue poenitentia, siue verecundia, siue vtraque, ductus, mutata sententia illa decretoria, incertum potius, quam certum morborum numerum, ita posuit: *Qua quidem in reputatione misereri sortis humanae subit, praeter fortuita casusque, et nomina, quae omnis hora excogitat ad millia morborum, singulis mortalium timenda.* Quo et maxime pertinet grauissimum illud et verissimum ipsius ST. AVGVSTINI effatum, *Lib.* XXII. *de Ciuit. Dei, cap.* XXII. *pag.* 1087. *Iam vero de ipso corpore tot existunt mala, vt nec libris Medicorum cuncta comprehensa sint,* vbi vid. LVD. VIVES, in *not. p.* 1088. et inprimis LEON. COQ. *pag.* 1089. seq. Huc et SENECA, *Lib.* VI. *Nat. Quaest. cap.* XXVIII. *Inde subitae continuaeque mortes, et monstrosa genera morborum, vt ex nouis orta caussis.* Conf. et maxime ipsius *Epist.* 95. item CELSI *praefat. pag.* 5. et *pag.* 13. vt et PLVTARCH. *Sympos. Lib.* VIII. *Quaest.* 9. vere quoque et acute, et si breuiter pronunciauit DIO CHRYSOST. *Orat.* VI. *pag.* 91. ζῆν δὲ ἀνθρώπους νοσημάτων γέμοντας, ἃ μηδὲ ὀνομάσαι ῥάδιον: *viuere vero homines, morborum plenos, quos omnes ne nominare quidem facile.* Conf. et eiusdem *Orat.* XXX. *p.* 302. et *Orat.* XXXIII. *pag.* 409. Add. his e recentioribus Auctoribus IO. LANGII *Epist. med.* 13. *Lib.* II. CLAVD. SALMAS. *de Ann. Climact. pag.* 726. sq. DIEMERBROEK *Lib.* I. *de peste, cap.* 8. *pag.* 19. Not. HOFFMANN. *opp. med. Tom.* I. *pag.* 187. MATTH. ad HIPP. *de Dec. Orn. p.* 238. seq. aliosque plures, quos iam praetereo, praesertim LINNAEVM ac SAUVAGES, qui Catalogum morborum immane quantum auxerunt.

Recentiore autem aeuo, saeculo scilicet post Chr. N. XIV. decantatae illius arcanae artis aurificae seu verus possessor, vt multi prudentiores dubitant, seu vtnus iactator, vt plures contra adfirmant, ARNOLDVS inquam VILLANOVANVS, numerosas aegritudinum copias non intra hos angustos quasi limites timide coercuit; quin potius, liberius et vlterius excurrendo, atrum tristemque earum catalogum immane quan-

 tum

tum auxit, dum nempe morbis bis mille a ſe obſeruatis, additamenti loco, centum adhuc et viginti quatuor adiecit. Quod equidem tantopere mirandum haud videtur, modo quis ſecum reputauerit, in ſola illa tenerrima dulciſſimae lucis viſusque officina, in vnico inquam oculo, CXII. diuerſos morbos iam olim obſeruaſſe GALENVM PERGAMENVM, ſuperioribus autem ſaeculis, CXX. in eodem adnotaſſe RENATVM LAVRENT. BARREVM; et noſtro denique aeuo, longe adhuc plures detexiſſe et deſcripſiſſe celeberrimos ocularios, GVIL. COWARDVM, ANTONIVM, CAROL. DE SAINT YVES, THOM. WOOLHOVSIVM, TAYLORVM aliosque plures. Ipſe vero TAYLORVS, vt id obiter hic adiiciam, me ipſo tum praeſente, quum anno 1750. magna cum pompa, hic Wittebergae eſſet, ſpem, forſan incertam, Vitae Viſusque miſeris luce egentibus, daturus; ſed eo certius lucrum ex hac liberali et ſplendida promiſſione, ſecum ablaturus, CCCLXIII. morbos oculorum confidenter enumerabat, ingens eheu! et paene nimius numerus, ad vnius tantum hominis oculos turbandos ac vexandos; quod et de eodem Ophthalmiatro famoſo iam adnotauit ill. HALLERVS *in Commerc. Litt. Med. Norimb. de anno* 1734. *pag.* 354. Conf. huc et ill. MORGAGNI praeſtantiſſimum et vtiliſſimum opus, *de Sedibus et cauſſis Morborum,* praefat. ad *Libr.* IV. *pag.* 254. vbi hanc ipſam noſtram Diſſertationem laudat, quod et alibi ſaepius fecit in iſto eximio plane opere. WOOLHOVSIVM autem numeraſſe CCXL. oculorum morbos, obſeruat MAVCHART. in *Diſſert. de Scarificatione Oculorum.*

Quodſi igitur a parte ad totum, et ab vnico corporis membro, tot tantiſque morbis obnoxio, ad vniuerſum eiuſdem ambitum, concludendum fuerit; tum ſane illico, opinor, liquido patebit, nondum accuratum omnium morborum numerum eſſe definitum, nec omnes hactenus in iuſtum cenſum referri potuiſſe, in primis, quum noui indies et ſingulares morbi naſcantur, ſed inexplicabiles, diuerſi et multiformes, qui noua quaſi nomina ſibi adhuc quaerunt, nouaſque hinc ſibi medelas expoſcunt, adeo, vt inde tanta materiae vbertate inducti et inuitati merito fuerint Medici quondam clariſſimi, PETRVS SALIVS DIVERSVS, CAROLVS PISO, et praeſertim ARNOLDVS BOOTIVS, *de particularibus morbis, hactenus nondum tractatis,* item *de praeteruiſis huc*

vſque

vsque morbis, et denique *de affectibus omissis*, integros tractatus conscribere, et in commoda publica diuulgare.

Licet enim quamplurimis eiusmodi casibus insolitis, nouis et inobseruatis referti sint nimium innumeri paene obseruationum medicarum rariorum libri; nondum tamen exhausta penitus est praediues illa materia, quin semper nouum incognitorum hactenus morborum agmen vbiuis gentium late emergat, et funestum aegritudinum catalogum subinde largiter augeat atque amplificet. Quod vel inter alia innumera, bini illi rarissimi prorsus exempli casus, nec visi hactenus, nec prius descripti, manifestissime testantur, quos inimitabili fere elegantia, ordine ac industria, depinxit verius, quam calamo adumbrauit rediuiuus quondam, heu! quondam, in Belgio HIPPOCRATES, HERMANNVS inquam BOERHAAVIVS, Amicus et Fautor noster summus, dum fata Deusque sinebant. Quid autem, quaeso, mirum, nos iam quotidie nouos, et omni aeuo priore incognitos, morbos experiri, quando iam sua tempestate, de eiusmodi variis morbis nouis et ignotis, quos furiosa illa terrarum marisque vastatrix, luxuria, inauspicato, ceu totidem supplicia, inuexerat, quo, saginati quasi in poenam, carius perirent incauti mortales, acerbe conquesti sunt ipsi veteres a diis quasi adhuc recentes, nempe CICERO, SENECA, PLINIVS, TACITVS, PLVTARCHVS, PLATO, ATHENAEVS, AELIANVS, aliique plures? quibus et acute succinit VENVSINVS vates, Lyricorum princeps:

Macies et noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Sed legi in primis hic meretur hanc in rem venustissimi Latini HIPPOCRATIS, CORNELII inquam CELSI, egregius plane locus, e praefat. aeternum victuri *de Medicina*, operis: *Saepe uero etiam noua incidere genera morborum, in quibus nihil adhuc vsus ostenderit, vt ideo necessarium sit, animaduertere, vnde ea coeperint; ceu sine quo nemo mortalium reperire possit, cur hoc, quam illo, potius vtatur.* Hactenus iste Medicorum TVLLIVS.

Quodsi

Quodsi autem praestantes illi et sapientes viri, fatorum indulgentia, in hoc nostrum aeuum delati forent, adeo, vt suismet ipsis oculis contemplarentur, quot nouis insanabilibusque plerumque morbis nos miseri hodie infestaremur; tum sane et sui saeculi felicitatem haud dubie praedicaturi essent, nostri autem e contrario infelicitatem merito deploraturi.

Vt enim alia taceamus, ex nouo praesertim orbe non solum nouae opes, illa malorum irritamenta, nouaque aromata et odoramenta, ad nos, ex veteris nostri orbis contagio iam intercutibus vitiis madentes, transfretata sunt; sed et, quod merito dolendum, nouae simul pestes, morbique peregrini teterrimi et immedicabiles, nouaeque et repentinae mortis species, quin et atrocissima et inexpugnabilia venena, damnoso profecto lucro, ad nos exportata fuerunt, quasi videlicet parum ad interitus nostros, terra late pateret.

Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycae mortes, et fecimus Aspida mercem.

Bonos igitur mores marcida desidia et voluptuosa luxuria adeo sensim vitiauerunt, corporaque nostra torosa antea atque habitiora ita vna eneruarunt ac effoeminarunt, vt insoliti morbi, subitae mortes, et intestata senectus, exinde nunc frequentius apud nos exoriantur. Ipsa denique tenerrima et artificiosissima vniuersi corporis nostri machina ex innumeris paene partibus particulisque scite composita, per se, tot tantisque casibus perpetuo patet, vt nulla in ea sit fibra, nulla vena, nullus tubulus, nullum denique vasculum tam exiguum atque exile, quin, vbi quid ex iisdem, distortum, contractum, obstructum, vel quocunque demum modo deprauatum fuerit, inexsuperabiles morbi mortesque ineluctabiles exinde aboriri facile possint.

Quod licet mille exemplis e solertiorum Medicorum obseruationibus collectis, nullo paene negotio, ostendi et confirmari posset; in praesenti tamen, ex amico breuitatis studio, vnus tantum, isque singularis plane et perquam rarus casus, ad istud probandum, sufficiat, qui paullo plenius, Lectorum pace, enarrabit gulosi cuiusdam helluonis miseranda et truculenta fata, quem medias inter lautissimas epulas, et suauissima

mollioris

mollioris potius, quam melioris, vitae blandimenta, dira tamen atque crudelis fames acerbiſſime oppreſſit, vitamque eius in medio curſus ſui ſpatio, ante diem, atrociſſime abrupit.

Supremum autem, quod omnia moderatur, Numen ſupplices oramus ac obteſtamur, vt huic noſtro labori, in ipſius potiſſimum gloriam, deinde artis ſalutaris incrementum, et aegrotorum denique emolumentum, a nobis ſuſcipiendo, ſecundos proſperoſque ſucceſſus clementiſſime velit elargiri.

CASVS SINGVLARIS
A
PRAESIDE IPSO
ANNO CIↃ IↃ CCXXXII. OBSERVATVS.

Vir quidam nobili genere natus, annorum XXXVII. opibus fortuna relictis, haud labore partis, abundans, pinguioris aqualiculi iuxta ac ingenii, et ingenioſioris gulae, quam capitis; erat nempe ex iſto deſidioſo hominum male viuorum genere, qui viuunt potius, vt edant, quam edunt, vt viuant, et propter ſola conuiuia nati eſſe videntur: Hic, inquam, nepotum altiſſimus gurges, iam ab aliquot retro annis, grauem quandam glutiendi moleſtiam ſecum perceperat, praeſertim, quoties ſolidioris quid cibi in vacuum demittere ſtomachum vellet.

Tunc enim primum confuſus, et inſoliti affectus nouitate quaſi attonitus, animaduertebat, alimento non libero et iucundo lapſu in eundem deferri; ſed potius in primo veluti itinere, pertinacius haerere, et in ipſo aditu aliquamdiu acrius luctari: donec tandem aliquo poſt tempore, vel difficillimo niſu, ſenſim deſcenderent, vel, quod ſaepius accidebat, violentiore vomitione, cum ſudore frigido, capitiſque acerbo dolore, ſemeſa et indigeſta redderentur; adeo, vt ſaturum eſſe, liberet quidem, mox tamen ſaturum eſſe, ob ſummos angores et moleſtias, rurſus pigeret.

Quod quum tanti adhuc mali ignarus, ceu leue quid ſuaque ſponte iterum mox tranſiturum, ab initio contemſiſſet; inualeſcente tamen in dies auctis ſubinde viribus, moleſtiſſima illa cibos detru-

dendi difficultate, non omnia hic tuta esse, moestus anxiusque recte coniecit.

Tum igitur, ancipiti mentem formidine pressus, serio circumspicere coepit sera nimis Medicorum consilia et auxilia, vt scilicet insidiosum illum hostem, adhuc incognitum, liberiorem ciborum ingestorum descensum ab aditu importune arcentem, promta strenuaque manu, extemplo abigerent et expugnarent. Aegerrime enim omnino ferebat, tantopere adamatam gulam iugulumque sibi ipsi nunc peti, in cuius tamen voluptuosa pastione vnicum quasi totius vitae suae tabernaculum hactenus firmiter collocauerat.

Verum haec omnia vano consilio speque inani sic agitabantur; quoniam nempe morbi non intellecti nulla erat curatio speranda. Quo magis enim arte medendi pugnatum fuit a peritissimis artis salutaris magistris, a remotissimis fere mundi angulis, ingenti sumtu, frustra arcessitis; eo minus tamen laudabili conatui respondebat laetabilis euentus. Exitium enim superabat opem, quaesitaeque potius nocebant artes, adeo, vt omnes salutiferi auxiliatores, postquam varia, nunc bene, nunc male, tentassent, inglorii hinc discederent.

Quin potius eousque quotidie increscebat insuperabilis mali dira saeuitia, vt, quoties ad mensam lautis admodum opiparisque dapibus onustam ministeriisque instructam, accederet hic helluo miserrimus, toties ad cibos capiendos adeo vsque inhorresceret, vti ad formidatas aquas intremiscere, foedo spectaculo, solent a cane rabioso clanculum admorsi. Acerrimis enim licet stimulis vacui ventris impulsus, nihil tamen in tanto ciborum lautiorum apparatu vsquam reperiebat, quo latrantem stomachum lenire posset; immo potius gulosis quasi oculis, inter lamentabiles questus et lacrimosa suspiria, adpositas dapes, inani saltem pastu, ventriculo ipsi nihil profuturo, deuorabat,

Epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu: Furiarum maxima iuxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas.

Ipsi igitur melioribus ferculis alias adsueto, ad vitam miseram vtcunque sustentandam, mortemque ipsam aliquantisper adhuc arcendam, confugiendum denique vel inuito, fuit ad liquidissimas solum sorbi-

ſorbitiones, quas tamen et ipſas tanta quidem cum moleſtia et anxietate, per lentiſſima interualla et temporis ſpiramenta, ſubinde ſenſim ingeſſit, vt vel duodecim tantum earundem cochlearibus exſorbendis, longiſſimum ſex ſeptemue horarum ſpatium aliquando vix ſufficeret: obortis tamen interea ſimul crebris vomendi conatibus, tetris artuum tremoribus, ſudoribuſque tractuoſis, fronte potiſſimum, tergo atque pectore, ingenti copia expreſſis.

In hac denique deplorata rerum ſuarum conditione, me quoque ipſum, vix tum e longinqua peregrinatione reducem, acceſſit, monteſque aureos, immo dimidiam bonorum ſuorum haud mediocrium partem mihi munificentiſſime pollicitus, querulo ore, irriguo fletibus vultu, et ſubmiſſo paene poplite, per omnia ſacra me rogabat, vt ſibi mortalium omnium miſerrimo, et foeda, nec voluntaria fame proxime perituro, quantumcunque poſſem, opis quid adferrem, obturatumque hucuſque per quaedam praepedimenta ſaeua incognita, oſtium, cibis capiendis alias liberum et apertum, auxiliatrice manu potenter reſerarem, neque vllis proinde parcerem ſumtibus, ad ſalutarem illum ſcopum citiſſime conſequendum: ſe quippe malle omnino pane ſecundo ſiliquiſque, pauperem viuere, quam fame opulenta, diuitem interire.

In hunc autem fere modum, iſtum ſuum atrocem inſolitumque affectum viuide ſatis deſcribebat: ſcilicet ſeſe omnes oblatos cibos perquam commode et ſine vlla offenſa, ab initio, demittere poſſe, aſt, vbi recto curſu per gulam deſcendiſſent, tunc denique omnes ſimul immotos plane perſtare, neque vllam amplius eoſdem detrudendi poteſtatem ſibi ſupereſſe; poſtque ſubito oriri dolores acres preſſione quadam grauantes vehementes vomendi conatus, et perpetuas praecordiorum anxietates ſudore ſaepe frigido comitatas. Hinc igitur ſeſe iure vereri, ne oppoſitum forſan ſit ipſi quidem ventriculi oſtio aliquod peregrinum et inſolitum repagulum, aut remoramen, quo cibi per gulam demiſſi ab vlteriore in ſtomachum ipſum introitu violenter arceantur, et contra, turbato naturae ordine, repulſi, ad ſuperiora retro agitentur.

Quibus omnibus id etiam denique addebat, ſeſe per omnem fere vitam, niue atque glacie adeo ſupra modum, delectatum hactenus

 fuiſſe,

fuiſſe, vt per omnes aeſtiuos dies, et potionibus niuatis, et bellariis glacie conditis, largiſſima copia ſeſe quotidie impleuiſſet; quo ſcilicet nouum voluptatis ſenſum reciperent fauces quaſi emortuae et cibis ardentibus occallatae. Interim tamen minime credere, veram et vnicam hanc eſſe cauſſam tam funeſti euentus, quin alium potius ſubeſſe fontem, quo iſta clades ſit deriuanda.

Ad quae ego, quum alte ingemuiſſem, occidit, occidit ſpes omnis eheu! mecum tacite exclamaui, ipſique perquam exigua ingentis luctus ſolatia dedi, quoniam ex hactenus relatis facile colligere et praeuidere poteram, fida iamiam experientia aliquoties probe edoctus, ſuperius ventriculi oſculum ita ſumma vi eſſe conſtrictum, coarctatum, longoque temporis tractu, adeo vſque intractabile fuiſſe factum, vt nulla amplius medicina locum commode habere poſſet; ſed omnia nunc potius deſperata et penitus conclamata eſſent.

Ideoque ipſi exitio iam ſuo quaſi deſtinato, ſuſpenſis non nihil ac obſcuris verbis, vltimam propemodum neceſſitatem denunciaui, atque, ne ſeſe vanis longioris vitae blandimentis fruſtra amplius induci pateretur, ſerio monui.

Ne tamen exſpes plane a nobis dimitteretur, ipſius rogatu, praeſcripſi, quaſi in ſpeciem, clyſmata quaedam, ventrem flatibus turgidum commode exoneratura, nec non externa fomenta atque epithemata delenifica, quibus atrox malum, ſi non penitus tolleretur, quod nempe nulla amplius medicina, vt modo dixi, efficere poterat, at leuaretur tamen aliquantum et mitigaretur: quod et per aliquod tempus, ita vtcunque ſucceſſit ac profuit.

Neque tamen multum poſt fefellit triſte noſtrum augurium: anno enim nondum plene exacto, miſellus iſte homo in tam diras duraſque demum anguſtias redactus fuit, vt itinere illo cibario interea penitus clauſo et obſepto, ne minimam quidem vel tenuiſſimae ſorbitionis particulam, in debilem tantum vitae ruentis fulturam, intromittere amplius poſſet. Et miſerandum ſane erat ſpectaculum cunctis, quum cibos, hauſtus, et omnia vitae oblectamenta imperioſa fames ſimul faſtidiret, et poſceret.

Hinc

Hinc exhauſto ſic per longa ieiunia, omni paene ſpiritu vitali, famiſque pluſquam Eriſichtoniae lentitudine, viribus ſenſim fractis et confectis, animam tandem ieiunam indignantemque cum gemi u reddidit, magnas inter opes inops, et medias inter luxurioſas dapes famelicus. In cuius enim plura poſcentem ventrem Lucrina conchylia, Afra auis et attagen Ionicus hactenus, rabida cum voluptate, deſcenderant, vt cum poëta loquar, is inquam fatali neceſſitate eo demum miſeriarum adactus fuit, vt ad tenuem ſpiritum ſuſtinendum, mortemque differendam, ne minimam quidem panis molliſſimi buccellam ingerere amplius valeret, ſicque luxurioſae gulae promeritas quaſi poenas daret, qui antea per eandem, nimia liguritione, peccauiſſet.

Sic corpus clade horribili abſumtum extabuit.

Aperto autem poſt fata, cadauere, rugoſa macie horrido et ſola lurida cute tecto, illico dictis noſtris aut diuinationibus vera conſtitit fides. Namque mox cum ingenti Viſorum praeſentium ſtupore, deprehenſum liquido fuit, in ventriculo flatibus congeſtis, veſicae ad inſtar, diſtento, ſuperius eiuſdem os ita a naturali et conſueto ſui ordine monſtruoſe deflexiſſe, vt potius cartilagineam, immo paene oſſeam naturam iuduiſſe videretur, tanta quidem cum coarctatione, calloſaque duritie, vt ne ſummum quidem ſpecilli acumen, aut extrema pennae ſcriptoriae pars, niſi ſuprema vi adinota, per iſtud anguſtatum nimis maleque peruium oſtium, in ipſum ventriculum commode demitti poſſet.

Immo adeo vſque durum atque renitens repertum fuit exiguum illud atque contractum ventriculi oſculum, vt vix ipſius acuti ſcalpelli acie diſcindi a chirurgo potuerit, ſtupentibus cunctis, atque hinc ineluctabili fato merito ingemiſcentibus.

Sic enim manifeſtiſſime patuit et mali inexpugnabilis immenſa magnitudo, et vanum infructuoſae medicinae conamen, et veridicum denique futuri triſtis euentus praeſagium, ipſa nempe experientia et oculata quaſi fide, affatim confirmatum. Iſtud namque latens malum opinione prius, quam oculis, et ſuſpicione ante, quam manibus, deprehenderamus.

RESOLVTIO HVIVS SINGVLARIS CASVS CVM QVADAM EPICRISI.

§. I.

Adeo vſque miſera, fluxa et caduca humana eſt natura, totque ac tantis caſibus ac viciſſitudinibus perpetuo patet, vt aerumnoſum mortalium genus ſemper quaſi ſub ictu ferali trepidet, diſtrictumque enſem ſuper fragili ceruice pendentem, ſingulis fere momentis, extimeſcat. Intra vero noſmet ipſos, quod tanto profecto peius, ſaeui iſti ac inſidioſi noſtrae precariae vitae hoſtes atque tyranni, veluti arbores occulto aeuo, naſcuntur, atque a nobis ipſis, plerumque tamen inſciis, aluntur, fouentur atque ſuſtentantur, donec collectis ſenſim viribus, ſubito ferociſſime prorumpant, atque omnia circum ſe late deuaſtent ac depopulentur.

§. II. Nimirum corpus nobis circumiectum, ſupremum iſtud atque luculentum diuinae maieſtatis opificium, ex partibus ſolidis fluidiſque, ſiue, vt vulgo loquuntur Medici, continentibus ac contentis, artificioſiſſime et inenarrabili prorſus ſapientia, compoſitum eſſe atque conflatum, inter omnes, putem, conſtat. Inde vix neceſſarium videtur, ſpatioſum earum Catalogum hic operoſe nimis, ad fluentem vſque nauſeam, pertexere, crambemque toties coctam recoquere.

§. III. Haec autem fluida ſolidaque ita inter ſeſe comparata atque aequali naturae lege diſtributa ſunt, vt amicabile et adiutabile conſortium ſemper ineant, ſibique inuicem mutua officia praeſtent, quo nempe exinde ſanitas, omnium rerum mortalium pretioſiſſima, intemerata conſeruetur, ipſiuſque vitae ſpatium ad ſeram vſque ſenectutem, ſi pote, prorogetur.

§. IV. Verum tam miſeranda noſtrae humanae machinae eſt conditio, vt innumerae propemodum cauſſae caſuſque tam intus, quam extra, quotidie, immo ſingulis fere horis, incidere et oriri poſſint, quibus utrarumque iſtarum partium infirmo admodum vinculo cohaerens

ſatietas, ſi non plane dirimi, at facile tamen, maximo cum ſanitatis et ipſius vitae detrimento, relaxari et interturbari queat.

§. V. Calida nempe iuuenta, frigida et effoeta ſenectus, ingluuioſa nimium et licentioſa victus ratio, immodicus vini veneriſque vſus, importuniores animi agrotantis affectus, caelum nocens et graue, inſalubris aër et ager, ancipites et venenoſi cibi, aquae amarae, aſperae, coenoſae, paludoſae, tabo infectae, mortiferae, morbi ipſi innumeri ſua ſponte nati, nec humana culpa contracti, et mille aliae cauſſae, quas memoria vix ſuggerere omnes valet, vtraſque illas partes, praeſertim tamen fluidas, adeo vſque continuo, velut agmine facto, exagitant, conturbant ac deprauant, vt inde profecto vel maxime mirum ſit, miſellum hominem, inter tot continua aeſtuoſiſſima turbamenta tam interna, quam externa, vnum ſaltim diem, nedum complures annos, ſaluum ac incolumem viuere poſſe, aut adeo extremam canae ſenectutis lineam attingere valere. De quo ſtupendo paene miraculo vid. paſſim HOFFMANN. item STAHLII *ſched. de mixti et viui corporis vera diuerſitate*, vt et in *Theoria medica vera p.* 53. *ſqq.* praecipue vero KVNDMANN. in *Rar. Nat. et Art. Sect.* III. *obſ. med. ſingul. Artic.* XVI. *p.* 899. et *Artic.* XXVII. *p.* 1010. *ſqq.* Conf. et Cel. HALLERI *praelect. Acad. Boerhaau. Vol.* II. *pag.* 335. et *poem. noſtr. Tom.* IV. *pag.* 27. *in Not.* et *pag.* 464. vt et *Tom.* II. *pag.* 482. in *Not.* quibus add. DIONIS CHRYSOSTOM. *Orat.* XXX. *pag.* 302. vbi locus elegantiſſimus, qui huc maxime ſpectat.

§. VI. Fluidae autem iſtae partes plerumque ex duplici cauſſa et ratione vitium contrahunt, nimirum vel ex quantitate, vel denique ex qualitate.

§. VII. Quantitas igitur earum vel nimia eſt ac ſuperflua, vel rurſus minima et praeparca, ita, vt in vtramque partem, iuſtum ſic vbique deficiat aequilibrium, in quo tamen vnice conſiſtit ipſa ſanitas.

§. VIII. Si itaque nimia eſt ac exuberat, tum vaſa atque canales, quibus illa fluida continentur, mox vltra modum, copioſiore eius affluxu opplentur, grauiore mole premuntur, diſtenduntur, expanduntur, et hinc ſaepius rumpuntur et dilacerantur. Corpus autem ipſum vna, foeda ſaburra ac inerti ſagina praegrauatur, ſuſpectiſque quaſi bonis obruitur, adeo, vt inde repentini morbi et ſubitae mortes frequentius oboriantur.

§. IX.

§. IX. Sin autem ista quantitas contra aequo contractior fuit et circumscriptior; tum vasa illa seu receptacula, iusta fluidorum mensura haud repleta, nec satis irrigua, sensim concidunt, flaccescunt, contrahuntur ac interarescunt, adeo, vt ipsum exinde corpus humoribus defectum, viribusque desertum, pedetentim frangatur et depascatur.

§. X. Fluidorum vero qualitas potissimum deprauatur, quando vel in glutinosum lentorem compingitur, vel contra in aquosam aut pituitosam colluuiem resoluitur, vel in mucidam vappam hebetatur, vel in edacem acrimoniam exacuitur, vel aliis denique modis inuertitur, ac in peius mutatur. Vnde nempe diuersi morbi, acuti pariter ac longi et diuturni, pro diuersa scilicet istius vitiatae qualitatis ratione, et conditione, progenerantur, qui vel cito finiunt, aut finiuntur, vel e contrario, per ambitiosiora longi temporis spatia exporriguntur, ac lenta tabe marcescentia corpora conficiunt.

§. XI. Non tamen hae ipsae fluidorum mutationes vitiosae ita vbiuis comparatae sunt, vt omnis prorsus medelae sint impatientes: quin potius adhuc per Dei gratiam, nonnulla supersunt valentiora auxilia et praesidia aduersus illas directa, quae vel ex ordinatiore et prudentiore diaeta, vel e laboriosa arte gymnastica nitidaque palaestra, vel denique e selectiore apparatu medicamentario commode peti, et a Medicorum artis peritorum solertia in vsum oportune aduocari possunt.

§. XII. *Tenuis enim homo*, ex salutari et sapienti CORNELII CELSI consilio, *Lib. I. cap.* 3. *implere se debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens siccare, siccus madefacere*, vel ex simillimo facundi QVINCTILIANI praecepto, *Declamat.* VIII. *Si viscerum nimius ardor stricta circa se membra durauit, adhibe remedia laxantia; Si fluitat nimiis aeger humoribus, praesto sint, per quae, pressis clusisque venis, in nouas vires corpus arescat. Si parum prodest abstinentia, rursus ciborum qualitate foueatur. Si spiritus receptis premitur alimentis, ad puriores meatus ieiunio fameque tenuetur.* Quoniam nempe, teste VEGETIO, *contraria nonnisi contrariis medicinis, curantur.* Quod tamen vnicum solidissimumque rationalis medicinae fundamentum hic ab vtroque laudatum, desumtum est ex ipso medicorum maximo et naturae peritissimo indagatore, HIPPOCRATE; cuius hanc in rem egregia prorsus

loca-

loca sedulo legi merentur in libris bonae frugis plenissimis, de *Natura humana, de Locis in homine, de Morbis epidemicis Lib.* VI. *de Diaet. Lib.* I. *de Flatibus*, et aliis, quae hic digito potius solo indicare praestat, quam operose exscribere, quoniam scilicet alterius sunt loci et temporis. Vid. interim, si placet, *poem. nostr. Tom.* VI. *pag.* 573. *in Not. ad Epicedium* ILL. MEADII, vbi vberius et exactius de summa ista prudentia medica et sanitatis iusto aequilibrio tractauimus.

§. XIII. Haec interim pauca de partium fluidarum immutationibus ac affectationibus morbosis, maioris potius ordinis, et lucidioris perspicuitatis caussa, quam ex duro vrgentis necessitatis imperio, hic ideo, eum praesertim in finem, generatim praemittenda duximus, vt nempe nobis eo expeditiorem aditum pararent ad ipsam de partibus solidis, earundemque mirandis prorsus, saepiusque monstruosis a naturali ordine aberrationibus, tractationem, de qua nobis in sequentibus sermo potissimum est instituendus.

§. XIV. Partes autem solidas hic nos praecipue istas intelligimus, quae locum quasi intermedium obtinent inter durissima ossa, et ossibus rigida tenacitate fere proximas cartilagines, et nunc vel plus, vel minus, sunt molles, aut asperae, tenaces, aut friabiles, leues, aut graues, humidae, aut siccae, et quae id genus alia plura.

§. XV. Ista nimirum solida intermedia sunt omnia viscera, tribus illis notissimis ventribus, nempe capite, thorace, ac abdomine, comprehensa, scilicet cerebrum, cor, pulmo, hepar, ventriculus, lien, pancreas, renes, vesica, intestina et alia, item omnia vasa, arteriae, venae, nerui, canales lactei et lymphatici, glandulae, carnes, seu musculi, tendines, membranae, ligamenta, verbo, omnia illa instrumenta, sustentacula ac fulcimenta, quae mox in prima artificiosissima corporis fabricatione, tam mirando prorsus nexu inter se apta et colligata fuerunt, vt scilicet sanitatem ab omni offensa tutam praestarent, valido tenore omnia membra firmarent, atque ipsam, denique vitam tenuissimo pendentem filo, quantum liceret, perpetuarent.

§. XVI. Sed hae ipsae solidae partes, licet plerumque tam tenerae, tam lubricae, molles ac flexiles sint; tamen, quis credere ausit? ex caussis nondum ad liquidum perductis, nec vnquam, credo, perducen-

dis, adeo vſque ſaepiſſime a conſueto ordine et ſtata naturae lege deſciſcunt, vt in aliam prorſus atque inſolitam formam ac figuram mutatae, nunc in tenacem callum compingantur, nunc in ſolidam cartilaginem, aut rigidum os indureſcant, nunc denique, horrendum dictu et auditu, in aſperum lapidem obrigeſcant.

§. XVII. Hinc itaque in vniuerſo corpore humano, nulla fibra tam tenuis eſt, nulla vena et arteria tam flexilis, nullus neruus tam ductilis, nulla membrana tam tenera, nulla glandula tam friabilis, nullum ligamentum tam lentum, nulla caro tam ſuccoſa, nullum cerebrum tam glanduloſum, nulla lingua tam fungoſa, nullum cor tam muſculoſum, nullus pulmo tam ſpongioſus, nullum hepar tam laeue, nullus ventriculus tam villoſus, nullum omentum tam reticulatum, nullus lien tam textilis, nullus ren tam canaliculatus, nullum inteſtinum tam voluminoſum, nullus teſticulus tam glomeratus, nulla mentula tam cauernoſa, atque in molliore ac venuſtiore ſexu, nulla mamma tam teres ac delicata, nulla clitoris tam ſenſilis, nullus vterus tam flexuoſus, nullum ouarium tam veſiculoſum, et nullus denique foetus tam tener et exos; quin omnia illa et plura alia, ex rationibus omni mentis humanae indagini quam ſolertiſſimae plane incomprehenſibilibus, turbato rerum ordine, ingeneratam ſibi naturam ſenſim exuant, atque nunc in torpidum callum condenſentur, nunc in duras cartilagines, aut his duriora oſſa, ſolidentur, nunc denique, abominando prorſus ſpectaculo, in lapidoſas cruſtas indurentur, vt inde inexplicabiles ac immedicabiles morbi ſubito exardeſcant, morteſque inexſuperabiles rapidiſſima pernicitate ſubſequantur. Vnde forſan haud incommode huc illud trahendum SENECAE, *Lib.* III. *de Ira*, *cap.* 15. *Quaeris, quod ſit ad libertatem iter? Quaelibet in corpore tuo vena*: Quod tamen, praemollita duriore rigidi Stoici ſententia, ita potius inuertere liceat: *Quaeris, quod ſit ad morbum et mortem iter? Quaelibet in corpore tuo vena.* Verum haec obiter, et quaſi in tranſitu.

§. XVIII. Sed erunt fortaſſis hic nonnulli, vt ſunt incredula plerumque pinguiora mortalium ingenia, qui, tantarum in corpore noſtro mutationum prorſus ignari, omnia haec pro febriculoſis quaſi inſomniis, aut pluſquam anilibus deliramentis ſint habituri. Illi vero, meliora edocti,

nunc

nunc ſciant, nihil ficti aut mentiti hic traditum fuiſſe, ſed omnia potius diligentiſſimis praeſtantiorum Medicorum obſeruationibus valide innixa eſſe, quorum intemeratam fidem in dubium vocare velle, iniurioſum omnino nefas fore exiſtimamus.

§. XIX. Vt igitur dictis noſtris eo luculentior fides conſtaret, ſingularia quaedam et ſelecta exempla, ex immenſa fere obſeruationum medicarum congerie, huc transferre et in concinniorem paullo ordinem dirigere placuit. Vnde nempe liquido, vt ſpes eſt, apparebit, nihil prorſus in medium a nobis allatum fuiſſe, niſi quod firmiſſimis teſtimoniis, et inexpugnabilibus probationibus ſolide eſſet praemunitum.

§. XX. Ordiamur itaque, melioris ordinis gratia, ab ipſo capite, et quod intra eius ambitum praecipue reconditur, cerebro, Daedalea illa vitae, mentiſque ac ingenii officina. Illius autem craſſae membranae, ſiue durae ſic dictae matri, induratam quandam materiam et lapideam, inſtar rupis cuiuſdam inaequalem et aſperam, aculeis multis, et veluti cati vnguibus, conchyliis, variiſque figuris diſtinctam et variegatam, firmiter adhaereſcentem, vidit, deſcripſit et depinxit quoque, ISAACVS CATTIERIVS *Obſ.* XV. *Obſeruationum Medicinalium*, PETRI BORELLI *Obſeruationibus Medicophyſicis* ſub finem adiectarum, ex quo illud ſtupendum naturae miraculum, memoratu ſane digniſſimum, ſolita facundia repetiit elegantiſſimus Medicorum, NICOL. PECHLINVS, *Obſeruat. Med.* XLI. *Lib.* II. *pag.* 314. vbi ſimul id genus plura, quae huc praeſertim faciunt, ſcite obſeruata leguntur. Quin et ſex eiuſmodi oſſicula aſpera, ipſi adeo piae matri tenaciter inhaerentia, ſeſe conſpexiſſe, memoriae prodidit teſtis oculatus et fide hinc digniſſimus, THOMAS BARTHOLINVS, *Hiſtor. Anat. rar.* LXXXV. *Cent.* II. *pag.* 323.

§. XXI. Intra ipſius etiam ſeptum ſic dictum falciforme, oſſeam ſubſtantiam, immo et oſſicula quamplurima aſpera, ferrata et rupis ad inſtar inaequalia et acuminata, ſtupentes aliquoties deprehenderunt, LEONARDVS BOTALLVS, IOANNES AB HORNE, et modo laudatus PECHLINVS, *Obſeruat. Med.* XL, *Lib.* II. *pag.* 312. quae tota huc ſpectat et conferri ſedulo meretur, ac denique celeberrimus quondam noſter ADAMVS BRENDELIVS, praematuro fato huic Academiae noſtrae, ingenti damno, ereptus, *Obſeruat. Anatom.* VI. *Decad. pri-*

mae, vt alios iam taceamus, qui idem paſſim diligenter obſeruarunt. Conf. *Acta Med. Berolinenſ. Vol.* I. *p.* 44. *ſq.* et inprimis THOM. BARTHOLINI *Anat. Renou. Lib.* III. *cap.* 2. *pag.* 466. vbi ipſe ad ſuam ἀυτοψίαν prouocat.

§. XXII. Sed parua profecto adhuc loquimur: Ipſum enim adeo cerebrum, molliſſimum illud ac tenerrimum viſcus, non ſolum in calloſum et glanduloſum fungum ac ſcabrum tophum coaluiſſe; ſed et adeo, quis non ad haec, quaeſo, obſtupeſcat? maximam ſui partem, in perquam rigidum lapidem, mori fructui figura ſimillimum, obduruiſſe, teſtes ſunt grauiſſimi, IO. KENTMANNVS, THOM. BARTHOLINVS, GEMMA, HOLLERIVS, WIERVS, MARCELL. DONATVS, NICOL. PECHLINVS, loco ſupra indicato, p. 314. item IO. IAC. WEPFERVS, et ex eo magnus BOERHAAVIVS, in *Inſtitut. Med.* 264. vbi tamen vid. Celeb. HALLERVS, in *Praelect. Academ. Vol.* II. *p.* 494. aliique plures, laudati iam modo allegato BARTHOLINO *Hiſt. Anat.* XCI. *Cent.* VI. *pag.* 357. vbi nempe rariſſima hiſtoria de integro bouis Suecici cerebro, in ſaxeam molem et maſſam prorſus immutato, relata legitur; quale et, teſte eodem Cl. HALLERO, obſeruauit poſtea DV-VERNEY iunior, in *Memor. Academ. Scientiar. Reg. Pariſ. An.* 1703. *pag.* 314. *ſqq.* Sed plura hanc in rem exempla collegit in primis citatus ſupra KENTMANNVS, in *Lib. de Lapidibus ſeu Calculis,* qui in corpore ac membris hominum innaſcuntur, item SENNERTVS noſter, *Lib.* II. *Inſtit. Med. part.* II, *cap.* 9. add. MEIBOM. *in iuſiur. Hipp. cap.* XVI. *pag.* 153. BONET. *in Sepulchret.* et alibi, item DAN. VINK, *Amoenit. philoſ. Med. Sect.* III, *cap.* I. *pag.* 201. vbi ad ipſius magni BAGLIVII experientiam prouocat, et maxime STALPART VAN DER WIEL, *Obſ. med. varior. Cent. prim. Obſ.* XII. *pag.* 54. *ſqq. in Not.*

§. XXIII. Nihil igitur plane mirum, ſi etiam illa anguſta nimis animae auguſtae ſedes, a ſummo cetera Carteſio, ſine prudentiorum tamen ſuffragio, perperam ipſi aſſignata, ſanctiſſima nempe illa, vt vulgo putatur, glandula pinealis, nunc rigide occalluit, nunc in tophaceum lapidem induruit, nunc denique arenulas ac lapillos ſecum incluſos tenuit, illaeſa tamen prorſus acuta mentis acie; quod pluſquam vigeſies ſolus obſeruauit REGNERVS DE GRAEF, item SYLVIVS, BAR-

BETTVS,

BETTVS, IOAN. VAN HORNE, WILLISIVS, PECHLINVS aliique viderunt, laudati iam THOM. BARTHOLINO, *Anat. Ref. Lib.* III, *cap.* 6. *pag.* 496. et praesertim ISBRAND. DIEMERBROECK, *Lib.* III. *Anat. cap.* 6. *p.* 353. *Opp.* cum aliis; quibus accedat RAYMVND. VIEVSSENIVS, *Lib.* I. *Neurograph. vniuerſ. cap.* XI. *pag.* 139. Quin imo FLORENTINVS SCHVYL, portentoſioris illius opinionis Carteſianae perquam ſtrenuus caliduſque alioqui defenſor, imperioſae tamen veritatis praepollente virtute actus et impulſus, ingenue faſſus eſt, in erudita *Praefatione ad Carteſii Librum de Homine*, a ſe latinitate donatum: ſe in illa decantata glandula pineali lapillum aliquando inueniſſe, qui pluſquam dimidium ipſius glandulae occupauerit. Sed plura hanc in rem collecta vid. apud laudatum STALPARTVM VAN DER WIEL, *Cent.* I. *Obſ.* 12. *pag.* 33. *ſqq. in Not.* Quale quid et noſtra ipſa aetate obſeruarunt bini iſti Anatomicorum anteſignani, FRID. RVYSCHIVS, in *Theſaur. Anat.* V. *pag.* 28. et IO. BAPT. MORGAGNVS, in *Aduerſ. Anat.* VI. *Obſ.* XI. *pag.* 10. vbi prioribus exemplis ſupra productis noua aliquot addit, a ſe ipſo quondam viſa et diligenter adnotata: plura vero mirandae iſtius rei exempla et hiſtorias tum ex propria experientia, tum aliorum Medicorum fide digniſſimorum ſcriptis depromtas, exhibet idem Vir maximus in opere incomparabili, *de Sedibus et Cauſſis Morborum*, *Tom.* I. *Lib.* I. *Epiſt.* V. *pag.* 40. *ſqq.* praeſertim vero *Tom.* II. *Lib.* V. *Epiſt.* LXI. *pag.* 405. *ſqq.* quibus potiſſimum add. B. SALZMANNI, Amici et Fautoris noſtri ſummi, quum Argentorati olim eſſemus, diſſertat doctiſſima, *de Glandula pineali lapideſcente*, item B. GVNZII *proluſio acad. de Lapillis Glandulae pinealis, in quinque mente alienatis, inuentis.*

§. XXIV. Inde nunc minus mirabilia eſſe videntur ea, quae, de arteria aſpera tota in os conuerſa narrant CARDANVS de epiglottide illius, ſeu lingula et operculo, vt CICERO et CELSVS ſcite loquuntur, pariter oſſea, PAAVIVS, de cartilagine ſcutiformi in oſſeam duritiem mutata, FVIRENVS, PECHLINVS, BARTHOLINVS, et alii, de thyroide et cricoide, FALLOPIVS, de arytaenoide, RIOLANVS, et de aliis cartilaginibus, eidem fato ſemper expoſitis, et ipſa ſua rigida iam natura, in proximam rigidiorem oſſeam mutationem ſemper pronis, alii plures, apud BARTHOLIN. *Anat. Ref. Lib.* IV, *cap.* 2. *p.* 696. Praeſertim

ſertim autem illas ſterni cartilagines, cum quibus ipſae coſtae, vt notum, committuntur, flexiliorem ſuam naturam ſaepius exuere, et continuum quaſi os formare, pridem notatum eſt a PAVIO, HILDANO, FALLOPIO, PECHLINO et aliis: et noſmet ipſi, paucis adhinc annis, moeſtiſſimi obſeruauimus in celſiſſimo Duce, quo iuſtior alter nec pietate, nec bello et armis maior, fuit, cuius praematura fata adhuc acerbe deploramus. Illius enim cartilagines ſterni adeo vſque in oſſeam duritem obriguerant, vt ne acutiſſimo quidem ſcalpello, vti mos eſt alias, diſcindi, ſed ſtridula potius ſerra ſecari potuerint, vt alia iam mittamus paſſim obuia et cognita. Conf. IO. RHODII, *Mantiſſa Anat. ad* THOM. BARTHOLINVM, *Obſ.* VIII. et CLOPTON HAVERS *Oſteolog. Diſc.* V. *pag.* 317.

§. XXV. Sed haec quidem nec ſubitum nec funeſtum nec vitae ipſi detrimentum inferunt; grauioris autem diſcriminis res eſt, vbi vel calloſa, vel oſſea, aut lapidea materia peregrina ipſius ſpongioſi pulmonis

Vitaleſque vias et reſpiramina clauſit,

cuius perquam calamitoſi fati, iam ſua olim tempeſtate, frequentius meminerunt Medici praeſtantiſſimi, GALENVS, *Lib.* IV. de *Loc. affect. cap.* 8. ARETAEVS, *Lib.* I. de *Morb. chron. cap.* 12. PAVLLVS AEGINETA, *Lib.* III, *cap.* 28. *et* 31. et ALEXANDER denique TRALLIANVS, *Lib.* V. *cap.* 4. Noſtra vero aetate, longe plures Obſeruationum Medicarum induſtrii Scriptores innumera paene exempla, notatu ſane digniſſima, in literas relata nobis ſubminiſtrarunt. Quos inter eminent. REINER. SOLENANDER, CAROL. PISO, DOMIN. PANAROLVS, SALMVTH, *Obſ.* 7. *Cent.* I. DODONAEVS, PLATERVS, SCALIGER, aliique plures, quos longa ſerie collectos exhibent IO. RHODIVS, *Obſ. Med.* III, *Cent.* II. et IO. SCHENCKIVS, *Obſ.* XLIX, *Lib.* II. item THOM. BARTHOLINVS, *Anat. Ref. Lib.* II, *c.* 9. *p.* 418. et *Hiſt. Anat.* XXXIII, *Cent.* I. nec non DIEMERBROECK, *Anat. Lib.* II, *cap.* XIII. *pag.* 306. et maxime BONETVS, *Tom.* II. *Med. Septent. Lib.* II, *Sect.* XI, *capp.* 6. et *ſqq. pag.* 365. *ſqq.* et *Sepulchret. Tom.* I, *L.* II, *Sect.* VII, *Obſ.* II. *p.* 687. *Obſ.* 79. *p.* 723. et *Obſ.* 86. *p.* 726. *ſqq.* item ZACVT. LVSITANVS *Hiſt. Med. princ.* XXXVII, *Lib.* II. *pag.* 381. *ſqq.* praeſertim vero huc vid. STALPART VAN

DER

DER WIEL, *Obſ. med.* 28. *Cent.* I. *pag.* 116. *ſqq.* et quae ibi in *Notis* congeſſit ex variis auctoribus exempla paria copioſiſſime et diligentiſſime. Sed in primis memoratu dignus eſt ſequens ſingularis caſus, quem de Presbytero quodam aſthmatico, his ipſis verbis refert IO. BART. HELMONTIVS, de *Aſthmate et Tuſſi*, 43. *pag.* 349. *Diſſecto pulmone, inuenitur ſiniſtri lateris lobus poſterior, durus, et e pumice lapideſcens: intuſque, quaſi grumus per pulmonem occalluiſſet. Vbi autem aſpera arteria in quatuor lobos diſpergitur, grumi caſeoſi erant, inter cartilaginem et pumicem medii, pluresque eius modi lapilli, ſparſim per pulmonis regionem viſi.* Hactenus ille. Sed et bronchi particulam oſſeam obſeruauit GERARD. BLASIVS, in *Obſeruat. Med. rarior.* 6. *Part.* VI. in quo egregio libro et plura alia, quae huc ſpectant, ſingularia legi omnino merentur.

§. XXVI. Neque vero perennem illum vitae ſalutiſque fontem ac diſpenſatorem, cor inquam ipſum, pulmonibus proxime vicinum atque ſocium, ab illa peſtifera labe prorſus immune eſſe; quin potius ſaepe in tenacem callum obtorpeſcere, vel in lentam cartilaginem ſolidari, vel in rigidum os indurari, vel denique potiorem ſui partem in aſperum lapidem obrigere, complura ſane affatim docent exempla memorabilia, per ſolertiores Medicos ſumma fide publice conſignata. Cor igitur cartilaginoſum ipſe vidit ac deſcripſit RIOLANVS, et ex eo THOM. BARTHOLINVS, *Epiſt. Medicinal.* LXVI. *Cent.* I. *pag.* 273. vbi et plura, quae huc ſpectant, leguntur. Cordis valuulas ſic dictas ſemilunares in oſſeam plane duritiem degeneraſſe, cum ſtupore, deprehendit Anatomicorum princeps, FRID. RVYSCHIVS, *Obſ. Anatom. Chirurg.* LXIX. *pag.* 65. et dudum ante eum, HENR. A MOINICHEN, in *Epiſt. ad Bartholin.* XCVII, *Cent.* II. *Epiſtolar. Medicinal.* THOM. BARTHOLINI, item et PECHLINVS, *Obſ.* XL, *Lib.* II. *pag.* 313. poſt hoc autem ill. MORGAGNVS, *Epiſt.* 30. *pag.* 22. *Tom.* II. magni operis praeſtantiſſimi. Oſſeam, aut lapideam concreſcentiam, ſiniſtri cordis ventriculi ſubſtantiae muſculoſae innatam et concretam, conſpexit GERARD. BLASIVS, *Obſ. rar.* 13. *Part.* VI. *pag.* 80. Pericardii, vel etiam ipſius Cordis concretionem oſſeam in MARIA MEDIC. et GASP. SCHOMBERGIO poſt fata, obſeruatam fuiſſe ex THVANO et MEZERAEO, adnotauit DRELINCVRTIVS, in *Libitinae Tropaeis*, *Part.* I. *pag.* 219. *Opuſcul.*

Med.

Med. per BOERHAAV. editor. alia plura hic ſimilia obſeruauit collegitque ill. MORGAGN. de *Sed. et Cauſſ. Morb. Tom.* I. *Epiſt.* 27. *p.* 290. *ſqq.* Oſſa, cartilagines, maſſas informes carnoſas, adipatas, nerueas, membranaceas, aliaque peregrina corpora, immo et adeo lapidoſa coagmenta, ſaepius in iiſdem ventriculis reperta fuiſſe, teſtantur RIOLANVS, IO. TRVLLIVS, SIMON PAVLLI, HOLLERIVS, PLATERVS, WIERVS, SALIVS, SEVERINVS, SMETIVS, aliique plures, magno numero iam laudati THOM. BARTHOLINO, *Anat. Ref. L.* II, *c.* 7. *p.* 394. et in *Epiſt. Med.* ſupra allegata, LXVI, *Cent.* I. in primis autem ISBRAND. DIEMERBROECK, *Lib.* II. *Anat. Cap.* IX. *pag.* 278. *ſqq.* vbi et ipſe Cl. Auctor rariores ſuas in hanc mirandam rem obſeruationes fideliter ſubiunxit. add. MARCELL. DONATI, *Med. Hiſt. mirabil. Lib.* V, *cap.* 4. *pag.* 570. *ſqq.* Et quis, quaeſo, terribiles illos iniuſſos cordis incolas, crudelis perniciſſimae mortis fabricatores, neſcit, polypos inquam iſtos grandes, craſſos, radicoſos, cartilagineos, carnoſos, membranaceos, tenaces et veros, non ex ſanguine glutinoſo temere concretos? quales accurate deſcripſerunt nobis Tulpius, BARTHOLINVS, BONETVS, DIEMERBROECK, VELSCHIVS, MALPIGHIVS, PASTA, ZOLLICOFFERVS, RIVERIVS, SENACIVS, PECHLINVS, STALP. VAN DER WIEL, *Obſ. med.* 38. *Cent.* I. *p.* 115. *ſqq.* vbi plura in *Not.* exempla, et alii nouiſſime vero GOHLIVS, in *Deſcriptione mirandi polypi, Berolin.* 1710. item GOETZKE, de *polypo Cordis, Spirae,* 1764. et Cel. ANT. DE HAEN, *Rat. Med. Part.* II, *c.* 7. *p.* 101. *ſqq.* item HOFFMANNVS, *Opp. med. Tom.* III. *p.* 278. *ſqq.* BOHN, diſſ. de *Exper. fallaci, p.* 669. et *p.* 671. *append. ad Circ. anat.* praecipue vero ill. MORGAGNVS, *Epiſt.* 24. *p.* 257. *ſqq.* et quos ibi allegat auctores plures et noſmet ipſi bis, acerbe dolentes, vidimus, in binis perſonis ſplendidis, longiore immo longiſſima vita, in publica commoda, digniſſimis. De quibus lethiferis eheu! polypis, vid. ſi placet, *Poëmat. noſtr. Tom.* V. *pag.* 406. in *Not.* item *Tom.* IV. *pag.* 595. ibique *Not.* add. et *Tom.* II. *pag.* 217. *ſq.* et quae ibi obſeruata.

§. XXVII. Sed ipſam quoque arteriam magnam, ramoſam illam ipſius cordis progeniem, naturam ſuam flexiliorem ſaepius degeneraſſe, atque nunc circa ſui exortum, nunc circa progreſſum ac deſcenſum, nunc

nunc procul ab origine, vel cartilaginoſam rigiditatem induiſſe, vel oſſeum ſolidamentum contraxiſſe, res ſane eſt extra omnem controuerſiam poſita, et quam plurimis variorum auctorum fide dignorum teſtimoniis liquidiſſime confirmata, nimirum magni HARVEII, RIOLANI, WILLISII, VESLINGII, BONETI, CAROL. OFFREDI et aliorum, quorum laudatiſſima nomina relata leguntur apud THOM. BARTHOLINVM, *Anat. Ref. Lib.* II, *Cap.* VII. *p.* 406. et *Epiſt. Med.* XCVII, *Cent.* II. *p.* 722. NIC. PECHLINVM, *Obſ.* iam ſaepius citata XL, *Lib.* II. *pag.* 313. et IO. RHODIVM, *Obſ. Med.* LXIII, *Cent.* III. *p.* 154. qui ipſi eiuſmodi abnormia naturae, ſaeuo quaſi cum ioco ludentis, portenta perſpicue viderunt, et candide adnotarunt, quale et legere licet apud GERARD. BLASIVM, *Obſ. Med. rar.* 5. *Part.* VI. *p.* 77. et cum primis in *Act. Med. Berolin. Decad.* II, *Vol.* VIII. *p.* 21. *ſqq.* et in *Annal. Wratislau. Ann.* 1725. *Claſſ.* IV, *Art.* XI. *p.* 659. Praeſertim vero huc conf. laudati modo MORGAGNI ILL. *Epiſt.* 27. *Tom.* I. *de Sedibus et Cauſſ. Morb. p.* 292. *ſqq.* vbi plura, quae huc ſpectant, lectu digniſſima. Singulare quoque exemplum Arteriae magnae oſſeſactae deſcriptum a IAC. ANDREA BEGGI, vid. in ANTON. PACCIONI, *Epiſtolis phyſico-anatom. pag.* 217. et aliud a GODEFRED. THOMASIO obſeruatum in *Epiſt. ad Lochnerum de Concretis vermiformibus per veſicam egeſtis, pag.* 29. vid. rurſus MORGAGN. *Ep.* 30. *p.* 22. *Tom.* II. Quid, quod nobiſmet ipſis probe adhuc notum eſt triſte eiuſmodi exemplum Reu. cuiuſdam imperii Principis, ſine praeuio morbo, noctu, ſubito extincti, in cuius corde non ſolum ſiniſtra auricula occallata; ſed ipſa etiam arteria magna emergens, maximam ſui partem oſſea plane, atque paſſim imperuia, fuit deprehenſa. Quin et calculum adeo mirabiliter prorſus figuratum in illo arteriae magnae ramo, qui vergit ad Euſtachii glandulam ſiniſtro reni impoſitam, ſeſe quondam reperiſſe, teſtatur vir et arte et facundia inſignis, NICOL. TVLPIVS, *Obſ. Med. Cap.* XXV, *Lib.* II. *pag.* 136. qui et ſimilem fere lapidem ſcabrum in vena thoracica externa hoſpitantem animaduertit, vt ibidem plenius enarrat *Cap.* XXII, *Lib.* IV. *p.* 312. Sed et arteriam iliacam, item et ſplenicam, variis in locis, tofi ad inſtar induratam, obſeruauit et deſcripſit teſtis oculatus NIC. PECHLINVS iam ſaepius laudatus, *Obſ.* XLI, *Lib.* II. *pag.* 314. Huc

et potiſſimum refer B. CRELLII, noſtri doctiſſimam *Diſſ. de Arteria Coronaria, inſtar oſſis indurata Witteberg.* 1740. merito laudatam a magno MORGANO, *Epiſt.* 24. *Tom.* I. *pag.* 253. qui ipſe ibi plura ea de re. Sed et eodem pertinet altera B. noſtri STENZELII *Diſſ. de ſteatomatibus in principio Aortae Witteberg.* 1723. contra quam tamen vid. quae monita ſunt, in *Act. Med. Berolin. Decad.* II. *Vol.* V. *pag.* 7. *ſqq.* Nempe omnes omnino venae ac arteriae illi fatali neceſſitati ſubiectae ſunt, vt occalleſcere vel in cartilaginem, ſteatoma, os, aut lapidem quoque indureſcere poſſint. Hinc venam portae ex parte oſſeam vidit, deſcripſit ac depinxit anatomicorum maximus, RVYSCHIVS, *Obſ. Anat. Chirurg.* LXX. *p.* 66. vt alia iam taceam exempla apud BONETVM, SCHENCKIVM, STENTZELIVM noſtrum, Auctores *Act. Med. Berolinenſ.* et alios paſſim obuia; quia nobis iam properandum.

§. XXVIII. Carnoſae ſepti tranſuerſi, ſeu diaphragmatis parti os duriuſculum adnatum, externa cartilagine tectum, conſpexit THOM. BARTHOLINVS, *Hiſt. Anat.* LXXXV, *Cent.* II. ipſius vero partem nerveam paene oſſeam factam magnus obſeruauit MORGAGN. *de ſed. et Cauſſ. Morb. Tom.* II. *Epiſt.* 70. *pag.* 450. meſenterium maximam ſui partem plane oſſeum, IO. RHODIVS, *Obſ.* XCVI. *Cent.* II. totum autem lapidoſum, PANAROLVS, *Obſ.* p. 313. apud BONET. *Sepulchret. Anat. Tom.* I. *Libr.* II. *Sect.* 7. *Obſ.* 136. *pag.* 750. et alias vehementer induratum, idem MORGAGNVS, pancreas quoque in tenacem ſcirrhum ac cartilagineam duritiem mutatum, ibidem *Obſ.* XCVII. quod ipſum et lapidoſum vidit PANAROLVS *Obſ. med. pag.* 52. quale triſte fatum et omnibus generatim glandulis frequentiſſime contingere ſolere, notiſſimum eſt, vt videre licet apud PARAEVM, HILDANVM et alios plures, quos laudat TH. WHARTONVS, in *Adenographia Cap.* XI. et XXXIX. item alibi. Lienis membranam non ſolum cartilagineam, ſed et adeo lapidoſam valde, et ferro vſque renitentem, vt et cum ſonitu reſiliret, obſtupeſcens fere, inuenit PECHLINVS, *Obſ.* XLI. *Lib.* II. p. 314. vbi de membranarum et arteriarum tofis agit, vti in antecedenti *Obſ.* XL. de tendinum, membranarum, cartilaginum et ligamentorum oſſificatione, vt nempe loqui amat: quae obſeruationes totae huc vel maxime ſpectant. Eandem vero lienis tunicam et oſſeam et cartilagineam,

neam, immo et corii bubuli ad inſtar craſſam, deprehendit THOM. BARTHOLINVS *Anat. Ref. Lib.* I. *Cap.* 16. *pag.* 159. et poſt eum alii, vt HELLWIGIVS, *Obſ. med.* 97. *pag.* 286. ibique in *Schol.* SCHROECKIVS, item HARDER. in *Apiar. Obſ.* 61. *pag.* 244. vt et HOFFMANN. *Opp. Med. Tom.* II. *pag.* 216. et nouiſſime ill. MORGAGN. laudato iam ſupra *Op. Epiſt.* 36. *pag.* 67. *Tom.* II. vbi plura exempla: quibus add. MARCELL. DONATI *Hiſt. med. memorab. Lib.* V. *Cap.* 4. *p.* 574. Sed et ipſum peritonaeum, variis arenoſis particulis vndique conſperſum, obſeruauit FRID. RVYSCHIVS, *Obſ. Anat. Chir.* LXX. quod et de omento complures Autores adnotarunt, vid. inprimis PANAROL. *Obſ. pag.* 134. cum quibus conferendus DIEMERBROECK, *L.* I. *Anat. Cap.* 6. Aliam eiuſmodi membranam lapillis exilibus obductam vidit ac deſcripſit TVLPIVS, *Lib.* II. *Obſ. med. Cap.* XLVIII. Ipſum illud molle alias ac blandum teneri foetus receptaculum ac hoſpitium, vterum nempe, nunc praeter naturam cartilaginoſum, nunc calloſum, nunc denique adeo vſque lapideum deprehenſum fuiſſe, vna cum ipſa tenella prole, in rigidum plane lapidem conuerſa, quod ſane omnium portentoſiſſimum a variis praeclaris Autoribus eſt paſſim adnotatum, quorum ipſa loca lectu digna ſedulo collegit MARTIN. SCHVRIGIVS, in *Muliebrib. Hiſt. Med. Sect.* III. *Cap.* 2. *pag.* 232. 267. 270. et *ſqq.* Add. THOM. BARTHOLIN. PARAEVS, HELMONTIVS, SACHSIVS, KVNDMANNVS, et in primis IO. ALBOSIVS, de LITHOPAEDIO *Senonenſi.* Qualem et praegrandem vteri virginalis XVIII. librarum molem ex pinguedine cartilaginoſa totam congeſtam, horrendo ſpectaculo, a ſe ipſo viſam, delineauit BLASIVS, *Obſ. Med. rar.* 7. *Part.* 1. *p.* 12. qui et ibidem *Obſ.* 9. *p.* 13. *ſqq.* oſſeam plane teſticuli puellaris praetumidi ſubſtantiam, a ſe quondam repertam, fuſe deſcripſit. Quod etiam obſeruatum STALPARTIO VAN DER WIEL, *Obſ. Med. Anat. Chir.* XXXIIV. *Cent. poſter. part. prior. p.* 389. item et DIEMERBROECK, *Lib.* I. *Anat. Cap.* XXIV. *p.* 131. Sed magis profecto adhuc dictu et auditu horrendum illud erat portentum, quum idem BLASIVS, vt refert ibidem *Obſ.* 6. *pag.* 10. 11. et depingit, vniuerſum mulieris cuiuſdam tabidae abdomen in cartilaginoſam eiuſmodi materiam, abominando auctu et incremento, prorſus muta-

tum inueniret. Verum et pruriginoſam iſtam muliebris pudoris columellam, ſeu clitoridem, oſſeam aliquando conſpectam fuiſſe, commemorat TH. BARTHOLIN. *Hiſt. Anat.* 69. *Cent.* III. *pag.* 137. *Epiſt. Med.* 94. *Cent.* III. *p.* 407. et *Anat. Ref. Lib.* I. *Cap.* 34. *p.* 292. atque ex eo DIEMERBROECK, *Lib.* I. *Anat. Cap.* 26. *p.* 153. item SCHVRIG. in *Gynaecologia, Sect.* II. *Cap.* I. *pag.* 128. qui et ibidem *pag.* 107. aliam ſingularem PAVLLINI obſeruationem in medium adfert de particula virili ſalaci in oſſeam pariter rigiditatem conſolidata: quem ipſum vid. *Obſ. Med. phyſ.* 72. *Cent.* I. *pag.* 88. vbi et de Clitoride oſſea.

§. XXIX. Hepar quoque ipſum nunc in pertinacem ſcirrhum indureſcere, nunc diuerſis figuram ac colorem calculis, aut materia lenta viſcida ac gypſea intus oppleri, nunc denique lapidoſo quaſi cortice extus incruſtari, plura docent exempla a PARAEO, HOLLERIO, HORSTIO, DODONAEO, BELLONIO, aliiſque allata, apud BARTHOL. *Anat. Ref. Lib.* I. *Cap.* 14. *p.* 143. item *Epiſt. Med.* 2. *Cent.* III. et *Ep.* 56. *Cent.* II. *pag.* 586. et in *Actis Med. Berolin.* vt et *Naturae Curioſorum:* in primis autem in iis lepidis et eruditis libellis, quibus hepati mendacem purpuram fortiter detraxit, eiuſque exequias celebrauit, idem anatomicorum princeps ſui quidem temporis, THOM. BARTHOLINVS, nempe de *Hepate defuncto*, de *Hepatis exauctorati deſperata cauſſa*, vt et de *difficili Hepatis Reſurrectione*, aliisque: Vid. et DIEMERBROECK *Anat. Lib.* I. *Cap.* 14. *pag.* 70. item ill. MORGAGNVM in magno illo et praeclare *op. de ſedibus et Cauſſ. Morb. Epiſt.* 37. *pag.* 75. *ſqq. Tom.* II. vbi plura, quae huc ſpectant, et magnum VESALIVM, in longa illa ac docta ad IOACH. ROELANTS *Epiſtola*, *pag.* 674. *Tom.* II. *Opp.* item eo nil minorem RVYSCHIVM, *Obſ. Anat. Chir.* LXXXVI. et LXXXVII. qui et calculum durum in ipſo hepatis parenchymate a ſe quondam repertum fuiſſe teſtatur, *Obſ. Anat.* XXIV. Idem veſiculae quoque felleae, calculoſa materia intus prorſus obductae, meminit, *Obſ. Anat. Chir.* XXXI. cuius non inſolitae rei complura exempla ex variis Auctoribus ſtudioſe collecta profert IO. RHODIVS, *Obſ.* 2. *Cent.* III. qui et *Obſ.* 3. veſicam felleam plane oſſeam, in puella ictero diuturno confecta, ſeſe obſeruaſſe affirmat. Quin et noſmet ipſi ante complures iam annos, in ſtrenuo vini praeſertim ſpiritus

ritus potore, in publica platea ſubito extincto, ſtupentes, cum aliis, deprehendimus hepar eiuſmodi ingens, praedurum, ponderoſum et albario quaſi opere externam ſui ſuperficiem adeo vſque obductum, vt vel acutiſſimo ſcalpello vix diſcindi poſſet. Conf. huc Cl. RICHTERI iun. *Diſſertatio*, quae tota huc ſpectat, de *intumeſcente et calloſo pyloro, cum triplici hydrope*, *pag.* 19. et quos ibi laudat Auctores.

§. XXX. In ſimile autem lapidoſum duramentum diriguiſſe tunicam lieni circumiectam, paullo ſuperius, ex ornatiſſimo PECHLINO, commemorauimus. Adhuc tamen altius peſtem iſtam ſaepe penetraſſe, atque ipſum lienis corpus interius, tenerum illud ac cancellatum, adeo vſque durum ac rigidum reddidiſſe, vt vix cultro cederet, niſi maxima vi intruſo, ſingulari exemplo, inter alia, oſtendit THOM. BARTHOLINVS, *Hiſt. Anat.* LX, *Cent.* IV. *pag.* 358. GEORG. quoque QVECCIVS, item et SCHENCKIVS, ac RIOLANVS, viderunt lienes, media ſui parte, ſubſtantia cartilaginea incruſtatos, referente DIEMERBROECK, *Lib.* I. *Anat. Cap.* XVI. *p.* 83. et alii. Conf. huc Celeb. RICHTERI veteris noſtri et coniunctiſſimi amici et ſtudiorum olim Lipſiae ſocii ſuauiſſimi, doctiſſ. *diſſert. de Tremore*, item et de *Cardialgia.* Iſtas quoque lubricas humidaſque immundioris liquoris eiectitii officinas, veſicam nempe atque renes, eiuſmodi tunica quaſi moleſta lapidoſa intus non raro circumueſtiri, id neminem, ſpero, ſolertiorum Medicorum fugit; praeſertim, quum innumera paene ea de re vbiuis proſtent exempla, ceu videre eſt apud SACHSIVM, in *Gammarologia*, p. 901. in *Addend.* et ex illo et aliis, apud BONETVM, *Med. Septent. Tom.* I. *Lib.* III, *Sect.* 24. *Cap.* 5. *pag.* 738. *ſqq.* et in *Sepulchret. Tom.* II, *Lib.* III, *Sect.* 22. *Obſ.* 9. *pag.* 560. *ſqq.* et alibi; qui et ibidem, *Sect.* 24. *Obſ.* 10. *p.* 627. *ſqq.* Calloſi oris et colli veſicae varios funeſtos caſus ex Auctoribus fide dignis refert, quale et obſeruauit IO. RHODIVS, *Obſ.* XXVI. *Cent.* III. de craſſo callo veſicae ori arctiſſime circumnato, qui liberum lotio iter occluſit, et mortis contra viam aperuit. Similes quoque tetros callos in ipſa vrethra excreſcere, acerbiſſimo cum dolore, ceu dignam tamen in ſuum exitium mercedem, iſti ſaepius experiuntur pretioſi dedecorum emtores, qui cum publicatae pudicitiae feminis foedum et damnoſum habuerunt commercium; qua de re ſin-

 gulare

gulare extat exemplum apud STALPART. VAN DER WIEL, *Obſ.* XL. *Cent. poſt. Part.* I. *p.* 410. *ſqq.* item et HILDANVM, SCVLTETVM, BONETVM et alios. Ex quibus etiam aliiſque abunde conſtat, illa ipſa inchoandi hominis rudimentorum et incunabulorum conceptacula, ſeu teſticulos, ſaepiſſime in enormem, praegrandem et ponderoſam molem calloſam, oſſeam immo et gypſeam, et lapidoſam moleſtiſſime intumuiſſe. Quod et de ipſis Mulierum teſtibus, ſeu Ouariis notum ſatis eſt, quae quippe ſaepius viſa ſunt ſcirrhoſa, ſebacea, ſaxea, et tunica quoque quaſi cartilaginea cincta, vid. ill. MORGAGNI, *Epiſt.* 35. *Tom.* II, *pag.* 60. et alibi paſſim in iſto immortali opere, de *Sedibus et Cauſſis morborum.* Quale etiam notiſſimum eſt de ſinuoſo inteſtinorum volumine, in cuius nempe gyratis orbibus, cartilagines, callos, lapides oſſaque ſaepius reperta fuiſſe, exemplis ex pluribus Auctoribus petitis affatim probat laudatus modo BONETVS, *Med. Septent. Tom.* I. *Lib.* III. *Sect.* 12. *Cap.* 7. *pag.* 581. *ſqq.* et *Cap.* 14. *pag.* 589. *ſqq.* item *Sepulchret. Tom.* II, *Lib.* III, *Sect.* XIV. *Obſ.* 9. *pag.* 218. *ſqq.* et aliis iſtius operis praeſtantiſſimi locis. Sic Inteſtinum ieiunum cartilaginoſum vidit ac deſcripſit BALLONIVS, ille Gallorum Hippocrates rediuiuus, *Lib.* I. *Epidem. pag.* 58. Simile fere de Inteſtino duodeno, obſeruauit quoque BOERNERVS, de *diſquiſitione de tabe ſica lethali*, a mirabili duodeni anguſtia, et praeternaturali plane ventriculi ſitu, quae tota omnino huc ſpectat. Scirrhoſum vero duodenum in Monacho obſeruauit laudatus modo MORGAGNVS *Epiſt.* XXX. *pag.* 22. *Tom.* II. Sed haec hactenus. Longe plura quidem his ipſis iam allatis adiicere hic potuiſſemus, ſi, florilegarum apum ad inſtar, per omnia illa *Naturae Curioſorum, Tranſactionum Anglicanarum, Actorum Eruditorum*, item BONETI, SCHENCKII, MANGETI, et aliorum ſpatioſa Volumina, libere circumuagari libuiſſet, aut per anguſtos Diſſertationis academicae cancellos, licuiſſet:

Verum animo ſatis haec veſtigia clara ſagaci
Sunt, per quae poſſis cognoſcere cetera tute.

§. XXXI. Haec autem cuncta, ſolius potiſſimum ventriculi cauſſa paullo vberius praemittenda exiſtimauimus, vt nempe eo luculentius, exinde cognoſceretur, tanto minus mirandum fore, ſi vel ipſa haec ſum-

ſumtuoſa vitae hnmanae culina, focusque quaſi perennis, pari calamitoſo fato, priorem ſuam naturalem formam exueret, et in nouam prorſus atque inſolitam tranſiret; quanto magis reliqua viſcera omnia, ipſo ventriculo, dignitate et vſu vitaeque commodis, partim praeſtantiora, partim et inferiora, eiuſmodi luctuoſiſſimis exitiis et atrociſſimis caſibus obnoxia eſſe deprehenderetur.

§. XXXII. Paſſim nimirum conſtat ex induſtriorum Medicorum Obſeruationibus, publicis literis monumentisque conſignatis, illum ipſum ventriculum nunc circa ſtomachum, ſiue oeſophagum, nunc circa ſuperius, ſeu ſiniſtrum ſui oſtium, nunc denique circa inferius, ſiue dextrum, vulgò pylorum, ſeu ianitorem, dictum, vel rigide occalleſcere, vel cartilaginoſam aut oſſeam duritiem induere, vel in materiam gypſeam aut lapideam obrigere, vel tuberoſa carne oppleri, vel denique intractabili ſcirrho obſideri: vnde frequentius accidit, vt, his tranſuerſis quaſi peſſulis atque repagulis fortiter contra nitentibus, ea, quae accepta ſunt ore, haud ſine offenſa ac querela, recta via, in ipſum ventriculi fundum illabi queant; ſed in ipſo potius aditu pertinacius haereant, atque incocta et inconfecta protinus reddantur; quamobrem nulla ſtomacho ruenti fultura accedit; quin potius lenta tabes vitales liquores ſenſim exhaurit, artusque ipſos crudeli edacitate tandem depaſcitur: vt vel ex noſtro ſingulari caſu, ſuperius propoſito, vberius pateſcit.

§. XXXIII. Quod et ex aliis ſimilibus exemplis, apud probatos Auctores hinc inde obuiis, multo adhuc validius confirmatur, quae inter inprimis eminent binae iſtae luctuoſae hiſtoriae, de oeſophago occallato et cartilaginoſo, ex HENR. SAMPSONIO atque NIC. GVIL. BECKERS fideliter relatae, et poſtea ſuis aeternum victuris Operibus ſtudioſe inſertae a ſaepius iam laudato THEOPH. BONETO, *Tom.* I. *Med. Septent. Lib.* III, *Sect.* I. *Cap.* I. *et* 3. *p.* 504. et in *Sepulchret. Anat. Tom.* II, *Lib.* III, *Sect.* IV. *Obſ.* 8. *et* 9. *pag.* 32. quorum ipſa verba in compendium miſſa hic infra, Lectorum quidem pace, adſcribere haud pigrabimur: *Femina diu difficultate deglutiendi praepedita Medicum adiuit, qui explorato per ſtilum, ex oſſe balenae confectum, loco prorſus imperuio, illam merito pro deplorata habuit: poſt paucos etiam menſes obiit fame enecta. In diſſecto cadauere, totus oeſophagus a clauicularum regione, ad ipſum ſtomachum, inuentus*

tus est pura puta cartilago; neque erat peruius, nisi cauitate valde minuta, vix setam porcinam admittente, eaque labyrinthea, sed integra substantia cartilaginea solidus. Cui singulari prorsus historiae gemina est sequens: *Mercator Hippolitanus, sesquianno, de deglutiendi difficultate, mucronata sub cartilagine, dolore grauabili indies augescente, languore ac totius corporis contabescentia, nullo in faucibus tumore vel dolore apparente, conquestus; atque ad fata vitanda, quam plurimis tam internis, quam externis, a diuersis Apollinis filiis, tractu temporis, sibi praescriptis, ac incassum adhibitis remediis, corpore, ob deglutiendi facultatem plane interceptam, sanguine ac spiritibus destituto, tabitudine violenta exspirare cogitur. Cadauere dissecto, tribus ab ore ventriculi digitis, oesophagus a cartilagine annuliformi exiguo foramine praedita, ab ipso oesophago enata, obturatus repertus fuit.* Hactenus illi. Quas quidem binas memorabiles historias nostro praesenti casui perquam presse et aequabiliter respondere, nemo, vt spes est, facile negauerit.

§. XXXIV. Quo et vel maxime profecto spectant binae aliae a IOANNE RHODIO ita commemoratae, *Obs. Med.* 47. *et* 48. *Cent.* II. Anno CIↃ IↃ CXXVII. *Patauii, nobilis virgo, Deo sacrata, iam septem ac decem annis, vix aliquot guttulas liquoris demittit. Oesophago nempe ab ossiculo auiculae olim saucio, scirrhosus tumor, affluente materia genitus.* Haec prior RHODII historia; sed en et alteram: *Adolescentulo octenni per febrem ardentem abolita libera deglutiendi potestas ab oesophagi angustia; quae tanta, praesente Ioanne Preuotio, vt gula, cadauere aperto, aquam non admitteret.* Haec ille, Medicorum eruditorum haud postrema gloria; ex quo singulares has historias transsumsit, et operi suo immensae frugis plenissimo, *Sepulchreto* nempe *Anatomico*, intexuit diligentissimus BONETVS, *Tom.* II, *Lib.* III, *Sect.* IV, *Obs.* XIV. *p.* 33. *sqq.* Conf. huc etiam IANI NICII ERYTHRAEI *Pinacothec. Part.* III. *p.* 303. *in Addendis.*

§. XXXV. At omnium tamen proximam et quasi coniunctissimam affinitatem cum hoc nostro casu ista habet perquam notabilis historia, quam candide enarrat vir medicarum iuxta et poëticarum rerum peritissimus, et dignissimus magni IANI GRVTERI Socer, HENRICVS SMETIVS A LEDA, in *Miscellaneis Medicis, Lib.* X. *p.* 529. his quidem verbis: *Anno* MDLXXIII. *Praefectus Venatorum illustris Lippensium Comitis, de dolore circa dextram oesophagi partem, querebatur, prae quo ne micam*

quidem

quidem panis madefactam sorbendo haustam, ferre potuit, immo vix ipsum solumque potum, nisi paulatim, et per cochlearia singula sumeret. Aeger caussam in frustum tendinis bouilli subduri deuoratum referebat. Ego tuberculum durum intra oesophagum, ea in regione, succrescere occepisse existimo. Acute hic ac vere haud dubie, coniectauit SMETIVS. Sed iure dolendum, nec mortem huius miserandi Venatoris, nec cadaueris, post eam, sectionem hic adiectam fuisse. Tum sane exactior vtriusque casus inter sese conuenientia, procul dubio, longe pressius accuratiusque enituisset. Ceterum simillimum fere casum tragicum ante complures iam annos, ad me beneuole perscripsit Cel. IO. STEPH. BERNARD, Medicus apud Amstelodamenses praestantissimus. Sed vehementer nunc doleo, literas illas doctissimas hoc quidem tempore oportuno, non esse ad manus. Inter continuos enim bellicos eheu! tumultus et calamitates publicas, quibus ob ambiguam dubiamque securitatem, omnia raptim conuasanda et transportanda saepe erant, vel disiectae illae et aliorsum translatae fuerunt; vel, quod tanto magis lugendum, plane deperditae. Interim vero huc vel maxime referendus par ferme casus de oesophago principis cuiusdam German. interius cartilagineo, stomachum vero versus, ad pollicis latitudinem osseo, a Cl. VICTORIO GORNIA, relatus ILL. MORGAGNO, *Epist. anat. med.* XXVIII. *pag.* 11. *Tom.* II. op. *de Sedibus et Caussis Morborum.* Alium vero simillimum de oesophago toto cartilagineo, et hinc adeo vsque coarctato, vt vix setam equinam transmitteret, ex *Tom.* I. *Memor. Acad. Reg. chirurg. pag.* 489. opportune retulit ill. Baro VAN SWIETEN, *Comment. in Aphorism. Boerhaau. Tom.* II. *pag.* 649.

§. XXXVI. Sed callosarum eiusmodi et carnosarum extuberationum, nunc circa oesophagum, nunc autem circa ipsum ventriculi ostium, infelici foetura subnatarum, iam tum sua tempestate meminit CLAVD. GALENVS, cuius ea de re perquam memorabilis locus dignus omnino est, qui hic legatur, e *Libro* nempe III. de Symptomatum Caussis, *Cap.* II. *pag.* 87. *Tom.* VIII. *Opp.* Συμβαίη δ' ἐνίοτε καὶ βλάστημά τι σαρκῶδες κατὰ τὸν στόμαχον, οἷα κἀκτὸς ὁρᾶται πολλάκις γενόμενα, ὥς ἤτοι παντάπασιν ἀποφράξαι τὴν ὁδὸν τῶν σιτίων, ἢ παραβλάψαι κατά τι: *Sane accidit aliquando, et carnosum aliquod tuberculum, qualia*

saepe

saepe foris videmus, in stomacho nasci, quod vel omnino ciborum viam obstruit, vel aliquatenus impedit. Neque ignotum prorsus fuisse videtur subdolum clandestini huius mali ingenium ipsi CAELIO AVRELIANO; scribit enim aperte et dilucide: *Lib.* II. de *Morb. Chron. cap.* 2. *pag.* 445. *Magis, cum initia atque summitas stomachi callosa, videbuntur vehementiore modo curationis indigentia,* et adhuc luculentius atque distinctius *Lib.* III. *de Morb. Chron. cap.* 2. *pag.* 453. *sin in superioribus partibus stomachus durescens aruerit; erit transuorandi difficultas, donec ad eius fundum accepta perueniant.* Forsan et cum eodem atroci stomacbi occlusi malo conflictatus fuerit ille, cuius in miraculis S. Gengulphi mentio facta est apud diligentissimum et doctissimum CANGIVM, *Tom.* IV. *Glossar. Med.* et *Inf. Latinit. pag.* 1054. his quidem verbis: *Per tres nimirum hebdomadas infirmitatis lectum tenuit, nec cibi aliquod genus deglutire valuit.* Conf. GELLII *Lib.* XVI. *Noct. Att. cap.* 3. Verum ambigua haec tantum est coniectura. Tanto autem certiora ista sunt, quae de similibus circa dicta ventriculi loca superiora, excrescentiis duris callosis, vel carnosis, sensim subortis, ac libero ciborum descensui damnose oppositis, ex variis recentiorum Medicorum fide et laude dignorum obseruationibus diligenter collecta, exhibet praestantissimus BONETVS, saepius iam ad partes vocatus, *Tom.* II. *Sepulchreti Anat. Lib.* III, *Sect.* IV. *Obs.* 2. et *sqq. pag.* 30. 31. et *sqq.* vt et in *Medicina Septent. Tom.* I, *Lib.* III, *Sect.* I. et alibi saepius; vid. et FRANCISC. SYLVII *prax. Med. Lib.* I, *cap.* 5. *pag.* 165. praesertim autem ZACVT. LVSITANVS, *de Medic. Princ. Hist.* LXV, *Lib.* II. *pag.* 579. *sqq.* Quibus nunc longe plures adhuc addendi, nimirum FELIX PLATERVS, *Lib.* I, *Obseru. med. p.* 207. *sqq.* BENIVENIVS, *de abdit. morb. causs. Capp.* 36. et 37. *p.* 239. *sqq.* REMBERT. DODONAEVS, *Med. Obs. c.* 36. 37. *p.* 191. *sqq.* MARCELL. DONAT. *Hist. med. Lib.* III. *c.* 8. *p.* 261. et *L.* IV, *c.* 3. *p.* 314. *sqq.* et *L.* V, *c.* 3. *pag.* 542. BARTHOLIN. *Act. med. Hafn. Vol.* I. *pag.* 212. STALP. VAN DER WIEL, *Obs. med.* 27. *Cent. post. pag.* 279. *sqq.* vbi plura exempla in *Notis*, VIT. RIEDLINVS, *Lin. med. Ann.* 1699. *Obs.* 9. *pag.* 1067. *sqq.* HAGENDORN, *Obs. med.* 78. *Cent.* I. *p.* 112. *sqq.* CHESNEAV, *Obs. med. pag.* 498. praesertim vero SCHVRIGIVS, *in Chylologia, Cap.* V. *sqq.* et ill. MORGAGNVS, de

Sed.

Sed. et Cauſſ. Morb. Epiſt. 28. *pag.* 10. *ſqq. Tom.* II. vbi et hanc noſtram diſſertationem ſupra meritum laudare benigne dignatus eſt. Maxime autem Celeb. ANTON. DE HAEN, iam eximium Aulae imperat. decus; in doctiſſima *diſſ. de Deglutitione, vel deglutitorum in Cauum Ventriculi deſcenſu impeditis, Hag. Comit.* 1750. vbi XII. ſingulares hanc in rem caſus diligentiſſime vndique collectos, ſimul exhibet, atque acute et prudenter de iiſdem iudicat. Quo et denique pertinent ZIESNERI *rarus oeſophago Morbus, Regiomont.* 1739. MAVCHART. *Diſſ. de ſtruma oeſophagi, eiuſque coalitu, difficilis et abolitae deglutitionis cauſſa*, item STEGNERI *diſſ. de Triga obſeruat. rarior. Argent.* 1725. *Obſ.* II. de pylore obſtructione et aliis deglutitionis in oeſophago impedimentis, *pag.* 19. *ſqq.* et B. noſtri VATERI *Diſſ. de Deglutitionis difficilis et impeditae cauſſis abditis, Witteberg.* 1750. vbi plura. Sed ohe! iam ſatis eſt, et plus ſatis.

§. XXXVII. In iiſdem quoque locis nonnunquam ſeuoſa ſteatomata intractabiliora, immedicabilia carcinomata, et indiſſolubiles ſcirrhos, aut denique duriores ſtrumas, exſurgere, atque liberiora ad ventriculum ipſum itinera adeo inſidioſe circumclaudere, vt nulli cibi, ore licet auide accepti, inde impune deſcendere, atque cocti ac redacti in ſanguinem, corpus ipſum alere ac irrigare poſſint, pluribus exemplis, ſtudioſe congeſtis, idem oſtendit BONETVS, *Tom.* II. *Sepulchret. Lib.* III. *Sect.* IV. *Obſſ.* 21. 22. et *Obſ.* 2. *addit. pag.* 38. *ſqq.* item maximus BOERHAAVIVS, *Prax. Med. Tom.* IV. *pag.* 40. et *pag.* 246. *ſqq.* et ingenti publici boni commodo et lucro, rediuiuus BOERHAAVIVS, ſiue, quod idem, GERARD. VAN SWIETEN, in immortali opere *Commentar. in Aphoriſmos Herm. Boerhaaue, Tom.* I. *pag.* 856. *ſqq.* et *Tom.* II. *pag.* 649. aliique plures meminerunt: Conf. TVLPII *Obſ. Med. Lib.* I. *Cap.* 44. item ZACVTI LVSITANI *Hiſt.* LXIV, *Lib.* II. *pag.* 574. *ſqq.* et quos ibi laudat Auctores plurimos.

§. XXXVIII. Duros etiam, aridos ac ſubliuidos carbunculos, cruſtasque carbunculoſas rubicunda inflammatione cinctas, circa idem ſuperius ventriculi oſtium pertinacius haeſiſſe, obſeruarunt, praeter ſupra laudatos, HELMONTIVS, in *Tumulo peſtis pag.* 217. *ſqq.* qui et alibi,

 Libro

Libro forsan de *Lithiasi*, sacculi lapidibus referti, ipsique ventriculo adnati, a seipso visi, meminit, referente BARTHOLINO, *Anat. Ref. Lib.* I. *Cap.* 9. *pag.* 67. qualia multa etiam reperire licet apud DIEMERBROECK, *Anat. Lib.* I. *Cap.* 8. *pag.* 23. longe plura autem apud BONET. *Tom.* I. *Med. Septent. Lib.* II. *Sect.* XI. *Cap.* 10. *pag.* 368. *sqq.* et maxime, *Tom.* II. *Sepulchret. Lib.* III. *Sect.* 7. *Obs.* 27. et *sqq. pag.* 75. et rel.

§. XXXIX. Praesertim autem inferius istud ostium, quo ima ventriculi pars paullum in dexteriorem partem conuersa, in summum intestinum coarctatur, quam iuncturam pylorum Graeci, vt notum, vocant, a cunctis his aerumnosis calamitatibus crebro admodum infestari, frequentioribus Medicorum Obseruationibus hinc inde constat. Sic steatomata ibi inuenerunt BARTHOLINVS, HILDANVS, SCVLETVS et alii, item BONETVS, *Tom.* I. *Med. Sept. Lib.* III. *Sect.* II. *Cap.* 12. *pag.* 517. praeduros scirrhos, idem, *Tom.* I. *Sepulchret. Lib.* II. *Sect.* VII. *Obs.* 143. *pag.* 752. *sqq.* et *Tom.* II. *Lib.* III. *Sect.* VI. *Obs.* 7. *pag.* 95. *sqq.* vt et STEPH. BLANCARDVS, *Anat. pract. rational. Obs.* LXII. *pag.* 185. nec non magnus RVYSCHIVS *Obs. Anat. Chirurg.* XXXIX. *pag.* 39. item WILLIS de *Med. Operat. P.* I. *pag.* 28. HARDER. *Apiar. Obs.* 62. *pag.* 249. *sqq.* SALMVTH. *Obs. med.* 20. *Cent.* I. STEGMAYER. *de pylori obstruct. Obs.* II. *pag.* 19. SCHVRIG. *Chylolog. cap.* V. VATERVS, de *Deglutit. difficil.* ILL. praesertim MORGAGNVS *Epist. anat.* 29. *pag.* 17. *Tom.* II. *de sed. et causs. Morb.* aliique plures, in primis autem HELMONTIVS, in *Tract. de Pyloro Rectore.* Tetra ac indomita carcinomata ibidem deprehenderunt HILDANVS, PARAEVS, BONETVS, BOERHAAVIVS et alii. Callum etiam nonnulli, mox laudandi. Materiam denique duram, gypseam ac paene lapidescentem, digiti transuersi crassitiem excedentem, ibidem arctius impactam, obseruauit NIC. DE BLEGNY, in *Zodiac. Med. Gal. An.* 1679. *pag.* 46. referente ex eodem BONETO, *Tom.* II. *Sepulchret. Anat. Lib.* III. *Sect.* VIII, *Obs.* I. *Addit. pag.* 124. Quo et in primis illa singularis pertinet historia nouissima, relata a celeberrimo PETRO PAVLLO MOLINELLO, et inserta *Commentariis de ill. Bononiensi Scientiarum et Artium Instituto atque Academia, ingentis frugis plenissimis, Tom.* II, *Part.* I.

pag.

pag. 157. de femina quadam extrema macie confecta, in cuius monstroso fere ventriculo, circa pylori regionem, *tumor ingens repertus fuit, qui ad initium duodeni excreuerat ex illis glandulis, quae ibi frequentiores esse solent; quaeque in illa miserabili muliere praeter modum auctae, duritiem vbique fere scirrhosam, aliquibus in locis etiam osseam, obtinebant. Erant autem glutinatae adeo, compactaeque, vt omnem aditum a stomacho intercluderent,* ut ipsius praestantissimi MOLINELLI verbis loquamur. Callosos tandem praeduros, arctosque pyloros, in cadaueribus repertos accurate descripserunt ill. MORGAGNVS, *Epist. anat.* 30. *pag.* 22. *sqq.* BONETVS, SCHVRIG. *in Chylol.* BARTHOLINVS et BOHN, it. Cel. LANGGVTH *in Commentat. de Tabe sicca letali ex Callosa pylori angustia*, et nouissime Cl. RICHTERVS iun. in diss. *de Casu medico intumescentis et Callosi pylori cum triplici hydrope, Goetting.* 1764. quae tota huc spectat, ne iam de aliis dicamus. Verum hic tandem modus terminusque constituendus. Licet enim longe adhuc plura supersint, his ipsis iamiam allatis nec inferiora, nec abiectiora, aut vsu eximio caritura; magis tamen placet, haec ipsa nunc premere potius, quam promere, ne scilicet fastidiosa nimiorum exemplorum copia molestam iniucunditatem pariat Lectoribus, qui nos forsan iure admonituri sint veteris illius dicti praeclari: *Non minus magnam virtutem esse, scire desinere, quam scire dicere.*

§. XL. Nunc autem ad illas ipsas tantarum in corpore humano immutationum ac transfigurationum caussas atque origines absconditas transeundum potius videtur. Enimvero

Fert animus, caussas tantarum expromere rerum,
Immensumque aperitur opus: Quid saxea reddit
Viscera, quid tactis inducit marmora rebus.

Verum mox in limine ipso, feruidus iste impetus subito conceptus, subito consenescit, animusque timide refugit, trepida desperatione assequendae veritatis, merito deterritus. Non cura laborque noster scire valet. Licet enim SCHENCKIVS, SACHSIVS, HELMONTIVS, ALBOSIVS, FROVANCHERIVS, LICETVS, immortalis noster SENNERTVS, aliique plures clarissimi Viri, omnes ingenii vires, acerrimo studio, eo potissimum contulerint, vt veras mirandarum istarum immuta-

 tatio-

tationum et conuerſionum cauſſas indagarent, et indagatas in clara luce locarent, quarum nempe miniſterio et adiumento, viſcera humana molliora et ſequaciora in naturam prorſus ſibi contrariam, cartilaginoſam ſcilicet, oſſeam, aut plane lapideam tranſirent; tamen iſthaec omnia, ſi verum quidem fateri liceat, ſubtilioris potius ingenii ſunt formamenta, quam demonſtratae veritatis firmamenta. Non enim iſti comprehenſa, neque definita, neque ſatis percepta dicunt; ſed lubrica potius atque ambagioſa coniectatione nitentes, inter falſa veraque medii, quaſi per tenebras, titubanter ingrediuntur. Hinc et hic, ſicut in mille aliis rebus nobis abſtruſis plane atque incomprehenſibilibus, praeſtat, noſtram caliginoſam ignorantiam candide ac verecunde fateri, noſtraque vanae ac vagae curioſitati fibulam quaſi imponere; quam tantum ingenioſa quaedam figmenta, omni tamen fide vſuque caritura, audacter comminiſci, quae celeriter, tanquam ſolſtitiales floſculi, decidunt ac euaneſcunt. Multa enim, immo quam plurima, ſunt, quae eſſe concedimus, qualia autem ſint, prorſus ignoramus. Latent profecto iſta omnia, latent et latebunt ſemper, craſſis occultata et circumfuſa tenebris, vt nulla humani ingenii acies tanta ſit, quae citatim in naturae circumuelatae inacceſſa adyta, flectuoſosque maeandros penetrare poſſit, aut caecas illius operationum reconditarum cauſſas euoluere valeat. Nam

Sic placuit Superis, quaerere plura nefas.

§. XLI. In noſtro tamen praeſenti caſu, et atrocitatis, et periculi mortiferi nouitate, in primis memorabili, aliquam ſat probabilem reperiri poſſe cauſſam confidimus, quam forſan animus, praeiudicatis opinionibus exoneratus, aut re ipſa veram inueniat, aut certe haud procul a vero.

§. XLII. Exiſtimamus nimirum, diram illam inſanamque glaciem niuemque rodendi atque potandi cupidinem, in exaeſtuantis ſtomachi perbreue ſolatium, per tot annos continuos, furioſe expletam ac extenſam, et illius crudelis famis, et ſequutae exinde lacrimoſae mortis, primariam fuiſſe cauſſam ac fabricatricem.

§. XLIII. Nihil enim magis peſtiferum, noſtraeque ſanitati, quin immo ipſi adeo vitae, damnoſius exitioſiusque eſſe eiuſmodi cibis glaciatis potionibusque niuatis, aeſtuanti ſtomacho ac feruentibus inteſtinis ingenti copia, ſubito ingeſtis, res eſt vnanimi omnium Medicorum

rectius

rectius sentientium suffragio dudum confirmata, et mille tristibus exemplis vberrime probata, adeo vt de tam confessa et explorata veritate ne dubitare quidem liceat, vid. interim praeter alios plures, PETRI BORELLI *Obs. Med.* XI. *Cent.* III. et ZACVTI LVSITANI *Hist. Med.* 98. *Lib.* II. *pag.* 876. *sqq.* et *Hist.* 4. *Lib.* III. *pag.* 40. *sqq.* item *Hist.* II. *Lib.* 4. *pag.* 304. *sqq.* et BARTHOLINI *Obseruat. de Niuis vsu medico capp.* 35. 36. et 37. *pag.* 199. *sqq.* vt et BERTI *Diss. de Frigid. pot. cap. vlt.* Tabem namque et morbos sensim atque in diem longum, visceribus inseminare eiusmodi gelidissima torpentis gulae blandimenta, aut irritamenta, quae ingeniosa sitis, vt MARTIALIS ait, immo potius furiosa, commenta est, ex ARISTOTELE potissimum philosopho, rei omnis humanae peritissimo, praeclare solideque pluribus ostendit AVL. GELLIVS, *Lib.* XIX. *Noct. Att. Cap.* V. et ex eo MACROBIVS, vt solet, *Lib.* VII. *Saturn. Cap.* 12. *pag.* 435. Sed iam pridem ante ARISTOTELEM, verissime ac grauissime ita pronunciaverat summus noster HIPPOCRATES, *Aph.* 24. *Sect.* V. Τὰ ψυχρὰ, οἷον χιὼν, κρύσταλλος τῷ στήθει (adde τῇ κοιλίᾳ ἢ τῷ στομάχῳ) πολέμια, *frigida, veluti nix, glacies, pectori inimica:* et in primis *Lib. de Humidorum Vsu, pag.* 602. Εἰκότως ἄρα καὶ αὐτὸς ὁ θώρηξ, καὶ αὐτὴ ἡ κοιλίη, κρατεομένη ὑπὸ τοῦ ψύχεος, μάλιστα ἀγανακτεῖ καὶ θανατοῖ, *merito etiam ipse thorax, et ventriculus ipse a frigida potione superatus, molestissime fert, et mortis periculum incurrit.* Inde et ipse CAELIVS AVRELIANVS, *Lib.* II. *de Morb. acut. cap.* 13. *pag.* 110. ipsam quoque acutissimam pleuritidem, inter alias caussas, oriri, rectissime asserit, *ex plurimo niuis potu,* quomodo ibi rectius legendum esse pro vulgatis, *plurimo nimis potu,* alibi pluribus accurate demonstrauimus: quo et vel maxime spectat, quod infra rursus, *Lib.* III. *de Morb. acut. cap.* I. *pag.* 180. ipsam diram Synanchen, etiam ex *Niuis potatione,* funestam suam originem saepius trahere, obseruauit, vnde haec ipsa nostra coniectura, aut emendatio superioris loci, haud leue, opinor, robur, aut fulcrum accipere videtur. Sed haec obiter. Cuius funesti gelidi haustus copiosi effectus exemplum memorabile de STHENEO ABDERITANO, palaestrae custode, idem refert, *Lib.* VI. *de Morb. Epid. Sect.* VIII. *pag.* 822. de quo vid. ZACVT. LVSITAN. *Hist.* 98. *Lib.* II. *dub.* 5840.

pag.

pag. 876. *sqq.* Quem sequitur, vt solet, CELSVS, *Lib.* I. *cap.* 3. *Ex labore sudanti frigidae potio perniciosissima est:* item PLINIVS *Lib.* XXXI. *Cap.* 6. Hinc et frigidam nimis aquam, praesertim aestate anni flagrantissima, aut aestuante nimium intus corpore ipso, confertim confestimque ingestam, inter perniciosissima perniciosissimaque venena iure numerant DIOSCORIDES, in *Praef. ad Alexipharm. pag.* 402. QVINCTILIANVS, *Declamat.* CCCL. 10. CHRYSOSTOMVS, *Homil.* LXXV. in *Cap.* XXIII. *Matth. Tom.* I. *Opp. in Nou. Test. pag.* 794. et *Tom.* VI. *pag.* 948. SENECA, *Lib.* II. *de Benef. cap.* 14. et alibi, GALENVS, AEGINETA aliique plures. Cuius rei plura luctuosa exempla exstant apud ARRIAN. *Lib.* VI. *de Expedit. Alex. pag.* 427. PLVTARCH. in *Anton. Cap.* 66. APPIAN. *Lib.* V. *de Bell. Ciu. pag.* 1166. *Tom.* II. LVCAN. *Lib.* IV. *Pharsal.* 368. CVRT. *Lib.* VII. *Cap.* 5. multosque alios. Inde FLAV. VESPASIANVS, *quum super vrgentem valetudinem, creberrimo frigidae aquae vsu, intestina vitiasset, subito inter manus subleuantium extinctus est,* teste SVETONIO, in *eius Vita, Cap.* 24. Quo miserabili fato etiam THEOPHILVM Imperatorem periisse, memoriae prodidit CEDRENVS, *Tom.* II. *pag.* 532. Nonnihil etiam, et ex parte quidem, huc pertinet illud, quod ad VALENTINIANVM Imp. in *Epistola* scripsit VINDICIANVS: *Illico infuso sale aquam frigidissimam obtuli eius ardori, qui quum desiderio recentis, quo cruciabatur, totum, quod ei oblatum fuerat, ebibisset, Autores Medicinae magni, qui id spectabant, exclamauerunt, occidisti hominem!* vid. SCHREINERI *Not. ad Theodori de Diaeta, Cap.* XVII. *pag.* 80. ibi enim praeter opinionem, salutaris effectus sequutus narratur, conf. CASP. A REIES, *Quaest. Med.* LXXIV. *pag.* 1005. *sqq.* BARTHOLIN. *Obs. de Niuis vsu med. Cap.* 23. *pag.* 135. *sqq.* et PAVLLINI *Obs. med.* 66. *Cent.* I. *pag.* 79. *sqq.* et quos ibi citat Auctores, item *Obs.* 68. *pag.* 81. *sqq.* ibique laudatos Medicos: vt et PETRI BARRA *Lib. de vsu frigidi, glaciei et niuis,* quem laudat SPON. in *Nouis Hippocratis Aphorism. pag.* 364. item RESTAVRANT *Lib. de vsu glaciei apud Hippocratem,* in quo tamen multa paradoxa.

§. XLIV. Quum igitur asperioris frigoris ea potissimum vis sit ac consuetudo, vt, quod vulgo notissimum est, omnia generatim corpora, tam fluida, quam solida ac flexibilia, arctius constringat, pressius contra-

hat,

hat, et rigidius induret; inde nunc facile mente ſolerti concipere licebit, quo nempe pacto in noſtro miſerando popinone, dum niues glaciemque inſatiabiliter ligurit atque potat, poenasque montium in voluptatem gulae, ſed et in eiuſdem exitioſam poenam vertit, adeo vſque coanguſtatum atque in pertinaciſſimum callum permutatum fuerit ſuperius ventriculi oſculum oſtiumque, vt liberum lubricumque ciborum iter plane intercluderetur, hincque exſucca totius corporis macies lethalisque tandem fames ſubſequeretur. Rigidiſſimo enim illo gelu glaciali, feruentibus extis continuo auidiſſime ingeſto, id demum calamitoſum fatum exortum eſſe videtur, vt fibrae praeſertim ſtomachi, ſiue ſuperioris oſculi, orbiculatim circumductae, carnoſae ac craſſae, vna cum intextis neruis, ſubito vehementius conſtringerentur, ac deinde ſenſim in rigidiſſimum callum, aut duriſſimam cartilaginem coagmentarentur.

§. XLV. Quale quid iam ſua tempeſtate, obſeruauit GALENVS, *Comment. in Lib.* VI. *Epidem. Hipp. pag.* 445. *Tom.* IX. *Opp.* per CHARTER. et alibi: item et SENECA, *Epiſt.* XCV. cuius in primis verba notatu digna: *Quid? Tu illam aeſtiuam Niuem non putas callum iecinoribus obducere?* quod ſi enim his adieciſſet: *et ventriculis*, tum ipſum profecto noſtrum caſum praeſentem, breuiſſime quidem, at pleniſſime tamen, deſcripſiſſet. Sed recentiore in primis aeuo, exitialis eiuſmodi gelidi potus eſusque glaciei effectus frequentius obſeruatus fuit ab IO. VARANDAEO, *Tract. de Morbis Ventriculi, Cap.* I. *ſqq.* iisque praeſertim Auctoribus, qui de Potus Frigidi Noxis et Abuſu, ex inſtituto, commentati ſunt, quo vel maxime pertinent NIC. MASINIVS, de quo vid. ERYTHRAEI *Pinacothec.* I. *pag.* 275. IO. PHILIPP. DE LIGNAMINE, et alii, magna copia laudati ZACVTO LVSITANO, *Hiſt. Med. princ.* LXVI. *dub.* 32. *pag.* 503. *ſqq.* et *Lib.* III. *Hiſt.* 4. *p.* 40. *ſqq.* quibus add. IO. MATTHAEI *Quaeſt. Med.* XLII. *pag.* 150. *ſqq.* BENIVEN. *de abditis morborum Cauſſis*, *pag.* 221. *ſqq.* RIEDLIN. *Lin. med. ann.* 1695. *Obſ.* 21. *pag.* 54. praecipue B. RIVINI, praeceptoris olim noſtri doctiſſimi, *diſſ. de Frigoris damno*, et denique, ſi placet, diſſ. noſtra, *de pleuritide aeſtiua, rarius occurrente*, §. VIII. *et ſqq.* item WEDELII *Exercit. Med. philol.* 9. *Decad.* IX. *pag.* 66. *ſqq. de Frigore morbifico.* Conf. *Acta Med. Berol. Decad.* II. *Vol.* II. *pag.* 83. *ſqq.* Binae quoque ſingulares hanc in rem

 hiſtoriae

hiſtoriae conſignatae leguntur apud IO. RHODIVM, *Obſ.* XLVII. *Cent.* II. et *Obſ.* LXXI. ibidem; quas, quia breues, hic infra, Lectorum pace, adſcribere iuuat: *Murani, nobilis virgo ab intempeſtiuo refrigerantium, ad inflammationem, vſu, contracto gulae ſcirrho, aſſumta aegerrime deglutiebat.* Altera haec eſt: *Iuuenem gracilem cardialgia inuaſit exquiſita, a potu frigidae, contractis orificii ventriculi neruis.* Quod et iam olim cuidam Imperatori pari modo, accidiſſe, refert ita CEDRENVS *Tom.* II. *Hiſt. pag.* 707. Ἀνενεγκὼν ὕδωρ πιεῖν, ἐπεζήτησε ψυχρὸν, λαβὼν δὲ καὶ πιὼν ἐλήφθη καρδιωγμῷ, καὶ μετὰ ἡμέρας β'. θνήσκει. Quam in rem perquam notabilem quoque hiſtoriam refert GALEN. *Lib.* VII. *de Methodo Med. Cap.* 8. *pag.* 170. *Tom.* X. ad quem locum vid. in primis ZACVT. LVSITAN. *de Med. princip. Hiſt.* LIV. *Lib.* II. *pag.* 504. *ſqq.* vbi plura. Sic etiam e ſolo gelidae cereuiſiae hauſtu, lethalem gulae reſolutionem, ſeu paralyſin, aliquando obortam fuiſſe, obſeruauit HELWIGIVS, *Obſ.* 49. *pag.* 177. apud BONET. *Tom.* I. *Med. Sept. Lib.* I. *Sect.* XVIII. *pag.* 171. vbi legi meretur adiectum a SCHROECKIO Scholion. Qualia fere etiam adnotarunt THOM. WILLISIVS, *de Medicament. Operat. Sect.* III. *Cap.* 3. *pag.* 28. NIC. TVLPIVS, *Lib.* I. *Obſ. Med. Cap.* 42. FREIND, *Hiſt. Med. pag.* 498. STALPART. VAN DER WIEL, *Obſ.* 27. *Cent. poſt. Part.* I. *pag.* 280. *ſqq.* STEPH. BLANCARD. *Coll. Med. Phyſ. Cent.* III. *pag.* 45. IO. LANGIVS, *Epiſt. Med.* XLIII. *Lib.* II. *pag.* 689. et *Epiſt.* XXVII. *pag.* 608. item *Epiſt.* XXXI. *Lib.* I. *pag.* 129. aliique plures. Quare, vt et hoc problema hodie certe perquam controuerſum, paucis attingam, mihi, ſi a maximis quidem Viris, BOERHAAVIO, LANCISIO, HAENIO aliisque modeſte diſſentire liceat, nondum ſatis probabile aut credibile videtur, calidis in primis Theae vel Caffeae potionibus, hodie, ſaeculi vitio, iuſto frequentius vbique ingeſtis, vnice adſcribendas eſſe illas quidem Oeſophagi, Ventriculi et Pylori affectiones deterrimas et pertinaciſſimas, nempe Callos, Scirrhos, cancros, ſteatomata, contractiones et duritias; quum calida potius partes praeſertim membranoſas et neruoſas, emolliant, relaxent, debilitent, extendant atque effoeminent, vti praeter quotidianam experientiam, teſtatur ipſe grauiſſima ſua auctoritate HIPPOCRATES, dum *Lib. de Humidorum vſu, pag.* 601. *ſqq.* et *Aph.* 16. *Sect.* V. calidis σαρκῶν ἐκθήλυνσιν

λυνσιν

λυνσιν καὶ νευρῶν ἀκρατειαν, *Carnis nempe effoeminationem et Neruorum debilitatem* attribuit, quum frigida e contrario, easdem partes contrahant, indurent ac rigidas reddant, vt ibidem solide docetur. Et quid multa? ipsum contrarium manifestissime quoque vbiuis probant omnes gentes Eoae, Turcae, Arabes, Sinenses, Persae et aliae, quae quippe vel domi, vel in publicis Thermopoliis desides sedentes, per totas dies, imo, per totam fere vitam, adamatam vnice Caldam strenue auideque potant; et tamen nec Callis, nec Scirrhis, nec carcinomatis denique Oesophagi, aut Ventriculi exinde infestantur, adeo, vt moesta eiusmodi exempla apud ipsas ne quidem nota esse, perhibeatur; vti etiam nec frequentius occurrunt apud Italos, Anglos, Belgas, Hispanos, et alios auidiores caldipotores, ne ipsis quidem Germanis meis prorsus hic exclusis. Vnde etiam hanc valde dubiam adhuc et mere coniecturalem istorum atrociorum affectuum caussam, a nimio caldarum potionum vsu, aut abusu, desumtam, ceu nondum satis exploratam et probatam, in medio merito reliquit sapientissimus et modestissimus senex ille MORGAGNVS, *Epist. anat.* 28. *pag.* 11. *Tom.* II. magni et eximii plane operis, *de sedibus et caussis Morborum*, nec nostram hanc coniecturam de potu potissimum frigido petitam, ceu frigidam, aut improbabilem ibidem prorsus spernit, quin potius hanc ipsam dissertationem, supra omne meritum, ingenti elogio, nimis benigne ornat. Sed haec obiter.

§. XLVI. Verum hic tandem terminus esto! Longius enim praeter opinionem, nos iam prouexit materiae vbertas, quam animo primum destinaueramus. Hinc et nihil nunc de ipsa atrocis symptomatis medela adiicere licet, quae tamen re ipsa, ambigua plerumque ac inefficax est. Quamuis enim mox ab initio, ars salutaris quaedam spondeat praesidia, aliquam partem iam indicata a CAELIO AVREL. *Lib.* III. *de Morb. Chron. Cap.* 2. *p.* 445. *sqq.* et aliis, in primis vero a celeb. HAENIO, in aliquoties iam merito laudata *diss. egregia de deglutitione impedita*, ibique *Cap.* IV. *p.* 45. *sqq.* item SCHVRIGIO, in *Chylologia*, et b. nostro VATERO, in *dissert.* supra iam cum debito elogio citata, de *Deglutitionis impeditae caussis abditis*, *Thes.* VIII. *pag.* 23. vbi et clysteres praesertim nutrientes in vsum aduocandos esse monet, de quibus et nos peculiari Exercitatione, satis, ni fallor, accurate olim egimus. Verum re

penitus iam conclamata, et ipſa illa ciborum officina arctius contracta, rigida, calloſa et obthurata, ipſi ſane illi clyſteres nutrientes, tantopere heu! fruſtra, laudati, nihil quidquam ad vitam longius prorogandam, proficient, multo autem minus indomitae morti moram vllam afferent; id quod praeter alia plura, a BONETO, WILLISIO, WEDELIO, GRAAFIO, HELMONTIO et aliis, commemorata, luculenter in primis comprobat triſte iſtud exemplum, ab elegantiſſimo TVLPIO quondam relatum, *Lib.* I. *Obſeru. Med. Cap.* 42. *pag.* 78. qualia et alibi paſſim leguntur: Conf. FREINDII *Hiſt. Med. pag.* 498. *ſqq.* Attamen, vbi pertinaciſſima illa mala iamiam inueterauerunt, ac per longiores moras inualuerunt, tum prorſus eſſe ſemper fere ſolent immedicabilia, vt modo, liquido, vti ſpero, a me oſtenſum. *Ponendum igitur,* vt cum CELSO finire liceat, *Lib.* VIII. *Cap.* 13. *hunc ſingularem funeſtum caſum hic eſſe credidimus, non, quo curatio eius rei vlla ſit; ſed vt res indiciis cognoſceretur, et non putarent, ſibi Medicum defuiſſe, ſi qui ſic aliquem perdidiſſent.*

T A N T V M.

NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE
VIRO,
IO. EPHRAIM FRIDERICO BVLISIO,
VITEMBERGENSI,
MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO,
S. P. D.
PRAESES,
DANIEL WILHELMVS TRILLERVS.

Praeclare, vti fere ſemper ſolet, ſcripſit quondam Cicero: Vt leuitatis eſt, inanem aucupari rumorem, et omnes vmbras, etiam falſae gloriae, conſectari: Sic leuis eſt animi, lucem ſplendoremque fugientis, iuſtam gloriam, qui eſt fructus verae virtutis honeſtiſſimus, repudiare.

Quod ſi igitur verum eſt prudentiſſimum hoc Viri eloquentiſſimi effatum, ſicut ſane veriſſimum videtur; inde rem potius laudabilem, quam vituperabilem, feciſti, Vir Experientiſſime, quod ſummos in arte ſalutari honores dudum

dum promeritos, non ſolum modeſte ambires; ſed etiam iure quaſi tuo, affectares.

Licet enim Gradus Doctoris ſic dictus neminem ad verum illum arduumque virtutis, ſapientiae et doctrinae gradum euehat, niſi qui pectus generoſo Honeſto quaſi incoctum et ingenti literarum flumine inundatum attulerit; tamen vel interna animi ad humanitatem exculti et doctrinis perpoliti merita per externa quoque praemia ac honeſtamenta, ſplendido quaſi aliquo paludamento circumiecto, magis exornantur, et fulgentiore lumine circumfunduntur.

Quae vero vbi defecerint, tum ſane eiuſmodi mentita ornamenta, indignis impertita, inania prorſus ſunt, et ignominioſa potius, quam glorioſa.

Praeſertim autem id genus male locati honores ipſi adeo humano generi damna inferunt longe atrociora, quando Medicis imperitis indoctiſque, vti ſaepenumero fieri ſolet, tribuuntur, quoniam nempe tunc, iure quaſi ſceleri dato, publicam veluti licentiam nanciſcuntur, impune ac officioſiſſime occidendi, ac dira experimenta per feſtinatas miſerorum hominum mortes, faciendi.

Animo enim ac re ipſa, non titulo, aut nomine, Medicum eſſe oportet, conſilio ſcilicet, fide, grauitate, vigilantia, cura, experientia, pietate, diligentia, aliiſque praeclaris virtutibus, quas in vero ac perfecto Medico iure requirunt Medicorum maximi et praecipui, HIPPOCRATES, *inquam, noſter,* GALENVS, CELSVS *et alii plures.*

Quas quum in te quoque, Vir clariſſime, arctiſſimo quaſi vinculo aptas ac conſociatas, dudum deprehenderit gratioſus noſter Ordo medicinalis: ideo ſummos in arte medica honores animo aequo, immo etiam gaudenti ac libenti, hodie tibi confert, atque de iiſdem ſimul candide gratulatur.

Cuius ingenuis votis et ego praeſertim, ſerena fronte menteque laeta, accedo, Deumque ſupremum imploro ac obteſtor, vt omnibus tuis conſiliis et negotiis in aegrotorum ſalutem in poſterum ſuſcipiendis ſucceſſus proſperos clementiſſime addere velit, quo multi tuo auxilio, ſub diuinis auſpiciis, ad ſanitatem reducti, habeant, de quo et ſibi impenſe gratulentur, et tibi: ſibi quidem, de ſuperato feliciter periculo; tibi autem, de officio rite ac ſapienter praeſtito, atque ſplendido honore lucroque honeſto exinde merito reportato.

Ceterum in publica Commoda, quam diutiſſime, bene vale, mihi etiam abſenti ac a te disiuncto, fauere perge! Scribebam, raptim, Vitembergae, d. III. *April.* CIↃ IↃ CCL.

DISSERTATIO MEDICA SECVNDA.

DE NOCIVA CANCRI INVETERATI EXSTIRPATIONE

NOVIS EXEMPLIS DEMONSTRATA.

PROOEMIVM.

Nihil quidem frequentius apud Medicos Chirurgosque inprimis, reperitur, promta teterrimi Cancri Exstirpatione: sed nihil tamen eadem esse vt plurimum incertius, damnosius et periculosius, simul moesto cum corde fatendum est. Adeo enim vsque immite atque intractabile prorsus abominandi illius Mali plerumque esse solet ingenium, vt nulla fere humana ope et arte superabile sit, vnde verissime quondam cecinisse videtur notissimus ille feliciore ingenio, quam fato, poëta Sulmonensis:

Vlceris id genus est, quod, quum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse puto.

Profecto, ne potentissima quidem Naturae et Artis instrumenta et praesidia, Ignis nempe atque Ferrum quidquam saepius valent ad foecundam illam et immortalem quasi luem penitus extinguendam. Neque enim atrocissima illa pestis exscinditur ferro, aut exuritur igni; quin potius

Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro:
Non Hydra, secto corpore firmior,
Vinci dolentem creuit in Herculem:

Quam Hydra illa Cancrorum plus quam Lernaea, in Medicos Chirurgosque, vinci dolentes, adauctis subinde viribus,ērociter insurgit, omniaque illorum machinamenta, quantumuis valentissima, eludit atque retundit. Tam late enim serpit dirum istud immedicabilis Mali contagium, vt, licet vno loco, vindice ferro, rescissum fuerit, mox tamen altero, acrius resurgat, immo et hoc repurgato, paullo post tertium, quartumue foedissima sua tabe infestet et contaminet, ita, vt in hoc

numeroso

numeroſo et feraci Malo plane eradicando, vna fere ſalus ſit, nullam prorſus ſperare ſalutem, et *maxima hic ſcientiae medicae pars eſſe videatur, ſanare non poſſe*, vti ſcite loquitur QVINCTILIANVS. Non enim eo ipſo ſolum loco, vbi peſtiferi illi, liventes ac ſubfuſci Cancri ramices latius diſperſi conſpiciuntur, propria ac deſtinata eiuſdem ſedes eſſe deprehenditur: ſed per omnem potius corporis affecti et infecti ambitum, vbi muſculi, pinguedines et glandulae potiſſimum repoſitae ſunt a Natura, latiſſime circumſperſa latent contagioſa Cancri edacis ſemina exitium paritura: Inde ſaeuum virus

vrit corpore ſerpens
Quamcunque arripuit partem, repitque per artus.

Mutua namque tabe mox omnia inficiuntur, et exſtirpato vno Cancro, protinus alibi aliter, immo et tertius, vt dixi, foeda foetura ſuccreſsit, exhauſto nempe ſic Mali inexſtirpabilis riuo, non ipſo integro eiuſdem fonte obturato, et hoc eſt, quod SENECA de ipſo AVGVSTO, dixit, ſenſu licet ibi morali et allegorico, *Lib. de Breuitate Vitae*, cap. V. *Haec vlcera cum ipſis membris, abſciderat; alia ſubnaſcebantur.* Vnius igitur Cancri exſtirpationem plerumque alterius eſſe generationem, ex his ipſis ſequentibus tribus Exemplis notatu certe digniſſimis, a me ipſo quondam, cum cura obſeruatis, nunc, ſpero, liquidius pateſcet. Ramo enim

- - - *primo auulſo, non deficit alter*
Peſtifer, et ſimili frondeſcit Virga veneno.

HISTORIA PRIMA.

Fabro cuidam ferario, annorum XLVI. oris pallidi, corporis macilenti, exſanguis et debilis, forte in labio inferiore, enatum erat exiguum Tuberculum, mediocris lentis, aut piſi magnitudine, nonnihil durum, colore liuidum et quandoque leuiter dolens: Haec nempe erat venturi prima fauilla Mali. Quod quum ille ſaepius, vt fieri ſolet, manu improba incautius contrectaſſet, atque ſubinde compreſſiſſet; paulo poſt accidit, praeter omnem ſpem et opinionem, vt exiguum hoc primam frontem, malum mox acrius exaſperaretur, dolores vehementius increſcerent,

ſcerent, illudque paruum modo Tuberculum in patentiorem ambitum ſeſe latius explicaret, adeo vſque, vt ipſum totum labium foedo admodum adſpectu, alte intumeſceret, liuidam duritiem indueret, atque demum per ruptas paſſim ſua ſponte fiſſuras, ſanguinem atrum, foetidum ac corruptum ſenſim exſtillaret.

Futuri ergo metuens quidem; ſed graui ſimul paupertatis incumbentis onere deterritus, vt Medicum peritum, aut Chirurgum in Arte exercitatum, vti decebat nimirum, tempeſtiue accederet, varia mox ipſe adhibuit contra augeſcens malum, remedia vt plurimum domeſtica, nunc bona, nunc mala, vt nempe fieri conſueuit, nullo prorſus delectu habito: quibus tamen omnibus nihil quicquam proficientibus, tandem de ſalute anxius, in conſilium aduocauit tonſorem quendam ſibi vicinum, qui, ex prauo nonnullorum iſtorum hominum more, per mortes et caedes, dira experimenta facientium, Mali praeſentis ignarus, et futuri improuidus, varia ipſi vnguenta et emplaſtra, quorum virtutes, aut noxas ipſe tamen neſciebat, liberali admodum manu, ſuggeſſit: ſed tam ſiniſtro quidem cum euentu, vt loco ſperati promiſſique auxilii, omnia potius quotidie in peius ruerent, ipſumque labium, pereunte prorſus figura priſtina, in deformem plane viſuque terribilem tumorem attolleretur.

Exacto igitur inter tot aerumnas atque miſerias, integro paene anno, tandem infelix iſte et exſpes fere aegrotus me ipſum anno 1735. acceſſit, meam etiam qualemcunque opem imploraturus.

Vix autem viſo horribili illo atque monſtroſo plane labio, mihi protinus frigidus horror

Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.

Ingentis enim farciminis ad inſtar, ſanguine infarcto turgidi, eouſque foede propendebat, vt graui eius pondere pendulo ipſum ſubtus mentum, teterrimo quidem ſpectaculo, penitus occultaretur. Vel ad leuiſſimum autem digiti admoti attactum, ſanguineae guttae tanta quidem copia, vndique emicabant, vt timide tangentes manus atro horrendi foetoris tabo vbique affatim commacularentur.

Quibus omnibus ancipitis praecipitisque mali momentis curatius exploratis atque expenſis, ipſi ſtatim candide et ſine ambage, expoſui intractabilem prorſus immedicabilis huius Cancri cruenti indolem ac naturam,

ram, addidique, omnem ſalutis ſpem in ſolo eſſe ferro repoſitam, eoque aut confeſtim ipſam illam teterrimam peſtem eſſe iugulandam, aut eum ipſum proxime, indomabili eiuſdem ſaeuitia fore iugulandum. Non enim aliud plane dari ineuitabilis fati effugium, nec bene nunc conuenire lenta remedia alia rapidiſſimae intus furentis Veneni pernicitati.

Quam duram decretoriamque quaſi ſententiam quum iſte imperterritus prorſus accepiſſet; ſtatim nos ſerio atque efflictim rogauit, vt nulla interpoſita mora, arduo iſti et generoſo operi exſequendo alacriter accingeremur, ſeque ad blanda venturae ſalutis gaudia, ſic excruciaremus; ſeuere adiiciens, ſe quidem ad omnia diſcrimina, aut tormenta intrepide ſubeunda, promtum ſatis paratumque animum iamiam induiſſe, malleque citam mortem ſufferre, quam vitam diutius tolerare mille omnino mortibus deteriorem: ſeſe enim non tam viuum eſſe hominem, quam potius ambulans quaſi inſepultumque adhuc cadauer, quod et ſibimet ipſi, et omnibus aliis hominibus abominabili eſſet terriculamento.

Praeparato igitur ſic prius per iuſtam ſanguinis miſſionem, et repurgato leniter inferius corpore, potionibusque corruptam ſanguinis maſſam emendaturis, largiter propinatis; nihil quidquam amplius cunctati ſumus, inexpugnabilem iſtam hactenus peſtem ſtricto ferro animoſe exſcindere: quod quidem per peritam ſolertis chirurgi dextram, tam fauſto cum ſucceſſu, peractum fuit, vt temporis fere puncto, vno propemodum ictu, labium illud tabifica labe infectum a parte ſui ſincera concinne diſſociatum, excideret, mirantibus nobis merito ferream quaſi fabri illius conſtantiam, et inconcuſſam animi intrepidi firmitudinem, qua SCAEVOLAE alicuius ad inſtar, luctibus atque doloribus impenetrabilis, ſiccis plane et irretortis oculis, lacrimabilem ſui iacturam, et particularem quaſi corporis laceri funerationem hucuſque ſpectauerat: Nullos enim eiulatus, nullas comploratiohes, et ne vllas quidem voces indecoras hactenus, inter illam lanienam Hippocraticam, ediderat.

Recens interea vulnus rite curatum, mundatum et obligatum blandum ſenſim atque laudabile pus reddidit, et iuſto demum tempore, pulchram ſatis ac decoram cicatricem duxit, ſuccreſcente nempe mira naturae fictricis ſolertia, ceu qnodam amiſſi labii imitamento. De quo dubitare quidem nonnihil videtur CELSVS, *Lib.* VI, *cap.* 15. et *Lib.* VII,

cap. 9. luculenta tamen in contrarium exempla attulerunt PARAEVS, *opp. Chirurg. Lib.* VI, *cap.* 29. *p.* 219. TIMAEVS A GVLDENKLEE, *Caſ. medicinal.* 38. *Lib.* I, *pag.* 71. et ILL. VAN SWIETEN, *in Comment. in Aphoriſ. Boerhaau. Tom.* I, *pag.* 896. aliique inferius allegandi. Praeſertim autem celeb. ille TALIACOTIVS, in *Chirurgia noua curtorum, Lib.* II, *cap.* 19. *p.* 531. *ſqq.* quibus add. B. PLATNERI *Chirurg. pag.* 161. et ill. HEISTERI abſolutum Opus Chirurg. Tanto igitur vitae diſcrimini exemtus, plenaeque, vt videbatur quidem, ſanitati aliquo poſt tempore, redditus, laetus, et quaſi ex Orco reuocatus, ad ſuos domum reuerſus eſt, poſitoque omni ambigui futuri metu, per integrum fere annum, ſatis probe commodeque valuit. Illo autem vix exacto, ſuſpecta admodum raucedo atque ardua cibos ingeſtos detrudendi difficultas ſeſe illico prodidit; inſpectoque diligenter ipſo quidem ore ac collo, cum ingenti viſentium ſtupore, triſtiſſimum illud apparuit ſpectaculum, peſtiferum nempe iſtud canceris virus adhuc intus reſiduum, obturato illo externo oris oſtio libero, nunc maiore longe periculo, ipſos interiores faucium collique receſſus inuaſiſſe, ibique vuulam, palatum, atque vtraſque tonſillas, non intactis plane externis quoque pone aures, glandulis parotidibus, immedicabili lue infeciſſe.

Licet igitur mox potentiſſima remedia tam interna, quam externa, vti linctus, potiones, gargariſmata, aliaque profutura, in vſum aſſiduum, ſine vlla cunctatione, aduocarentur, non excluſis ſimul Medicamentis ex mirifico illo, vt creditur quidem, Ligno ſancto, atque Hydrargyro ipſo, volubili ſua mobilitate omnes tenuiſſimos corporis canales et receſſus liberrime permeante et penetrante paratis; fruſtra tamen omnino ſolertiſſimae etiam manus medicae adhibebantur, Arsque ipſa ſalutaris victa moeſtaque iacebat. Quoniam enim ob caecos difficileſque anguſtiarum aditus atque receſſus, nemo facile ſummum tetri vlceris interni os ferro acuto reſcindere poterat, licet quoddam in faucibus carcinoma vſtione adhibita, feliciter ſeſe olim extinxiſſe, ſcripſerit HIPPOCRATES noſter, *Lib. de Morbis Epidem.* VII, *p.* 873. quem poſtea noſtro quidem aeuo, fortiter feliciterque imitatus fuit magnus FRED. RVYSCHIVS, *Obſeruat. Anatom. Chirurg.* LXXVI, *p.* 70.

quod

quod ipſum nec ignorauit CELSVS, *Lib.* VI, *cap.* 15. *pag.* 391. hinc vitium inſanabile tanto magis alebatur, viuebatque validius tegendo, atque latius quaquauerſum proſerpendo, diuagabatur, adeo, vt tandem iſte mortalium miſerrimus, in ſe tumeſcentibus paullatim faucibus, et impedito hinc libero animae meatu, macie, fame, aeſtu, aegritudine et febre lenta confectus et attritus, mortem in tot malis, ceu portum ac finem miſeriarum, anxie quaereret, ac toties quaeſitam et expectatam demum, poſt aliquot hebdomadas lamentabiliter tranſactas, auſpicato inueniret. Manifeſto nimirum argumento, tardiora ſcilicet ſaepe eſſe Remedia, quam Mala, quaeque dudum corrupta, in malum vlcus veterauerunt, longe difficilius curari poſſe, et nuſquam hinc tutam prorſus fore fidem de exſtirpando penitus Cancro, temere conceptam. Serpit nempe, vt dixi, paſcendo, creſcens illa peſtis, neque amputato vno letifero ramo, deficit alter mox ſucceſſurus.

Vlcus enim viueſcit, et inueteraſcit alendo,
Inque dies gliſcit furor, atque aerumna graueſcit.

HISTORIA SECVNDA.

Pari quidem tetro oris dehoneſtamento deturpatus; diſpari tamen animi fortitudine praemunitus, me anno CIↃ IↃ CCXXXV. acceſſit nobilis quidam Venator Naſſauicus, annorum LII. vigentis adhuc aetatis et valentis ſatis corporis. Trepidabat enim vehementer atque exhorrebat vel ad ſolam mentionem de amputando nempe labio, atro Cancri ſerpentis veneno taboque corrupto, a nobis tum factam, adeo vſque, vt animi fere defectionem pateretur.

Quum autem ipſi argumentis haud proletariis liquido demonſtraviſſem, nullam aliam facile ſperandae ſalutis amplius ſupereſſe viam, quam quidem iſtam, quae acuto ferri minacis mucrone aperiretur, atque in eiuſmodi malis conclamatis, ſingulisque fere momentis, augeſcentibus, nihil tutius feſtinatione reperiri, hincque facto magis, quam conſulto, opus eſſe: mutata ſtatim ſententia, imperioſae ſeſe neceſſitati lubentiore animo morigeraturum, ſancte ſpopondit, fractus praeſertim atque expugnatus flagrantiſſimis charae vxoris filiaeque vnicae precibus, lacri-

misque coortis vberrimis. Addebat praeterea, se tanto magis nunc certius aliquod, etsi paulo durius, sui pertinacis Mali expetere Remedium, quod hactenus per tres fere annos, promissis medicorum splendide mendacibus verique inanibus, miserabiliter circumductus fuisset, atque ex sumtuosis eorundem medicamentis, specioso quidem ac decepturo fuco circumlitis, intra autem nihil prorsus fronti suae simile habentibus, largissima licet copia sibi subinde ingestis, plus semper damni, quam emolumenti, indignabundus morarumque pertaesus, percepisset.

Oportuna igitur sanguinis missione, ventrisque impuri expurgatione praemissa, aliisque pro ipsa rei praesentis natura, in tempore, decenter circumspectis ac prouisis, mox sine mora, ipsum opus fortiter adgressi sumus, labiumque illud ferali iam liuore corruptum, teterrimique odoris tabo turgidum eiusdem solertis chirurgi manu adiutrice, a parte sui sincera, vna cum aliqua carnis adhuc sanae portione, ex accuratis artis scilicet regulis, feliciter resecuimus, idque tanta quidem cum pernicitate peractum fuit, vt longe citius metu suo atque solicitudine exsolutus esset ipse aegrotus, quam spe antea praecepisset, vti cruento adhuc ore, nobis laetus gratusque fatebatur: quum interim hactenus inexpectata certe animi constantia, perpessus esset et cohibuisset coërcuissetque intra sese effrenati doloris violentias, nec vllos praeter spem, lamentabiles gemitus edidisset.

Ceterum recens hoc a sanguine adhuc vulnus eodem, ac superius fabri, modo, rite curatum ac tractatum, dein probe suppurauit, sensim pulchre resanuit, et quandam quasi deperditi labri imaginem, Naturae emendatricis beneficio, mirantibus et gaudentibus nobis, scite reduxit, ita, vt egesto plane, quidquid turbidum, corruptum ac cariosum fuerat, faciei pristina sua forma maximam quidem partem, rediisse videretur.

Peracta igitur sic feliciter, vt quidem blanda nobis inierat persuasio, curatione, paullo post, sanatus noster Venator, cum omni sua familia, a nobis, domum recessit, laetiore multum animo, facieque aspectu meliore, quam ad nos ante aliquot hebdomadas, accesserat, ingentis iam de restituta salute, spei plenus, suae autem tam propinquae eheu! sortis tristioris adhuc ignarus.

Licet

Licet enim, nobis ſerio ſuadentibus, nihil interea prorſus neglexiſſet, quod ad laudabilem ſuccum ſanguinemque vitalem aut conſeruandum, aut denuo ingenerandum, vllo modo faceret, licet quoque imperioſioris, exquiſitioris et curatioris diaetae multum obſeruantior eſſet miſero iſto Fabro ſuperius commemorato, dura nempe et amara paupertate nimium preſſo, quum ipſe contra diuitiis, facultatibus, vitaeque melioris et mollioris commodis abundaret; licet denique Thermis Embſenſibus, fontibusque natura medicatis aliis, ex noſtro quidem ſalutari conſilio, ſubinde vſus fuiſſet: tamen his omnibus prudenter interea adhibitis, obſtante nempe dura inexorabilis fati inclementia, prohibere nullo pacto potuit, quo minus peſtifer ille Mali male ſoporati fomes ſub cineribus quaſi doloſis adhuc abſconditus, in nouam et atrociorem ſubinde flammam erumperet.

Biennio enim vix plene exacto, paria triſtia fata, cum miſerando iſto Fabro, ipſe ſane miſerandus, ſubiit, delato nempe mortifero Canceris acrius reuiuiſcentis veneno in ipſas Colli tumentis glandulas, in aſperum veluti ſaxum induratas, et ipſam denique, horreſco referens, Linguam multis tuberculis liuentibus foediſſimamque ſaniem plorantibus, horrendo plane ſpectaculo, oppletam, non intactis vna ipſis gingiuis, ſimilibus tetris vlcuſculiſque pariter ſcatentibus: quale quid etiam olim obſeruaſſe videtur ipſe HIPPOCRATES noſter, *Lib.* IV. *de Morb. Epidem. pag.* 754. et vt GALENVM et AEGINETAM iam taceam, potiſſimum VALENTINVS RVLANDVS, apud HILDANVM, *Obſ. Chirurg.* 84. *Cent.* III. *pag.* 351. *ſqq.* item et THOMAS BARTHOLINVS, in *Act. Med. Hafnienſ. Vol.* II. *Obſ.* 40. *pag.* 115. vt et IO. SCVLTETVS, *in Armament. Chirurg. Declarat. Tabulae* XLIII. *pag.* 187. *ſqq.* Quum igitur ſic renatum hoc malum omni arte ſalutari valentius, omnique ope humana inſuperabile prorſus eſſet; hinc

inuicta Mente placebat
Rebus in aduerſis, exceptum pectore Letum.

Ideo afflictiſſimus hic homo, poſt diros magis duroſque, quam longos lentoſque cruciatus, animam tandem tot malis et aerumnis feſſam, gaudenti propior, quam lugenti, Deo reddidit, ſuo nempe corpore, quod hactenus inuita quaſi et coacta, inhabitauerat, longe puriorem atque incorruptiorem.

HISTORIA TERTIA.

Atrocius multum triſtiuſque nobis ſpectaculum praebuit Anno CIↃ IↃCCXL. nobilis quaedam natalibus, animo et forma corporis Foemina Alſatica, annorum XXXIII. per ſeptem iam annos, vidua, immo potius per omne id nouem annorum ſpatium, quo ex rigidorum parentum duro magis imperio; quam libera ſui ipſius voluntate, impari connubio, ſaeuo cum ioco, male iuncta fuerat bono quidem divitique marito, ſed vetulo ſimul, et in feruidam venerem frigido iam imbellique athletae, ex cuius laxis laſſiſque nimium amplexibus et praenunciis tantum mentitae robuſtioris voluptatis blanditiis, oſculiſque ieiunis et inefficacibus, nullum plenum licentiae coniugalis gaudium decerpſerat hactenus miſella iſta laetioribuſque hymenaeis dignior puella, ſeptem tantum decemque annos tunc nata.

Compoſito igitur tandem hoc ſuo Marito, nomine magis tali, quam opere, animum quidem a Venere hactenus nempe indeguſtata, non prorſus alienum ad ſecundas prioribuſque ſecundiores nuptias lubens adplicuit; ſed curis interim diſcordiiſque domeſticis, ex opima illa hereditate, vt fieri ſolet, ipſi ſubnatis, circumuenta ac praepedita, euentuique litis ambiguo intenta, negotium iſtud in iuſto longius tempus extraxit, atque inculta quaſi conſenuit, inprimis, quum dubia ac ſuſpenſa haereret, cui nam potiſſimum e tanta procorum tam opulentae praedae auide inhiantium turba, ſe ſuaſque fortunas tuto committeret, donec tandem temporis proceſſu, primus ille acris noui foederis connubialis ineundi impetus cunctatione interiecta, ſenſim relanguiſſet, et potior aureae libertatis aeſtimatio in eius quidem locum ſucceſſiſſet, dulciuſque hinc viſum fuiſſet, collo impoſterum reſoluto, viuere, nullaque arctiora coniugii ambigui vincula ſuſtinere.

Sed abſterrebat adhuc magis Foeminam optimam a coepto propoſito, improſpera corporis delicati valetudo, interim ſuborta, pedum nempe durus rubicunduſque tumor, et menſium inprimis ad ſtatas Naturae leges haud amplius iuſte reſpondentium inordinatus motus ac devius error: Nunc enim parcius erumpebant, nunc immoderatius rurſus, et nunc denique per aliquod tempus, plane ſuppreſſi ſiſtebantur.

His

His praesertim accedebat Tuberculum quoddam durum, fabae mediocris magnitudine, in dextra mamma subito sua sponte obortum, dolore quidem primum carens; sed postea tamen imminente in primis sanguinis menstrui fluxu, dolore omni haud vacuum. Quod quum ab initio, tantum exiguum, mox tamen, procedente tempore, in maiores auctus altioresque tumores sensimque assurgeret, doloresque lancinantes quasi, etiam extra consuetum mensium prodituorum tempus, increbescerent; tum nobilis illa foemina suae nunc salutis, etsi paulo serius, curiosior, sibi aliquantum metuere, atque idonea contra ingrauescens malum, remedia solicite circumspicere coepit; sed adeo aduersa potius, quam secunda, fortuna, vt adhibitis incautius varii generis fomentis, emplastris, epithematis, vnguentis, liquoribus ac spiritibus, vt quidem vulgo vocantur, Malum illud solatiis potius, ac mollium remediorum ratione tractandum, nunc latius serpens, magis exasperaretur, cancerque ipse hactenus occultus, tot autem irritamentis praepostere exstimulatus, exitiosas suas vires virusque nunc manifestius proderet. Amabilis enim haec et Pario marmore alias candidior Mamma adeo saxeam quasi naturam induerat, et in tam immensam fere molem monstrose excreuerat, intercurrentibus passim inflatis et quasi recuruatis venis, colore partim pallentibus, partim liuentibus, non sine horrore conspicuis, vt insolitum illud et molestissimum pondus vel lata fascia aegre substrictum, maximo cum taedio, portandum esset.

Quare confestim vnanimi peritiorum Medicorum et Chirurgorum in societatem adscitorum suffragio, sententia decretoria lata fuit, ferro nempe atque igne eradicandum omnino esse insanabile illud Carcinoma, ne partes adhuc sincerae vna in exitium mutuum traherentur. Quam propositam conditionem, etsi durissimam, molliori praesertim sexui, Foemina illa ingens animi, mox lubens et interrita prorsus accepit, seque, vt corpus redimeret, asperum ferrum iuxta saeuosque ignes fortiter passuram, constantissime asseuerauit. Haud igitur ignara, quae sibi tormenta pararentur, formidabile illud ferme sinu intrepide accepit, atque dirissimos cruciatus animo plus quam virili, pertulit, in nullos prorsus degeneres questus, aut flebiles lamentationes molliter soluta.

Quum

Quum igitur omnia in patentis iam vulneris curatione rite instituta, ex voto succedere viderentur, praesentibus tum firma quidem, sed falsa tamen, inerat persuasio, omne iamiam periculum feliciter esse superatum, cunctaque in posterum in vado fore: Verum spe irrita prorsus et opinione inani sic argutabamur:

Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas posuere:

Quin potius male obrutum resurrexit mox incendium. Anno enim vix circumacto, inexsaturabilis cancri indomiti voracitas et alteram denique Mammam ab illa detestabili quidem labe adhuc immunem, atrocissime adorta est, atque sic illaesas vitiatis partes addendo, similes lugubres prorsus atque lacrimosas Tragoedias vel ibi concitauit.

Trepidantibus ergo, consiliique atque auxilii ambiguis inopibusque tum Medicis atque Chirurgis, ipsa illa imperturbatae firmitudinis Foemina, in singulare plane constantiae plusquam masculae, exemplum, omni aeuo memorandum, nata, et quasi malorum adsuetudine iam indurata, labantes consilio Medicos suo valide firmauit, seque et alterius mammae crudele quamuis excidium toleraturam, quo generosius nempe periret, placida ore, intrepida verbis, et intempestiuas suorum lacrimas coërcens, pronunciauit. Vnde attonitis iure miraculo hoc paene inaudito, Medicis, illa infelix pesti deuota iam futurae, nec muliebriter ferrum iterum expauit, nec pectus atque ora singultu quatiens, visendo tormenta sua iam cognita, ad impatientiam delapsa fuit: sed vultu potius sereno fortis, duratoque, ad instar Marpesiae cautis, aduersus acerbissimum quemque dolorem, animo, et alteram illam mammam putri tabo iam liquentem et horrendum foetidam intrepide praebuit exscindendam; nec miserabiliter sibi indoluit, geminum illud formae suae haud quotidianae eximium ornamentum, sororiantes nempe mamillas, iam ante sui ipsius funus, foede fuisse funeratum, nudamque tantum atque desolatam earum aream, miserando prorsus spectaculo, esse relictam.

Quod summum formae decus est, cecidere Mamillae;
Ac letalis hiems paulatim in pectora venit.

Verum

Verum curatis licet et prouisis maxima quidem circumspectione et indefessa medendi artis industria ac solertia, vniuersis singulisque, tamen proh dolor! nec intra hos, tametsi latissimos limites, atrox inexpugnabilis mali stetit saeuities; quin potius depopulatis iam superioribus corporis partibus, ferri quasi nunc metuentior, lumbagine, lassitudine et insolito acrique locorum muliebrium pruritu, praeuiis, ad inferiores, vterum nempe ipsum, aliquot post, mensibus, relapsa est, quo scilicet primo quasi fonte deriuata terribilis illa clades in mammas haud dubie confluxerat. Dolebat enim, vti paullo superius iam commemoratum, exiguum illud tuberculum prius in mamma enatum, vel maxime, eo inprimis tempore, quum natura consueto ordine, per menses exsolueretur.

Adeo inenarrabiles autem atque insustentabiles fere cruciatus in ista vteri dira labe affecti, regione alias perquam sensili, subito exoriebantur, vt tantis doloribus diutius ferendis tenerum hoc muliebre corpus impar omnino videretur. Inprimis vero lentum, acre et vrens virus continuo ab vlceroso inguine destillabat, siue ex sic dicta vteri vagina emanabat, quod non solum saeuam olidamque exhalabat mephitim, vt miseram illam tetris odoribus foeminam famulae adstantesque in auxilia medici aliique saepius longe fugitarent; sed et edaci sua ac dentata quasi acrimonia vel ipsas circumiacentes corporis partes carnosas, ceu crudeli tabe, peredebat; atque insuper, horrendum dictu et auditu! ipsa quoque subiecta stragula lintea contactu illo immundo, sanieque aeruginosa, cinericea, flaua, variaque ac tabo sanguine atro permixto, foeda sensim corrodebat.

Licet igitur contra durissimum hunc hostem omni medendi arte perquam strenue pugnaretur, licet praestantissima remedia intus et extra, continuo in vsum diligenter aduocarentur; nempe interius, potiones sanguinem corruptum vitiosumque purificantes, et potentissima alias medicamenta ex ipso ponderoso Mercurio liquido studiose parata, cum aliis id genus pluribus: exterius autem varii liquores balsamici, vulnerarii, emundantes, putredini aduersantes, et anodyni, vt vocantur, per siphones, in laborantem, foedisque et Chironiis quasi vlceribus scatentem naturam muliebrem perpetuo iniicerentur, non exclusis salutari-

bus pessis, in eundem nempe scopum efformatis, similesque fotus partibus mordaci tabo exesis admouerentur: Victa tamen hic succubuit medicina malis, atque haec omnia incassum plane, dolentibus merito praesentibus cunctis, adhibebantur, et infructuosa prorsus opera tentabantur a medicis sedulis quidem, sed infelicibus, sine vlla spe viuendi mali peruicacis relicta: proserpente quippe indies longius ista peste, cedere nescia et vires maiores eundo, adquirente.

Vnde inqnietae plerumque et insomnes noctes, longa ciborum fastidia, crebriores animi labantis defectiones, rigores et tremores artuum, inexplebiles fere bibendi cupidines, et insequutae mox molestae rursus vomitiones, atque innumera alia mala misellam istam iureque deplorabilem foeminam, miserandum in modum, sine vlla fere intermissione, exercebant et excruciabant.

Illam tamen omnia haec tormenta, quantumuis saeuissima, peruincere prorsus haud potuerunt, vt mente solida quateretur, aut ex acrioris doloris impatientia, vocem degenerem, vel coeli vindicis irreverentiorem ederet, decoram sui famam foede corrupturam: donec tandem biennio fere integro, inter tot infandas aerumnas et horrendas calamitates, exacto, infelix illa inclementia fati, exterrita foemina, mortem, ceu vnicum miseriarum portum atqne effugium, placide oraret, ipsamque nonnihil taederet, suo quasi funeri interesse, et male viuum suum cadauer omnibus foetore horrido abominabile secum diutius circumferre: Arebat enim vbique sicca cutis, et rigidi nudique nerui stabant, infecto quoque ore exsangui funereoque colore.

Omnipotens ergo Deus longum interea miseratus dolorem difficilemque obitum, placidam tandem facilemque mortem tanto laudabilius periturae immisit, adeo, vt tenuem iam spiritum, dormiturae propior, facile exprimeret: relicto interim non tam caduco foedoque illo tetris vlceribus corpore, fugitiuo animi perennaturi desertore; quam potius tam fortis exitus constantiaeque inconcussae illustri plane et diutius mansuro exemplo. Ita enim hic a nobis narrata posteritati et tradita, superstes quasi erit, si non in longissimum aeuum; tamen, si illud quidem a venturi saeculi benignitate sperare fas fuerit, per alicuius saltim atque angustioris temporis spatium.

Si modo ferre diem, serosque videre Nepotes
Vilia nostra valent, nec famam inuidit Apollo.

Sed de his hactenus! ne scilicet scriptoris Medici muneris obliti, alienas Oratoris, aut Historici partes intempestiue inuolasse, non nemini videamur. Vt enim ingenue nihil celemus, sola Virtutis e duris asperisque pulchrius enitescentis iusta aestimatio hic nos aliquanto longius prouexit, ac animo primum destinaueramus.

OBSERVATIONES PRACTICAE VARIAE EX HIS IPSIS ENARRATIS HISTORIIS DEDVCTAE.

§. I.

Ex his igitur tribus miserandis historiis nunc, liquidius, putem, constabit, quam parum scilicet certioris fiduciae pleniorisque salutis, in sola Cancri pertinacis et intractabilis Exstirpatione fuerit reponendum, et quanto tutius sit ex aduerso, immedicabile malum non temere contrectare, aut intempestiuis remediis adhuc magis accendere, nec foedam hanc Camarinam, aut olidam anagyrin infeliciter plane, nulloque cum fructu, commouere.

§. II. Licet enim paucissimi, raro Coeli clementioris munere, post illius excisionem, ad sanitatem pristinam reuersi fuerint, vti varii mox laudandi auctores, fide alias haud indigni, memoriae prodiderunt: tamen longe plures contrarium experti, praecipitatis eo ipso properantius fatis, misere extincti fuerunt: quum nempe efferatum illud et omnes omnium medicorum artes eludere solitum Cancri insidiosi Venenum, ex vno loco armata quasi ferro et igne manu, expulsum, mox alium longe periculosiorem occuparet, vbi ob difficiliorem locorum abstrusiorum aditum, nulla arte, aut ope humana, laboranti et succumbenti tandem Naturae succurri commode posset, nec sese praestantiores illi et valentiores in arte chirurgica, Magistri facile inuenirent, qui, vt ARNOBIVS, *Lib.* I. *aduersus Gentes*, *pag.* 30. de re foeda, satis eleganter loquitur, *Contumaciam Canceris saeui, ad subeundam cicatricem, circumscriptis euaginationibus, compellerent.*

§. III. Inde veriſſimum quidem notum illud triſtiſſimum duriſſimumque CORNELII CELSI effatum *L.* V. *cap.* 28. prout nempe ex ill. MORGAGNI noſtraque emendatione, legendum ibi videtur: *Carcinomata curationibus irritantur, et quo maior vis adhibita eſt, eo magis: Quidam ferro aduſſerunt: quidam ſcalpello exciderunt: neque vlla vnquam Medicina profuit: ſed aduſta protinus concitata ſunt, et increuerunt, donec occiderent. Exciſa etiam, poſt inductam cicatricem, tamen reuerterunt, et cauſſam Mortis attulerunt.* Hactenus CELSVS, de quo vid. ill. MORGAGNI modo laudati, *Epiſt. anat.* 50. *Tom.* II. *pag.* 278. op. egregii *de Sedibus et cauſſis Morborum.* Vix ergo crediderim, quenquam inter prudentiores Medicos et peritiores Chirurgos facile repertum iri, qui nouam illam, ſed iuſto audaciorem et violentiorem Cancri ſanandi et exſtirpandi methodum, a WILHELMO NORFORD, Chirurgo Anglo, ſingulari Libro, *Lond.* 1753. publice expoſitam, penitus ſit approbaturus, qua non ſolum Mammarum; ſed et, quod longe difficilius, imo fere incredibilius, ipſorum quoque vterorum, foediſſimos et pertinaciſſimos cancros feliciter ſeſe ac perfecte aliquoties curaſſe, confidenter affirmat. Sic narret, inter alia, ſeſe fungum Mammae cancroſum, impoſito vnguento ex Rad. Cataputiae, cum Mercurio dulci, in aqua Calcis viuae praecipitato, parato, fauſto cum ſucceſſu ſanaſſe et funditus exſtirpaſſe: Imo, quod tanto magis mirandum, infelici cuidam Virgini, ex ipſa vteri vagina, Sarcoma quoddam Carcinodes foetidum, et multa materia putrida olidaque ſcatens feliciter excidiſſe, licet alias, recte ſtatuat, ipſa quidem vteri Carcinomata plerumque eſſe immedicabilia atque demum lethalia. Ipſum igitur haec omnia fauſte ac perite peregiſſe, plane non dubito; oblitus vero potiſſimum mihi videtur, quod vel maxime ſcire cupiam, qualis nempe demum fuerit euentus, poſt aliquot menſes, aut annos, et an nullus iuſtus metus, proditis nouis indiciis, ſubſequutus ſit, reuerſuri loco alio forſan periculoſiore, ipſius tetri cancri, ex parte tantum exſtirpati? Hoc enim erat vel maxime in Quaeſtione. Sed de hoc WILH. NORFORDOS, eiuſque ſocio et ſympatriota, RICHARDO GVY, nouis Cancrorum oppugnatoribus celebr. infra rurſus quaedam mouebuntur. Iam ergo haec ſufficiant.

§. IV. Quot et praesertim pertinet graphica illa et spirans quasi lactei LACTANTII descriptio Cancri illius viuacis ac verminosi, planeque inexstirpabilis, quo truculentissimum illum et cruentissimum Tyrannum, GALERIVM MAXIMIANVM, in meritissimam scelerum poenam, diu excruciauerat iustissima Dei vltoris vindicta, *Lib. de Mortibus Persecutorum, Cap.* XXXIII. his quidem verbis: *Incipit vulnus non sentire Medicinam; proxima quaeque Cancer inuadit, et quanto magis circumsecatur, latius saeuit; quanto curatur, increscit.*

Cessere Magistri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Vndique Medici nobiles trahuntur: nihil humanae manus promouent. Computrescunt forinsecus viscera, et in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices Medici, vel sine spe vincendi Mali, fouere, curare. Repercussum Medelis. Malum recidit introrsus, et interna comprehendit, vermes intus creantur. etc. Quomodo nempe postrema verba rectius legenda nobis videbantur quondam, pro vulgatis quidem, *Repercussis medullis, malum recidit introrsus:* vti iamiam monuimus, ac nonnihil probauimus, in Libelli nostri *de pleuritide, adiecta Appendice, ad Theodori Prisciani Cap.* IV. *pag.* 198. Ceterum, vt id obiter hic adiiciam, eandem Cancri saeuissimi et foetidissimi descriptionem vberiorem legendam nobis exhibuit EVSEBIVS, *Lib.* VIII. *Histor. Eccles. Cap.* 16. *pag.* 315. item *Lib.* I. *de Vita Constantini, Cap.* 57. *pag.* 437. atque ex eo SVIDAS, in suo *Glossario, Tom.* II. *pag.* 494. vbi videndus KVSTERVS.

§. V. Instar autem omnium hic potissimum esse potest veridicum illud HIPPOCRATIS ipsius nostri Oraculum Medicis doctioribus elegantioribusque dudum cognitissimum, *Aphoris.* 38. *Sect.* VI. ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκίνοι γίγνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. Θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως· μὴ θεραπευόμενοι δὲ πλείω χρόνον διατελοῦσι, h. e. *Quibus occulti Cancri fiunt, eos non curare melius est. Curati enim citius pereünt: Non curati autem longius tempus perdurant.* Ad quem singularem locum, alibi quoque a Nostro repetitum, *Lib.* nempe II. *Praedict.* etc. legi praesertim in amplissimo Commentario, meretur ipse GALENVS, *Tom.* IX. *Opp. Part.* II. *pag.* 272. item SITONVS, in *Iatrosoph. Miscellan. Tract.* VI. *pag.* 30. *sqq.* et nouissime, Cl. LANGE, in *dissert.* eximia,

de *Dubiis Cicutae vexatis*, *pag.* 27. *sqq.* vbi lugubria quaedam huius infauſtae medicationis exempla, notatu certe digniſſima. Vel maxime autem GVILIELM. FABRIC. HILDANVS, *Obſeruat. Chirurg.* 87. *Cent.* III. *pag.* 369. *ſqq.* et *pag.* 381. ibique etiam SEBASTIANVS MEYERVS, in doctiſſima ſua ad ipſum HILDANVM, *Reſponſione*, *pag.* 384. *ſqq.* qui ipſi nempe eximii duumuiri in arduum nonnihil illum Aphoriſmum Hippocraticum perquam egregie commentati fuerunt: cuius tamen inconcuſſam plane veritatem labefactare oppugnare ipſumque HIPPOCRATEM rectiora ſcilicet docere, temerario prorſus auſu, conatus eſt frigidus ille per ignem philoſophus, PETR. IO. FABER, *in Chirurgia ſic dicta ſpagyrica*, *Cap.* 14. *pag.* 49. Quibus ſupra laudatis omnino ſuo merito, addendus doctiſſimus ac diligentiſſimus DIETERICHIVS, in *Iatreo Hippocratico*, opere bonae frugis pleniſſimo, *pag.* 587. *ſqq.* et *pag.* 654. vbi certe plura, quae ad hoc noſtrum Argumentum in primis ſpectant, vna collecta exhibentur: nec non GORRAEVS, in *Definit. Med. pag.* 209. FOESIVS, in *Oeconomia Hippocratica*, *p.* 187. *ſqq.* cum aliis pluribus. Conf. huc et IO. IAC. BAIERI *Adag. medicinal.* LXXI. *pag.* 150. *ſqq.* vbi notum illud Graecorum prouerbium μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον, ſcite ad ipſos occultos et dormientes Cancros, nulla admota intempeſtiua medela irritandos, applicat. Eiuſmodi occulto autem tacitoque Cancro ob vehementiores planctus pectori illatos, irritato, IVLIAM Imperatricem extinctam fuiſſe, ita narrat DIO CASSIVS, *L.* 78. *p.* 1332. *Tom.* II. opp. ὑπὸ τοῦ καρκίνου, ὃν ἐν τῷ μαστῷ ἐκπάνυ πολλοῦ χρόνου, ἡσυχάζοντά πως ἔχουσα, τότε ἠρέθισεν ἐκ τῆς πληγῆς, ἣν ἐπὶ τῷ τοῦ παιδὸς θανάτῳ κοψαμένη κατὰ τῶν στέρνων ἐπέπληκτο. *Obiit a cancro, quem in mamilla, a longo iam tempore, quieſcentem habebat, tum vero irritabat ex illata vehementiore plaga, quum pectora, ob chariſſimi filii*, Getae, *necem, ſaeuioribus verberibus pertunderet.* Quae vero ſic ridicule prorſus olim verterat GVIL. BLANCVS: *Accelerauit ei mortem Carcinus, cuius ipſa, quum eum iam multo tempore, quieſcens, haberet in ſinu, pectus percuſſit, eumque crebris ictibus ad mortem ei inferendam, irritauit.* De quo lepido errore vid. REINES. *Var. Lect.* III, 6. *p.* 464. et DIETERIC. *Iat. Hipp. p.* 655.

Quam

Quam quidem veriſſimam HIPPOCRATIS ſententiam, de Cancrorum occulta vi ſaeuientium et ſerpentium ancipiti ac damnoſa curatione, ſapienter quoque in immortale ſuum opus transtulit Hiſtoricorum prudentiſſimus ac ſtilo nitidiſſimus, POLYBIVS, cuius proinde teſtimonium, maioris ſcilicet ornatus gratia, ceu fulgentiorem aliquam gemmulam, his dictis noſtris interſerere, nihil, ſpero, prohibebit. Ita vero ille, *Lib.* I. *pag.* 114. Ἐπί τε γὰρ τῶν ἑλκων, (Καρκινωδῶν,) ἐὰν μὲν θεραπείας τοῖς τοιούτοις προσάγῃ τις, ὑπ' αὐτῆς ἐνίοτε ταύτης ἐρεθιζόμενα θᾶττον ποιεῖται νομήν· Ἐὰν δὲ πάλιν ἀφῇ, κατὰ τὴν ἐξ αὐτῶν φύσιν φθείροντα τὸ συνεχὲς, οὐκ ἴσχει παῦλαν, ἕως ἂν ἀφανίσει τὸ ὑποκείμενον. *In cancroſis quidem vlceribus, ſi curationem ita affectis admoueas, illa ipſa irritatur Malum, vt tanto ſerpat velocius. Rurſus, ſi curatio omittatur, proxima quaeque loca corrumpendo, vt natura eſt horum vlcerum, non ante finem faciunt, quam corpori ſubiecto perniciem attulerint.* Hactenus POLYBIVS. Atque id ipſum eſt, quod ita ſcite, vt ſolet, expreſſit ARETAEVS CAPPADOX, *Lib.* II. *de Morb. diuturn. Cap.* XI. *pag.* 64. Ἀγριαίνει Καρκίνος ψαύσεσι τε καὶ φαρμάκοισι, καὶ χαλεπαίνει, πῶς καὶ ἰητρείῃ. h. e. *Efferatur Cancer manuum attrectatione, et Medicamentis, et quolibet Medelae genere magis exaſperatur;* vbi videatur, ſi quidem libet, commentarius longe doctiſſimus Medici ornatiſſimi et elegantiſſimi, PETRI PETITI, pag. 210. vt iam breuitatis ſtudio, PAVLLVM AEGINETAM, AETIVM AMIDENVM, GALENVM, mox laudandum, NONVM, ACTVARIVM, alioſque Veteres Medicos taceam, apud quos nempe ſimiles plane ſententiae frequentius leguntur. Inprimis autem facundiſſimus et acutiſſimus orator ac philoſophus MAXIMVS TYRIVS, eodem, ac ipſe laudatus ARETAEVS, modo, loquutus eſt eleganțiſſime, *Diſſert.* XLI. *pag.* 416. Τὰ ἑρπυστικὰ τῶν ἑλκῶν τοῖς σώμασιν ἐμπεσόντα, πρόσω νέμεται, καὶ τοῦ ὑγιαίνοντος τί ἀεὶ προσαπόλλυσι, καὶ πρὸς τὰς ἰάσεις ἀγριαίνει, κ. τ. λ. Quale quid et ſaepius occurrit apud DION. CHRYSOST. *Orat.* XXXII. *p.* 366. BASIL. MAGN. *Tom.* III. *opp. pag.* 495. GALEN. *Lib.* IV. de *Method. Med. c.* 5. *pag.* 93. *Tom.* X. *Phot. Bibl. p.* 567. PHILONEM IVD. *Lib. de praem. et poen. pag.* 708. alioſque plures, quibus add. MVRATORII *Anecdota Latina Tom.* IV. *pag.* 65. vbi elegans hanc in rem locus ex S. MAXIMI Taurinatis

rinatis

rinatis Episcopi sermonibus, ibi primum editis, occurrit, legi omnino dignus. Sed haec de his nunc sufficiant.

§. VII. His autem grauissimis Medicorum praestantissimorum praeceptis et interdictis seuerissimis licet vel maxime obstantibus; tamen et antiquiore iam aeuo, et hac nostra quoque recentiore aetate, nonnulli mirandorum eiusmodi arcanorum aut veri possessores, aut forsan rectius, vani promissores, subinde reperti fuerunr, quibus ne admoto quidem supremo illo ferri acuti remedio, sese cuiuscunque cancrorum generis saeuas nocendi ac depascendi vires infringere ac debilitare posse, gloriarentur. Sic vetustissimus Auctor M. PORCIVS CATO venerendae suae et aliis omnibus vel praestantissimis plantis, praelatae Deae, qnae ipsi nempe in hortis nascebatur, scilicet Brassicae, inuidendam hanc laudem in debellanda omnis cancri saeuitia, tribuit, *C.* CLVII. *de Re Rust. pag.* 118. *Eadem vulnera putida, Canceresque purgabit, sanosque faciet, quod Medicamentum aliud facere non potest:* quod ex ipso repetit PLINIVS, *Lib.* XX. *Cap.* 9. vbi tamen sapienter addit: *Siluestris Brassicae immenso plus effectus laudat Cato.* Longe vero cumulatius inflatiusque extollit ac commendat adhuc SCRIBONIVS LARGVS mirificam illam, vt ipse iure vocat, compositionem nullius paene in medendo, virtutis expertem, ac praecipue a PACCHIO ANTIOCHO auditore PHILENIDIS CATINENSIS, quaestuoso valde vsu illustratam, *Cap.* XXIII. *Composit. Med.* CII. *pag.* 62. his quidem magnificis verbis: *Quid dicam duritias in Mammis Mulierum, cum dolore, consistentes, quas nullum Medicamentum leuat, quemadmodum ex toto, in perpetuum interdum sanat? quas plerique Medicorum insanabiles adfirmant,* καρκινώματα *et* κακοήθη, *appellantes. Poteram nominare honestas foeminas, quas aut ille, aut ego, hoc Medicamento sanauimus: nisi crederem, fidem te habere nobis, alioquin ipse tibi iam dixissem:* vbi vide, si placet, acutissimi IO. RHODII *Not. et Emendat. p.* 170. Qualem efficacissimam pariter Medicinam cognitam quoque ac perspectam habuisse quondam videtur nobilissimus ille Medicorum Crotoniensium, DEMOCEDES, quum in mamma ATOSSAE DARII Regis Persarum, vxoris, subnatum malignissimi moris cancrum, iamiam nempe diruptum et exulceratum, hincque vix, ferro igneque amplius expugnabilem, nullo tamen, vt colligere quidem licet ex ipsis

Historici

Historici verbis, admoto prorsus ferro, solis tantum adhibitis Remediis efficacibus et exquisitis, feliciter persanaret: Nullam enim Vstionis Sectionisue mentionem iniicit, qui memorabilem hanc historiam diserte retulit, HERODOTVS, in *Thalia,* seu *Lib.* III. *cap.* 133. et 134. *pag.* 211. *Edit. Gronou.* cuius nempe haec sunt verba: Ἀτόσσῃ, τῇ Κύρου μὲν θυγατρὶ, Δαρείου δὲ γυναικὶ, ἐπὶ τοῦ μαστοῦ ἔφυ φῦμα· μετὰ δὲ, ἐκραγὲν, ἐνέμετο πρόσω· ὁ δὲ Δημοκήδης, φὰς ὑγιέα ποιήσειν ὡς δὲ ἄρα μιν μετὰ ταῦτα, ἰώμενος, ὑγιέα ἀπέδεξατο, hoc est: *Atossae, Cyri quidem Filiae, Darii autem Vxori, exortum erat in mamma, Tuberculum; deinde vero diruptum, depascendo, late proserpebat. Spondebat autem Democedes, sese illam sanaturum: Confestim ergo idonea medicamenta applicuit, eamque ipsam exiguo interiecto tempore, integrae sanitati reddidit.* Quam singularem Historiam ex hoc ipso HERODOTI loco, maximam quidem partem, desumtam, in suum quoque Lexicon transtulit Suidas. ATHENAEVS autem, eandem perquam felicem DEMOCEDIS curationem enarrans, leuiter nimis leniterque de re graui atque atroci, loquutus fuisse videtur; vt ex his ipsis eiusdem verbis luculentius patet, *Lib.* XII, *cap.* 4. *p.* 522. Θεραπεύσας ὁ Δημοκήδης Ἄτοσσαν, τὴν Δαρείου μὲν γυναῖκα, Κύρου δὲ θυγατέρα, τὸν μαστὸν ἀλγήσασαν. *Sanasse dicitur Democedes Atossam, Darii Coniugem et Cyri Filiam, quum ex mammae dolore aegrotaret.* Quae certe parum digne respondent vberiori isti et accuratiori ipsius HERODOTI relationi superius modo propositae. Sed haec obiter! transeamus potius, si lubet, ad alia.

§. VIII. Si igitur et apud ipsum CORNELIVM nostrum CELSVM, *L.* IV. *Cap.* 15. commendatur *valens aduersus Cancerem Intestinorum, Remedium,* qui et in sequentibus *Libris* V. VI. VII. varia tam interna, quam externa Medicamenta dilaudat, quibus singularem virtutem et efficaciam tribuit in persanandis diuersi generis Cancris adhuc, vt ipsi quidem videtur, sanabilibus. Commemorat quoque PLINIVS, *Lib.* XXVIII. *Cap.* 4. AESCHINIS Atheniensis singulare, sed simul fere pudendum, Remedium, Botryon dictum, quo ille carcinomatis feliciter medebatur. Sed apud PLINIVM ipsum, in vasto varioque Historiae Naturalis opere, innumera paene Medicamenta ex Plantis, Animalibus, atque Metallis adeo ipsis petita, passim occurrunt, quibus indomitam diri

Cancri ferociam fortiter fortunateque debellari posse, ingenti quidem, nisi forsan nimia, quod vereor, fiducia, traditur. SEXTVS quoque PLACITVS, rectius, quam Platonicus, in *Libello, de Medicina ex Animalibus*, apud ill. FABRICIVM, *Bibl. Graec. Vol.* XIII. *Lib.* VI. *C.* 9. non solum *cap.* XVII. 22. *p.* 414. sordidum illud AESCHINIS Arcanum in extinguendo penitus carcinomate, superius ex PLINIO productum, summis laudibus extollit, quod et fecisse constat CONSTANTINVM AFRICANVM, *Lib. de Animalium Virtutibus naturalibus, ab Aesculapio acceptis;* sed etiam ipse *Cap.* XI. *p.* 401. de sua penu aliud promit praestans virtute Remedium contra cancrosa, vt ipse quidem ait, vulnera et Carcinomata. Quale et legitur apud PLINIVM VALERIANVM, aliosque plures. Praesertim autem longum vastumque eiusmodi Remediorum tetris Cancris eradicandis repertorum Indicem passim pertexuerunt veteres Medici Graeci, GALENVS, PAVLLVS AEGINETA, AETIVS AMIDENVS, DIOSCORIDES, ACTVARIVS, NONVS, ORIBASIVS, aliique, quorum eximia loca, huc vel maxime spectantia, hic cuncta exscribere, aut specialius indicare, iam nec lubet, nec vacat: inprimis, quum haec ipsa nemini paullo humaniori et in Medicina Veterum peritiori incognita aut obscura esse arbitremur. Vtinam autem tam vera essent ista laudata nimis ab Auctoribus Graecis et Latinis aduersus Cancros, remedia, quam varia illa quidem sunt ac multiplicia. Sed sic copia nos inopes fecit, et congesto quasi in auro, adhuc tamen pauperes sumus.

§. IX. Neque enim ditiores feliciores exinde redditi fuimus tanta nouorum Remediorum accessione facta, quorum eximia prorsus virtute, indomitum alias carcinomatum virus, vel sine ferro adhibito, perdomari facile posse, publicis quoque scriptis, ingenti verborum grandisonorum apparatu, recentiore aetate, diuulgatum fuit. Sic artis ostentatione et portentosa scientiae venditatione insignes illi triumviri, HIERON. CARDANVS, THEOPHRASTVS PARACELSVS, atque HELMONTIVS, quorum societati, ceu quartus, merito adiungendus PETR. IO. FABER, in *Chirurg. sic dicta Spagyrica Cap.* 17. *pag.* 143. item *Cap.* 14. *pag.* 49. sese talia nosse miranda Remedia arcana, quibus omnes omnino Cancros funditus delerent, iactantius confidentiusque asseuerarunt. Quos inter et mirabilis ille Vir iure censeri meretur,

retur, qui, referente eodem HELMONTIO, *Tract. de Ideis morbosis*, 38. *pag.* 518. *Tom.* I. *Opp. Cancrum quemlibet sanabat, inspersο puluere indolente: atque tum demum emplastro incarnante solidabat: Cuius ars secum sepulta est.* Quae si ita sint, ponamus enim tantisper, vera esse, tum sane inhumanus iste homo, quisquis demum fuerit, turpiter vitam fraudare voluit alienis etiam bonis, atque vniuerso hominum generi maligne inuidens, temere credidit, neminem ex posteris docere, in scientiae esse auctoritatem. Sed certiora haec vix istis esse iure videntur, quae de famosi illius BVTLERI lapillo mirifico ridicule ac superstitiose nimis idem perhibet HELMONTIVS, *in Butlero*, vt Libellum nempe lepide, aut frigide potius, inscripsit, *pag.* 558. cui nimirum adeo diuinam stupendamque prorsus virtutem inditam fuisse, serio asserit, vt vel leuissimo linguae ad ipsum attactu, siue solo gustatu, siue denique vnctione ex isto facta, non solum omnes, etiam immedicabiles alias morbi perfecte persanarentur; sed et inexstirpabiles alioquin Cancri temporis fere puncto, si credere quidem dignum, felicissime exstirparentur. Sic enim, ne quid scenae nempe, aut mimo desit, ipse ille mirificus BVTLERVS ampullatur ad credulum nimis ac superstitiosum HELMONTIVM, ibidem, *pag.* 555. *Charissime, nisi eo deuenias, quod vnico remedio queas curare quemlibet morbum, manebis in tirocinio, vtcunque senex euaseris.* Cuius portentosi quidem capitis vagam vitam et aspera, forsan et promerita, fata omnium accuratissime descripsit elegantissimus MORHOFIVS, in doctissima *Epistola de Metallorum Transmutatione, pag.* 158. *sqq.* Sed haec obiter. Vnde nunc clarissime, opinor, patet, ad quemnam singularem ac mirabilem hominum classem iste pertineat BVTLERVS, beatus scilicet tam lepidi lapidis panchresti possessor, qui rarissima et inaudita fere felicitate, vna, quod dicitur, fidelia non duos, sed omnes omnino parietes confestim dealbare potuit: iste profecto

Gallinae filius albae;
Nos viles pulli, nati infelicibus ouis.

§. X. Nec defuerunt vnquam plures eiusmodi magno, sed inani plane hiatu, promissores, splendidis quidem pollicitationibus promti, vbi vero ad rem ipsam praestandam, ventum fuerit, ignaua opera torpidi atque imbelles. Qualis ille fuit vanus certissimae sanitatis sponsor, qui

referente et dolente AMBROS. PARAEO, *Opp. Chirurg. Lib.* VI. *Cap.* 30. *pag.* 221. nobilissimam matronem leui tantum et exiguo adhuc mammae Cancro affectam, perperam medicando, miserandum in modum, perdidit: cui respondet similis historia, apud TIM. A GVLDENKLEE, *Cas.* 40. *Lib.* IV. *pag.* 238. et apud PECHLINVM, *Obs.* 70. *Lib.* I. *pag.* 185. *sqq.* item IO. AGRICOLAM, in *Chirurgia parva, Tract.* V. *pag.* 499. quibus add. inprimis VIT. RIEDLINI, *Lin. Med. de Ann.* 1695. *Obs.* 29. *pag.* 355. et de *Ann.* 1697. *Obs.* I. *pag.* 581. passimque alibi in illis opusculis Riedlinianis variis. Nec non alter ille Aretalogus, cuius meminit ANT. BENIVENIVS, *Cap.* 72. *de abdit. Morbor. Causs. pag.* 239. qui infelicem textorem pari modo, atrociter tandem interemit. Quo et pertinet temerarius ille Chirurgus, qui notante HILDANO, *Obs. Chirurg.* 86. *Cent.* III. *pag.* 367. intempestiua damnosaque Vnguenti Aegyptiaci applicatione, honestam matronam iugulauit: quod triste fatum et alteri similiter contigit, referente eodem, *Obs.* sequenti, 87. *pag.* 370. nec non miserrimo illi infanti, apud FORESTVM, *Obseruat. Med.* 6. *Lib.* XIII. *pag.* 317. conf. VERZASCHE *Obs. med.* 89. *pag.* 229. *sqq.* et rursus FOREST. *Obs.* 26. *Lib.* XVII. *pag.* 485. *sqq.* et *Obs.* 47. *Lib.* XXVIII. *pag.* 292. *sqq.* item AMMAN. *Med. Crit. Cas.* 94. *pag.* 470. *sqq.* et exinde VALENTINI, *Pandect. Med. Leg. Cas.* XI. *pag.* 761. *sqq. part.* I. BONET. *Sepulchr. Anat. Tom.* III. *Lib.* IV. *Sect.* II. *Obs.* 7. *pag.* 268. vt et HAGENDORN, *Obs. med.* 62. *Cent.* III. *pag.* 376. *sqq.* vbi Casus valde notabilis, qui huc potissimum spectat, denique BARTHOL. BOSCHETTI *Dissert. de Saliuat. Mercurial. Cap.* III. *Artic.* 7. *Hist.* 7. *pag.* 167. In idem fere vitae discrimen alia temeraria Medicina, inducta fuit infelix illa filia GOROPII illius BECANI, portentosis suis opinionibus celeberrimi, narrante latinissimo et experientissimo TVLPIO, *Obs. med. Cap.* 47. *Lib.* I. *pag.* 88. Nec non altera illa longe infelicior foemina, impudentissimi cuiusdam Agyrtae insanis consiliis et damnosis auxiliis similem in modum, miserrime decepta ac circumuenta, cuius tristissimam historiam more solito, hoc est eruditissime et elegantissime, retulit Vir et splendidissima amplissimi muneris dignitate, et vasta inprimis consummataque rerum et medicarum, et doctarum, scientia, eminentissimus, suoque merito celebratissimus, ill.

GERAR-

GERARDVS VAN SWIETEN, in illis ſuis optimae frugis pleniſſimis Commentariis aeternum haud dubie victuris, in immortalis HERM. BOERHAAVII *Aphoriſ. Med. pract. Tom.* I. *pag.* 881. quem et vid. *pag.* 889. 892. et *pag.* 900. *ſqq.* vbi nempe arduum hoc argumentum de ſingulari et abſcondita cancri naſcentis natura, pertinaci et intractabili indole, atque difficili tandem ac vix ſperabili eiuſdem curatione, ſolidiſſime doctiſſimeque, vt ſemper nempe conſueuit, data quidem opera, pertractauit. Quod et dudum antea fecerat ſummus tanti diſcipuli, Magiſtro ſuo, maximo iure, aequiparandi, praeceptor, ipſe nimirum BOERHAAVIVS, *Tom.* II. *Prax. Med. pag.* 238. *ſqq.* ex quo ſequentia inprimis verba notatu ſane digniſſima, e *pag.* 243. huc translata, legi omnino ob argumenti affinitatem, merentur. *Hic vero tota Chirurgia et Medicina deſiderant Medicamentum ad Cancrum, vt ſuppuretur, vel in ambitu, vt aliquando in anthracibus fit, vel, vt ſubſtantia eius vertatur in pus, et tamen continuum non ſoluatur: ſed proh dolor! nullum datur; quidquid nonnulli, vt inprimis Chemici, iactent. Sic habui Medicum Chemicum mihi amicum; ille dicebat, ſe habere Medicamentum ſuppurationem bonam efficiens: Sed vidi eum in tribus caſibus, aeque infelicem fuiſſe, ac vllum alium Empiricum: ſe tamen adhuc curare poſſe ſuo Medicamento putabat, licet contrarium videret.* Hactenus quidem BOERHAAVIVS, qui prudentiſſime inde merito dubitat de eiuſmodi medicamento ſuppuratorio, quod contra inueteratum praeſertim et pertinacem cancrum, ſecurum efficaxque auxilium praeſtare vnquam poſſit. Qui enim in ipſa rerum Natura reperiundum aliquando ſit eiuſmodi potentiſſimum et diuinum prorſus Remedium, quod ſcirrhum inprimis vetuſtum, contumacem et ſaxea paene durie intractabilem, qui ſemper fere funeſtam ſuam originem praebet ipſi cancro, in blandam facilemque ſuppurationem reſoluere tandem feliciter valent; id vero omnem ſpem, fidem, expectationem, imo ipſam rationem longiſſime ſuperat. Quod ſi autem tale forte daretur; tamen tum in tam ſpatioſo mammae ambitu, tanta haud dubie ſequutura eſſet ſuppuratio, vt ipſum corpus macie et febre lenta conſumtum, breui ſuccumberet.

§. XI. Tale tamen Remedium a BOERHAAVIO iure deſideratum, nullo aere mercabile, nullo inquam, auro aeſtimabile, habuiſſe

vnice rariſſima quidem felicitate, videtur celeberrimus iſte ſaeui Cancri domitor, vti vocabatur, PETRVS ALLIOT, Barroducaeus, rerum medicarum et chemicarum ſcientiſſimus, qui generoſioris cuiuſdam Foeminae mamillae ſiniſtrae a crudeliſſima Cancri teterrimi pertinaciſſimique tabe per integrum iamiam quadriennium, immane quantum pereſae *inſperſit quotidie albicantem quendam puluiſculum ſibi ſoli notum, vnde poſt horulae ſpatium, leuis coorta febricula, quae tamen mox ceſſauit, et quietem aegrae indulſit. Ita continua pulueris huius inſperſione, ſeſquimenſe, effecit, vt vulneris labra ex liuido, in rubicundulum terminarentur colorem, et ichor ſeroſus paullatim in coctum laudabiliter pus verteretur: Quo facto, vulgaribus ſarcoticis, miniſtrante Chirurgo, plagam conſolidauit.* Quae ſunt ipſa verba teſtis non auriti, aut rerum harum imperiti, ſed oculati potius, praeſentis, et, *qui viſa ſibi loquitur*, vt ipſe ſcribit, ſimulque rerum medicarum ac chemicarum iuxta peritiſſimi, hincque tanto magis fidem plenam merituri, nimirum doctiſſimi illius et celeberrimi per orbem Viri, OLAI BORRICHII, qui haec ipſa ſuo tempore, Pariſiis, ipſo quoque ill. noſtro BOHNIO tum ibi praeſente, publice geſta, miraculo tamen propiora, quam rei naturali, aut ordinariae, candide, docte, copioſe atque ſimul ornate, memoriae prodidit, in *Actis med. Hafnienſ.* per THOM. BARTHOLINVM, Virum ſummum, publicatis, *Vol.* I. *Obſ.* LXXII. *pag.* 160. ex quibus eandem mirabilem Hiſtoriam in Medicinam ſuam ſeptentrionalem transtulit THEOPHIL. BONETVS, *Tom.* II. *Lib.* IV. *Sect.* XI. *Obſ.* 6. *pag.* 158. *ſqq.* Vehementer autem cum eodem laudato BORRICHIO, dolendum, illum ipſum admirandae virtutis puluerem, ſaeculo tantopere profuturum, cum ſuo Auctore, lucri perituri cupidiore, quam famae aeternum manſurae, iamdudum in puluerem cineremque abiiſſe. Ne enim poſteris prodeſſe voluiſſe videretur PETRVS ille ALLIOTVS, quod ſane dictu turpiſſimum creditque difficillimum, ad peſſimum alterius illius inuidi et maligni Viri exemplum, cuius ſupra ex HELMONTIO mentionem fecimus tam illiberali facinore dignam, maluit theſaurum iſtum foede abſcondere, ſupprimere, ſecumque ſepulchro ſeruare, quam in publicos vſus, vt decebat nempe, large liberaliterque effundere. *Tantum ſcilicet*, quod merito cum PLINIO, reprehendendum, *ab ex-*

cogitandis

cogitandis Nouis ac iuuanda vita, mores absunt. Turpiſſima enim cauſſa raritatis, quod etiam, qui ſciunt, demonſtrare nolunt, tanquam ipſis periturum ſit, quod tradiderint aliis, vt idem ille ſapienter et ſeuere monet, *Lib.* XXV, *cap.* 2. Sed vt ad ipſum illum ALLIOTVM pauliſper regrediamur, tolerabiles nunc nobis videtur arcani illius tantopere iactati iactura: quantum enim ex illius publica ſchedula, laudatis modo *Actis Hafn.* inſerta, intelligitur, bonus iſte Vir, communi fere illo, de Acido et Alkali, errore, qui tum paſſim in ſcholis med. vigebat, ſecure nimis inductus, credidit potius, quam probauit, Malum illud Carcinomatum ex Acido peculiariter corrupto pronaſci; ideoque Alkali quodam, ſeu Lixiuio peculiariter temperato, ceu Acido illi maxime contrario, vnice ſanari et expugnari poſſe ac debere. Sic enim illi ſuae ſchedulae Titulum fecit mirandum, aut rectius, ridiculum: *An φαινόμενα Carcinomata ἀγωνιστικῶς, curari poſſunt Arcano Alkali ἡγεμονικῷ Remedio?* Et reſpondeatur mea certe, aut potius ipſius magni noſtri BOHNII, HOFFMANNI, BOERHAAVII et aliorum ill. Medicorum opinione, aut ſententia: *Quod non!* Quis enim quaeſo, ſanus, prudens et ingenuus Medicorum, abiecto prorſus pudore, arroganter et proterue ſalibus illis alcalinis fatuis, ſordidis et inefficacibus, tribuat tam immenſam paene, incredibilem et prorſus inauditam virtutem, Cancros illos inueteratos, duos, ſaxeos, pertinaciſſimos, vel etiam ruptos iam, cruentos et ſanioſos, atque hinc omnium confeſſione, prorſus inexpugnabiles, facili tamen negotio expugnandi, atque perfecte ſanandi? Et tamen iudice BARTHOLINO, *Lib.* II. *Anat. renou. cap.* I. *pag.* 334. decantatum illud ALLIOTI Arcanum ἀντικαρκινῶδες, vt ſic loquar, fuiſſe dicitur *merum ſal Alkali fixum, et in aqua inſolubile.* Sed aliud contra Carcinomata Arcanum habuiſſe traditur illius ALLIOTI filius, nempe *Magiſterium Saturni,* de quo nempe ita ill. noſter BOHNIVS, *Epiſt.* I. *ad* SCHELHAMMER. *pag.* 114. *An fama ad te peruenerit illa de* Allioti iunioris *dexteritate, curandi Cancrum mammarum exulceratum, quam ante paucos menſes, binis Pariſienſibus Monialibus comprobauit per pulueris cuiuſdam adſperſionem, quaeſo, reſcribas, et ſi forſan de pulueris huius praepatione aliquid tibi innotuerit: Ab amico equidem ſatis curioſo accepi, eſſe illud* Magiſterium Saturni, cum rore maiali ſumme edulcoratum. *Pater huius*

medici

medici meo tempore, Parisiis, per eandem Cancri curam celebris admodum, Alcalia edulcata in ore gerebat, vt dissertatio eius docet, de hac materia, tum temporis edita, et Act. Hafn. inserta. Haec igitur breuis est, nec iniucunda, opiner, Historia de binis illis eo tempore celeberrimis καρκινομιάχοις, vt sic loquar, patre nempe et filio, ALLIOTIS. Quod si vero iunior ille ALLIOTVS, bono suo patre haud melior filius, forsan crediderit, se per sanctum illud *Saturni Magisterium*, cum ipso etiam *rore maiali* summe edulcoratum, perfecte solideque exstirpare potuisse inexstirpabiles alias sua malignitate, vetustate, et pertinacia, Cancros; nae! ille tum aeque vehementer falsus fuit, ac ipse suus pater. Saturni enim Magisterium et omnia generatim Saturnina, saeuissimos quidem edacis cancri dolores ac lancinationes aliquantulum mitigare ac pacare posse, inter omnes dudum constat Medicos ac Chirurgos, et nemini est ignotum; ast idem Saturni Magisterium cum omnibus saturninis, perfectam ipsius cancri sanationem praestare posse, nemo sanus facile crediderit. Sed haec obiter, data hic occasione commoda.

§. XII. Commemoranda quidem nunc etiam essent varia alia Remedia ex vulgo tribus sic dictis Regnis, nempe plantarum, Animalium atque Metallorum, larga copia, deprompta, atque ad indomitam dirorum carcinomatum ferociam refrenandam, passim impense commendata, a diuersis Auctoribus Medicis, v. g. MYNSICHTO, SCHROEDERO, WECKERO, FRAVNDORFFERO, MERCKLINO, PENOTO, RVLANDO, SENNERTO, ROLFINCIO, BARTOLETO, IONSTONO, RIVERIO, HARTMANNO, PARAEO, DOLAEO, BARBETTE, WALDSCHMIDIO, GOCKELIO, BONETO, MICHAELE, aliisque pluribus, quos sciens lubensque iam praetereo; item et GILBERTO KNOWLES, Vate atque Medico iuxta celeberrimo, in Materia medica botanica, tersissimo carmine conscripta, *pag.* 24. nec non ALPHONS. FERRO, *de Morbo Gall. Lib.* II, *cap.* 24. *pag.* 430. in *Sylloge Aphrodisiac.* per ALOYS. LVISINVM, *Tom.* I. *Edit. Boerhaau.* Sed quoniam ista omnia, speciosis licet titulis insignita, plerumque plus praesidii promittunt, quam re ipsa, praestant, dirumque illud malum potius nonnihil emolliunt, quam funditus tollunt; licet nonnulla in contrarium, exempla singularia producta legantur, apud FOREST.

Obs.

Obſ. med. 2. *Lib.* XIV. *pag.* 372. VERZASCHAM, *Obſ. med.* 89. *pag.* 229. *ſqq.* SCVLTETVM, *Armament. Chirugr. part.* II, *Obſ.* 46. *pag.* 100. *ſqq.* OVERCAMP. in *Chirurg. Nou. part.* II, *cap.* 12. et 15. inprimis autem RIVERIVM, *Obſ. Med.* 97. *Cent.* I. *pag.* 584. *et* SAM. FORMIVM, *Obſ. Chirurg.* 20. et 21. apud eundem RIVERIVM, *p.* 678. *Opp.* item CHRISTOPH. GVARINONIVM, *Conſultat. Med.* 513. *pag.* 591. et ILL. HOFFMANNVM, *Med. rat. ſyſtem. Tom.* IV. *part.* V. *cap.* 6. *pag.* 458. *Tom.* III. *Opp.* item, *Med. Conſult. Caſ.* 58. *Cent.* I. *pag.* 177. *ſqq.* vt alios taceam; ideo ea merito hic cenſui praetermittenda. Inde etiam nec longius iam excurram in *Phytolaccae*, ignorati hactenus in Medicina, vſus, laudes, quae nuperrime, ceu vnica illa ſalutis ancora, in feliciter perſanando teterrimo Cancro, in Anglia potiſſimum, impenſiore praeconio nobilitari coepit: Longior enim dies, vberiorque atque fidelior experientia docebunt demum Medicos ſolertiores, ecquid denique veri ſolidique inſit his ipſis commentis tam pulchra praeclaraque minantibus. Sed ſubita bonae huius *phytolaccae* fàma haud diu viguit, vt dudum ſcilicet verebar, quin potius repente neglecta et oppreſſa, ceſſit potentiſſimae illi, ſi Dis placet, panaceae, *dirae* nempe, aut rectius forte *diuae Cicutae*: de qua nimirum ſparſis in vulgus credulum variis Libellis encomiaſticis, non ſolitae et credibiles medendi virtutes; ſed incredibilia prorſus et inaudita miracula, ac pluſquam Theſſala portenta, plenis veluti buccis confidentiſſime effunduntur. Iſtam enim omnibouam et omnimorbiam plantam, vt ſic cum ISIDORO loquar, frequentius diutiusque intus aſſumtam, pluſquam ſaxeos ſcirrhos reſoluere, dudum inueteratos et pertinaciſſimos cancros occultos, et apertos ac cruentos, diſſipare atram oculis caliginem, et ipſam cataractam, abſtergere, arthritidem, podagram, luem veneream, ſcabiem ferinam, hydropem, phthiſin, anginam, paralyſin, hemicraniam, melancholiam, ſcorbutum, et in vniuerſum omnes paene morbos chronicos, in hunc vſque diem, fere inſanabiles, cito, tuto et iucunde perſanare; quin et, quod omnium ſane lepidiſſimum, ipſos quoque ſteriles vteros foecundos reddere, audaciſſime perhibetur: quibus ego adhuc addo, illam mortuos quoque ipſos in vitam reuocare poſſe. Quod ſcilicet tam verum eſt, quam vera reliqua omnia. Quae ſpecioſa pro

inde commenta et suauia per deum! insomnia dum nuper ad seuerius examen ipsamque fidam experientiam vocauit cl. LANGE, editis *dubiis Cicutae vexatis*, deprehendit vbique attonitus, nihil fere ibi veri omniaque contra ficta esse, veluti in pictorum pergula. Vt enim nihil iam de aliis morbis dicam, quos, ipso teste, cicuta non sanauit; sed peiores reddidit, de ipsis inprimis scirrhis ac cancris obseruauit, illos post diuturnum ipsius vsum, intractabiliores et intolerabiliores fuisse factos, succedentibus quippe symptomatibus dirissimis. Inde ergo etiam ill. de HAEN per *centum ac decem experimenta* diligenter capta, contrarium pariter edoctus *cicutam* merito vocat *remedium plane ineptum*. Idem quoque affirmat RICH. GVY, in *practical obseruations on Cancers, and disordres of the breast*. Lond. 1762. vbi noxium semper fuisse internum Cicutae vsum, in curandis cancris, aperte fatetur. An vero ipsius methodus suppuratoria, qua centenos cancros se perfecte sanasse gloriatur, certior sit alii viderint: suppurationem enim tunc excitare, perquam difficile, imo paene incredibile videtur, vt supra monitum. Nec probabiliorem illam crediderim audaciorem medendi rationem alterius chirurgi Angli, WILHELMI NORFORD, propositam in *Lib. Au essay on the general method of treating Cancerous tumors*, etc. Lond. 1753. Nec denique securam ac felicem esse cancri curationem, herba quadam adurente institutam, sapienter monet ill. MORGAN. *Epist. anat.* 50. *Tom.* II. *p.* 278. *de sed. et causs. Morb.*

§. XIII. Quum igitur, vti quidem longe lateque hactenus persequuti fuimus, omnia isthaec Remedia in mitigando, aut extinguendo edaci cancro, tantopere celebrata, aut incerta valde sint atque ambigua, aut nociua ac discriminis plena, aut denique obscura, incognita atque ex tetro liuore, publicis commodis subtracta; proinde cum optimis quibusuis Auctoribus Medicis ac Chirurgis, merito censendum, omnem in ferro solo salutem esse repositam, locumque tunc vel maxime habere illud Virgilianum:

Non tamen vlla magis praesens fortuna laborum est,
Quam, si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris Os: alitur Vitium, viuitque tegendo.

Nam,

Nam, vt verissime quondam noster pronunciauit HIPPOCRATES, *Aph.* 6. *Sect.* VIII. et *Lib. de Arte, p.* 8. ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται. *Quaecunque Medicamenta non sanant, ea ferrum sanat.* Vix ergo vllum superest dubium, quin Cancer potissimum, recens modo natus, adhuc mobilis, angusto limite circumscriptus, locoque inprimis oportuno sensibusque exposito conspicuus, intactis autem simul ante omnia, a contagiosa ipsius labe mutuaque tabe, reliquis sane adhuc corporis partibus, feliciter plerumque, secure atque perfecte ferro stricto exscindi possit. Conf. CELSVS, *Lib.* V, *Cap.* 26. PAVLL. AEGINETA, *Lib.* IV, *Cap.* 19. item GALENVS, AETIVS, NONVS, vt omnes iam recentiores Medicos et Chirurgos taceamus. Inter quos tamen maxime vid. ill. BOERHAAVII *prax. med. T.* II. *p.* 256. *sqq.* et ibi ill. ipsius Commentatorem, *Com.* I. *p.* 890. *sqq.* vbi omnia signa et indicia prudentissime praescripta sunt, quando nempe Cancer, praesertim recens, tuto et salutariter exstirpari possit.

§. XIV. Quod praesertim de labiorum Cancro, propter ipsius loci oculis manibusque exserti oportunitatem facilemque accessum, et minorem nimiae sanguinis profusionis metum, tanto confidentius asserendum. Quis enim, quaeso, tuto non credat summo illi in Arte nostra dictatori venerando, ill. VAN SWIETEN, in aureis *Commentariis in Aphorism. Boerhaau. Tom.* I. *pag.* 896. ita grauissime pronuncianti: *Vix credi potest, quantae magnitudinis Cancri a peritissimis Chirurgis aliquando ex labiis resecti fuerint, et feliciter curati, absque insigni deformitate. Vidi sic hominem, cui binae tertiae partes Labii inferioris sic fuerunt ablatae; et tamen satis pulchra cicatrice coaluerat tantum vulnus.* Qualia eiusdem felicis amputationis exempla plurima passim quoque relata leguntur apud PARAEVM, *Opp. Chirurg. Lib.* VI, *Cap.* 29. *pag.* 219. TIMAEVM A GVLDENKLEE, *Lib.* I. *Cas. medicinal.* 38. *pag.* 71. et *Lib.* VI, *Cas.* 13. *pag.* 271. *sq.* PETRVM FORESTVM, *Obs. med* 26. *Lib.* XVII. *p.* 486. GERARD. BLASIVM, *Part.* VI. *Obs. med. rariar.* 15. *pag.* 82. FABRIC. HILDANVM, *Obs. Chirurg.* 87. *Cent.* III. *pag.* 379. *sqq.* STALPART. VAN DER WIEL, *Obs. med. Chir. rar.* 13. *Cent. post. Part.* I. *p.* 105. *sqq.* FRID. LOSSIVM, *Obs. med.* 30. *Lib.* I. *pag.* 84. *sqq.* SCHARSCHMIDIVM, *Relat. Med. Part.* II. *Obs.* 42. *pag.* 325. vbi et plura, quae huc

 pertinent,

pertinent, praesertim magnum FRED. RVYSCHIVM, *Aduerſ. Anat. med. chir. Obſ.* 5. *Decad.* II. *pag.* 14. vt iam taceam FALLOPIVM, SOLINGIVM, OVERKAMPIVM, GVIDONEM CAVLIACVM, SEVERINVM, ipſum Chirurgorum principem, HEISTERVM, alioſque plures.

§. XV. Verum, quod merito acerbe dolendum, numero quoque haud pauciora paſſim eorum miſerorum occurrunt exempla, quibus foedi eiusmodi labiorum liuentium ac tumentium Cancri apte licet, perite et decenter reciſi, poſt inductam etiam pulchre iam cicatricem, tamen praeter omnem ſpem et opinionem, confeſtim reuerterunt, et miſerae mortis cauſſam attulerunt, vt ſic verum eſſet illud Poëtae:

Latius exciſae peſtis contagia ſerpunt.

Ex quibus fere innumeris, ſi quis aliquot tantum inſigniora et diligentiore attentione digniora legere aueat, is quaeſo, euoluat, niſi graue, SCVLTETI *Armament. Chirurg. Part.* II. *Obſ.* 33. *pag.* 77. *ſqq.* PLATERI, *Obſ. med. Lib.* II. *pag.* 369. *ſq.* vt et maxime HILDANI, *Obſ. med. chirurg.* 84. *Cent.* III. *pag.* 265. apud ill. VAN SWIETEN, *Comment. Boerhaau. Tom.* I. *pag.* 901. item BONETI *Opp.* paſſim, praeſertim autem *Actorum Med. Berolinenſ. Decad.* II. *Vol.* II. *p.* 91. et *Vol.* V. *p.* 87. vbi bina praecipue triſtiſſima eiuſmodi exempla Cancri labiorum poſt feliciſſimam quoque, vt videbatur quidem, exſtirpationem, cum ipſius Vitae detrimento, ſubito renati, conſignata leguntur, quae affatim luculenterque ea ipſa comprobant, quae ſuperius, *Hiſtoria* I. et II. eundem in modum, candide et fideliter enarrauimus.

§. XVI. Nec diſpar certe eſt ratio atrocioris illius Cancri Mammarum, frequentiſſimae iſtius mollioris ac venuſtioris ſexus calamitatis. Licet enim eiuſmodi Mammas ponderoſas, horrendum rigentes, Venisque inflatis, atroque vel liuido tabo foede turgidis intercurrentibus deformes, nonnunquam feliciter, et ſine ſpe redituri mali, vindice ferro, exciſas fuiſſe, non deſint exempla, paſſim hinc inde, apud Auctores Medicos et Chirurgos obuia, veluti apud ipſum AEGINETAM, *Lib.* VI. *cap.* 45. *pag.* 88. et GALENVM, item HILDANVM, *Obſ. Chirurg.* 79. *Cent.* II. *p.* 298. *ſqq.* FORESTVM, *Obſ. med.* 27. *Lib.* XVII. *pag.* 493. MARC. AVREL. SEVERINVM, *de Abſceſſ. Lib.* IV, *cap.* 9.

pag.

pag. 222. SCVLTETVM, *Armament. Chirurg. Part.* II. *Obſ.* 44. *p.* 93. *ſqq.* BONETVM, *Sepulchret. Anat. Tom.* III. *Lib.* IV. *Sect.* II. *Obſ.* 7. *p.* 268. THOM. BARTHOLINVM, *Hiſt. Anat.* 100. *Cent.* V. *p.* 285. *ſqq. Anat. renou. Lib.* II. *cap.* I. *pag.* 334. et *Act. Med. Hafn. Vol.* I. *Obſ.* 27. *p.* 58. NICOL. TVLPIVM, *Obſ. Med. Lib.* I. *cap.* 53. *pag.* 97. item VIDIVM, CABROLIVM, GVIDONEM, ARCAEVM alioſque, apud ZACVT. LVSITANVM, *Med. princ. Hiſtor.* 28. *Lib.* II. *pag.* 308. vt plures recentiores Chirurgos, venerabilem inprimis HEISTERVM, in *Diſſertat. de optima cancrum mammarum exſtirpatione, Helmſtad.* 1720. iam ſtudio taceam: Praeſertim autem huc Conf. ill. MORGAGNI, *Epiſt. anat.* 50. *T.* II. *p.* 270. *op. de ſedibus et cauſſ. Morb.* vbi memorabile exemplum cancroſae mammae a Celeb. VALSALVA feliciter quidem exciſae haud ſine omni tamen metu redituri olim alibi mali: quare et ipſe ill. Auctor hanc noſtram *diſſ. de nociua Cancri Exſtirpatione*, ibi benigne approbat et elogio ornat. Attamen ne ipſo quidem ſtricto ferri minacis mucrone, inexpugnabiles eiuſmodi Mamillarum putridarum peſtes ſemper expugnari potuiſſe, tametſi dirum malum cum ipſo corpore, exſecaretur, ex totidem pariter exemplis luctuoſis in contrarium, ingenti copia, facile producendis, nemini non protinus conſtabit, quicunque Anctores iſtos vel ſupra laudatos, vel etiam alios, mox laudandos, paullo diligentius euoluere haud grauatus fuerit, videlicet SEBAST. MEYERVM, apud HILDANVM, *Obſ. Chirurg.* 87. *Cent.* III. *pag.* 386. SCVLTETVM, *Arm. Chirurg. Part.* II, *Obſ.* 45. *pag.* 98. *ſqq.* EBERHARD. GOCKELIVM, *Conſil. Med.* XXIII. *pag.* 272. *ſqq.* BONETVM, in *Sepulchret. Anat. Tom.* III. *Lib.* IV. *Sect.* II. *Obſ.* 7. *pag.* 268. et in *Medicina Septentr. Lib.* IV. *Sect.* XI. *Obſ.* 7. *pag.* 159. item HAGENDORN, *Obſ. med.* 62. *Cent.* III. *pag.* 378. *ſqq.* praeſertim vero, FELIC. PLATERVM, *Lib.* II. *Obſeruat. pag.* 489. et *pag.* 495. *ſqq.* vbi horrendi prorſus exempli Hiſtoria relata legitur, vti et, vt omnia in pauca contraham, PETR. FORESTVM, *Obſ. med.* 26. *Lib.* XVII. *p.* 483. *ſqq.* ibique grauiſſimum LEONHARD. BERTAPALIAE, vetuſtiſſimi Auctoris Chirurgici, hanc in rem, teſtimonium, et denique ILL. VAN SWIETEN, *Comment. in Boerhaau. Tom.* I. *pag.* 895. et laudatiſſimum MORGAGNVM, *Epiſt. anat.* 50. *Tom.* II. *p.* 278. vbi plura, quae huc

 ſpectant.

ſpectant. Sed neminem tam veterum, quam recentiorum Chirurgorum, facile repertum iri crediderim, cui non ſimile frequentius ſit obſeruatum.

§. XVII. Rariſſime enim intra arctiorem vnius ſolum mammae ambitum circumſcripta continetur foecunda iſta repullulantis Cancri lues; quin potius, exciſa feliciter vna, riteque perſanata, confeſtim peſtiferas ſuas fibras adhuc reſiduas et doloſo quaſi ſub cinere latentes in alteram vicinam, a vitio adhuc immunem, late diſpergit, eamque ipſam ſimili tabe cadaueroſa per mutuam contagionem, contaminat, quod et probe obſeruauit exemplisque a ſe ipſo viſis vberius confirmauit venerandus nobis, vel poſt ipſa fata, HOFFMANNVS, in *Med. rat. Syſtemat. Tom.* IV. *Part.* V. *Cap.* 6. *pag.* 448. et *pag.* 451. *Tom.* III. *Opp.*

Sicque malum late ſolet immedicabile Cancer
Serpere, et illaeſas vitiatis addere partes.

Immo nec intra hos, etſi ſpatioſiores limites, indomita effrenataque ipſius ferocia perſtat: quod ſi enim et altera illa Mamma contagioſa tranſitione pariter vitiata ac corrupta, exſecta fuerit; tunc teſte ipſa frequentiore experientia, mortiferum illud Cancri late ſaeuientis virus, ſede potius nonnihil emotum, quam corpore penitus remotum, ſaepe citato impetu, verſus ipſum vterum partesque generationi dicatas, ruit, ibique deinde tragoedias excitat luctuoſiſſimas, nulla prorſus humana arte opeque poſtea ſedandas. Quale triſte oppido atque funeſtum exemplum ſupra retulimus, Hiſtoria III. Cui geminum plane aliud, a ſe ipſo pari modo, quondam obſeruatum, memoriae mandauit Vir ſummus, HERM. BOERHAAVIVS, *Prax. Med. Tom.* II. *pag.* 259. atque ex eo, ipſo haud minor, ill. VAN SWIETEN, in *Comment. in Aphoriſm. Boerhaau. Tom.* I. *pag.* 875. Sed et dudum PRIMEROSIVS ſimile lacrymoſum exemplum de quadam equitis miſeranda vxore, adnotauit, ceu ex ipſo refert THEOPHIL. BONETVS, in *Polyalth. Tom.* III. *Lib.* V. *Cap.* 30. *pag.* 402. Conf. FRID. HOFFMANNI, patris, *Method. Med. Lib.* II. *Cap.* 2. *pag.* 415.

§. XVIII. Neque ſane id mirum: arctiſſimum enim et ſenſibus quoque paene ipſis manifeſto obuium mammas inter atque vterum ipſum, intercedere conſenſum, mutuamque communicationem et connexionem

nem, inter omnes vberrime conſtat rerum medicarum et anatomicarum peritiores indagatores, id quod poſt ipſum noſtrum HIPPOCRATEM, GALENVM, SORANVM aliosque veteres, luculentius, latiusque demonſtrarunt Viri in arte ſummi, FALLOPIVS, VESALIVS, RIOLANVS, HARVEVS, BONETVS, HOFMANNVS, LAVRENTIVS, SYLVIVS, HIGHMORVS, FORESTVS, BARTHOLINVS, MERCVRIALIS, BOTTONVS, et inprimis ROLFINCIVS, *Lib.* V. *Diſſertat. anat. Cap.* 27. vt et diſertius, in *Ordine et Methodo Generationi dicat. Partium* etc. *Part.* II. *Capp.* 16. 17. et 18. item MOEBIVS, *Phyſiol. Cap.* 20. *pag.* 539. *ſqq.* et PAVLLINI, *Obſ. med.* 68. *Cent.* II. *pag.* 246. et alibi, vt recentiores iam taceam, REGNER. DE GRAAF. *de Mulier. Organ. Generat.* IOANN. FREIND, in *Emmenologia*, SCHVRIGIVM, in *Parthenologia et Gynaecologia*, DELIVM, *de conſenſu pectoris cum infimo ventre*, aliosque plures, quos inter tamen ſuo merito, eminet ill. VAN SWIETEN, *Comment. in Boerhaav. Tom.* I. *pag.* 853. et *pag.* 875. Hinc nunc facile, opinor, ſua ſponte, patebit ratio, cur vnius ex illis, partis cancer mutua tranſitione, ad alteram propagetur, feliciterque, vt videbatur quidem, in mammis curatus, ſaepe infeliciter in vtero repullulet, non aeque feliciter ibidem curandus. Plerique enim Mammarum Cancri ex praua ipſius Vteri conditione, atque menſium degenerum vitiatorumque inprimis fluxu, nunc iuſto parciore, aut inordinatiore, nunc plane intercepto atque ſuppreſſo, itemque frigido viduoque cubili, ac vita ſine licentia coniugali, diutius peracta, funeſtam ſuam originem trahunt, vti Medicorum peritiorum nemini non cognitiſſimum, atque ſuperius quoque demonſtratum. Nec deſunt ſane lugubris iſtius rei exempla quam plurima, fidem abunde factura, ſi quis forſan, quod neutiquam tamen ſperamus, in dubiam ſententiam diſceſſerit, veluti apud FORESTVM, *Obſ. med.* 26. *Lib.* XVII. *pag.* 487. *ſqq.* BALLONIVM, *Lib.* I. *Epidem.* et *Ephemerid. p.* 57. HILDAN. *Obſ.* 87. *Cent.* III. *pag.* 369. *ſqq.* LOMMIVM, *Lib.* II. *Obſ. med. pag.* 272. BLANCARDVM, *Anat. Pract. Obſ.* 16. *Cent.* II. *pag.* 286. *ſqq.* TIM. A GVLDENKLEE, *Caſ.* 39. *Lib.* IV. *pag.* 237. CHRIST. GVARINONIVM, *Conſult. med.* 371. *pag.* 396. item *Conſult.* 403. *pag.* 461. et *Conſult.* 513. *pag.* 590. ill. HOFFMANN. *Med. rat. Syſtem. Tom.* IV. *Part.* V. *cap.* 6.

pag. 446. et *pag.* 458. *Tom.* III. *Opp.* IDON. WOLFIVM, *Obſ. med. Chir.* 35. *Lib.* I. *pag.* 121. BONETVM, *Polyalth. Tom.* III. *Lib.* V. *c.* 30. *p.* 402. et in *Med. Septentrional. Tom.* II. *Lib.* IV. *Sect.* XI. *Obſ.* 7. *p.* 159. MICH. LEYSERVM, apud THOM. BARTHOLIN. *Epiſt. medic.* 94. *Cent.* II. *pag.* 713. *ſqq.* MARTIN. AKAKIAM, *Lib.* I. *de Morb. Mul. cap.* 19. *p.* 769. *in Gynaeciorum Sylloge* ISRAEL. SPACHII, vbi et MERCVRIALIS, MONTANVS, TRINCAVELLIVS, BOTTONVS, MERCATVS, aliique, qui de Morbis Mulierum accuratius ſcripſerunt, iſtoque grandi Volumine continentur, eandem in rem, diligenter ſunt euoluendi.

§. XIX. Tum vero demum maximum omnino et miſerrimum omnium eſt miſeriarum, et re ipſa, ἄπιστος ἡ ξυμφορὴ, *incredibilis plane calamitas*, vt ſcite vereque ait ARETAEVS, *Lib.* II. *de Morb. Chron. cap.* XI. *pag.* 64. vbi plura de hoc acerbiſſimo caſu legenda; Quando ſcilicet acerrimum illud Cancri mordacis Venenum ipſos ſecretiores Vteri receſſus violenter inuadit, crudelique tabe obſcenos locos muliebres adeo vſque peredit, vt, horreſco referens, ſanies teterrima, olida, atra, flava, viridis, rufa, verbo verſicolor, vlceroſo ab inguine, impatibili dolore et foetore, deſtillet, quae omnia circumiacentia voracitate auidiſſima, depaſcitur, atque rapidiſſime depopulatur. Quod ipſum iam ſua tempeſtate, probe animaduertit PAVLLVS AEGINETA, *Lib.* III. *cap.* 67. *pag.* 54. ἐκκρίνεται, inquit ille, διηνεκῶς ἀπ' ἀυτοῦ καρκίνου τοῦ ἡλκωμένου τῆς ὑστέρας, ἰχὼρ λεπτὸς, ὑδατώδης, μέλας, ἢ πυρὸς, δυσώδης· ἐνίοτε δὲ καὶ αἷμα φέρεται. Τὸ μὲν οὖν πάθος ἀνίατον, ὥς που καὶ Ἱπποκράτης ἀπεφήνατο. In quo tamen loco vitioſe ſcriptum πυρὸς, *ignis*, quod ſenſu commodo hic caret, pro πυῤῥὸς, *rufus;* quale mendum etiam ex HESYCHIO olim ſuſtulimus, apud quem aeque deprauate legebatur, p. 530. Κιῤῥὸν, πῦρ ἐρυθρὸν pro πυῤῥὸν, ἐρυθρὸν, vt iam oſtendimus, *Lib.* IV. *Obſeruat. Crit. cap.* 20. *pag.* 433. Sed haec obiter. Ipſe vero NONVS, ſiue THEOPHANES, nunc emendandus eſt ex hoc AEGINETAE loco, ex quo ſua maximam partem, hauſit: vulgo enim ibi legitur, *cap.* 207. de Vteri Cancro, *p.* 238. ἐκκρίνει δὲ ἰχῶρα μέγαν, peramque vertitur: *magnamque tenuis ſaniei copiam emittit:* quum tamen praeeunte ipſo AEGINETA, et praecipue experientia ipſa, extra omnem contro-

controuersiam, omnino legendum sit, ἰχῶρα μέλανα, *saniem atram:* praesertim, quum neminem elegantius literatorum, opinor, fugiat, frequentissime in antiquis Libris manu descriptis, propter arctiorem puta, literarum affinitatem, confusa inter sese deprehendi, τὸ μέγα, τὸ μέλαν: id quod post CANTERVM, LEOPARDVM, SALMASIVM aliosque, singulari exemplo ostendit IAC. GRONOVIVS, in *Obseru. ad Herodot. Lib.* III. *pag.* 905. plura vero istius confusionis collegit Cl. IO. ALBERTI, ad HESYCHII *Lexicon, Tom.* I. *p.* 205. *Not.* 9. Idem vero NONVS etiam in antecedentibus, eiusdem Capitis, alio grauissimo vitio, quod sensum turbat, inquinatus est, in istis nimirum Verbis: Ἑλκομένε δὲ ὄντος τε̃ παρκίνε, πρὸ ταῖς ὀδύναις καὶ σκληρίαι καὶ ὄγκῳ διαβεβρωμένα καὶ νομώδη εὑρίσκεται; quae scilicet hunc potius in modum, rescribenda et interpungenda sunt, ex eodem PAVLLO AEGINETA: Πρὸς ταῖς ὀδύναις, καὶ σκληρίαις, καὶ ὄγκῳ, διαβεβρωμένα καὶ νομώδη εὑρίσκεται. Verum, mittamus iam isthaec critica, hac commoda tamen occasione, vt quidem ob argumenti dignitatem, merito videbatur, haud plane negligenda, aut repudianda: Quin potius illico ad nostrum institutum, si placeat, reuertamur.

§. XX. Quodsi igitur eiusmodi immunda teterrimi iuxta foetoris et abominandi coloris mixti colluuies in exulcerato ipsius Naturae muliebris sinu, collecta haeret, ibique inexhausta scaturigine exundat, omniaque peredit et absumit; tum sane vnanimi prudentiorum Medicorum consensu,

Spes nulla, tantum posse leniri malum,

quoniam tunc ἀνίατον plane est πάθος, ὅπερ ὔτε δυνατὸν, ὔτε συμφέρον ἐςὶ χειρυργεῖν, *immedicabilis prorsus morbus, cui nulla opera chirurgica cum fructu, mederi potest,* fatentibus modo laudato AEGINETA, *Lib.* VI. *cap.* 45. *pag.* 88. et NONO, AETIO, ACTVARIO, ARETAEO, ORIBASIO, et inprimis GALENO, *Comment. in Aph. Hipp.* 38. *Sect.* VI. *Opp. T.* IX. *Part.* II. *p.* 272. aliisque pluribus, apud HENR. STEPHANVM, *Dictionar. Med. pag.* 356. *sqq.* quibus, e recentioribus, addantur LAZ. RIVERIVS, *Lib.* XV. *Prax. Med. cap.* X. *pag.* 463. *sqq. Opp.* BRVNO SEIDELIVS, *de Morb. incurabil. pag.* 25. HENR. SMETIVS, *Lib.* VII. *Miscell. med. p.* 335. IDO WOLFIVS, *Obs. Chirurg. Med.* 35. *Lib.* I.

pag. 117. *sqq.* IO. VARANDAEVS, *Tractat. de Morb. et Affect. Mulier. Lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 117. et qui idem argumentum diligenter tractarunt, MERCVRIALIS, MERCATVS, ACACIA, MONTANVS, BOTTONVS, aliique apud SPACHIVM, in *Gynaec.* item ROD. A CASTRO, PRIMEROSIVS, et praesertim FRANCISC. MAVRICEAV, *Lib.* III. *de Morb. puerper. Cap.* 13. cuius locum insignem huc vel maxime spectantem latine retulit BONETVS, qui et ipse conferri debet, in *Polyalth. Tom.* III. *Lib. Cap.* 30. *pag.* 402. *sqq.* tandem, vt innumeros fere alios iam mittam, ipse BOERHAAVIVS, *Tom.* II. *Prax. Med. pag.* 260. vbi et triste huius rei exemplum ex HARVEO adducit, eiusque prudentissimus Explicator, ill. VAN SWIETEN, in *Comment. T.* I. *p.* 895. *sqq.* et Vir denique suo merito maximus, B. FRID. HOFFMANNVS, *Tom.* IV. *Med. rar. Systemat. Part.* V. *cap.* 6. *pag.* 447. *Tom.* III. *Opp.* item *Tom.* II. *pag.* 161. *sqq.* Quare, vt id obiter hic adiiciam, fidem aegre habitura videntur, quae de noua et cerrta sua *omnis generis Cancris medendi methodo*, peculiari Libello, *Lond.* 1753. in vulgus edito, confidenter iactat WILHELM NORFORD, chirurgus Anglus, qua non solum mammarum, sed et ipsius adeo Vteri durissimos dirissimosque Cancros a se feliciter sanatos fuisse, audacter asserit: de quo vid. paullo superius dicta.

§. XXI. Quam tantorum Auctorum decretoriam sententiam tristissimam exemplis aliquot funestissimis, illique ipsi a nobis Historia III. proposito, maximam quidem partem, simillimis, vberius confirmarunt et illustrarunt Medici pariter celeberrimi, PETR. FORESTVS, *Obseru. Med.* 46. et 47. *Lib.* XXVIII. *p.* 283. *sqq.* IO. HEVRNIVS, in *Not. ad Aph. Hippocr.* 56. *Sect.* V. *pag.* 390. STEPH. BLANCARDVS, *Anat. pract. rat. Obs.* 16. *Cent.* II. *p.* 286. NICOL. TVLPIVS, *Lib.* III. *Obs. Med. cap.* 33. et 34. *pag.* 237. *sqq.* item RIEDLINVS, *Obs. med.* 81. *Cent.* III. *pag.* 431. *sqq.* vt et BOERHAAVIVS, *Consil. med.* V. *pag.* 27. *sqq. Edit. Paris.* praesertim autem ornatissimus PECHLINVS, *Obs. med.* 22. *Lib.* I. *pag.* 51. et HENR. AB HEER, *Obs. med. rar.* 14. *p.* 180. *sqq.* itemque SCHVRIGIVS, qui ista ex ipsis repetit, in *Muliebr. Hist. Med. Sect.* III. *cap.* 2. *pag.* 271. *sqq.* add. *Act. Med. Berolin. Decad.* I. *Vol.* 5. *pag.* 26. et *Decad.* II. *Vol.* V. *pag.* 85. vt et ILL. VAN SWIETEN, *Comment.*

ment. in Boerhaau. Tom. I. *pag.* 886. Quo et inprimis pertinet notabilis oppido locus, in *Vita* S. PHILIPPI NERII, *to.* 6. *Mai. pag.* 633. apud longe doctiſſimum et laborioſiſſimum CANGIVM, in Gloſſario *Med.* et *infimae Latinit. Tom.* III. *pag.* 1280. quem, quoniam ipſe breuis eſt, huc infra adſcribere haud pigrabimur: *Per annos plures variis morbis conflictata Foemina, eoque praeſertim, quem Hyſtericum appellant, cum acri quadam deſtillatione, ex qua deinde putridum malignumque vlcus exortum eſt.* Quo ipſo eiuſmodi teterrimum et inſanabile prorſus Vteri demum exulcerati Carcinoma intelligendum eſſe, neminem rerum iſtarum ſcientiorem fore arbitramur, qui vel leuiter tantum dubitare auſus fuerit.

§. XXII. Quamobrem, vt omnia diffuſe hactenus dicta, in vnum tandem cogamus, apprime gnari, cunctationem hic ſaepius plus prodeſſe, quam quidem temeritatem, aut feſtinationem, nemini vnquam Chirurgorum auctores ſuaſoresque facile fuerimus, vt ſine omni diſcrimine, omnes generatim cancros, praeſertim autem inueteratos, et ex diuturniore mora, altius partibus infixos ac latius iam circumductos, iuſto properantius, cruenta amputatione, deleat; niſi ex ſaluberrimo HILDANI, FORESTI, PECHLINI, BOERHAAVII, HEISTERI, VAN SWIETEN, et aliorum magnorum virorum conſilio, prius perquam ſolicite et ſtudioſe explorauerit, qualem potiſſimum habitum faciemque reliquae inprimis corporis glandulae, v. g. colli, faucium, aurium, axillarum, inguinum, cum ceteris, induerint: quarum nempe omnium mira arctaque inter ſeſe eſt ſocietas ac coniunctio, vt ſcilicet ex anatomicis et pathologicis notiſſimum, quod et egregie, pro ſolito more, docent viri iterum cum cura et obſeruantia dicendi, BOERHAAVIVS, atque SWIETENIVS, in *Tract. de Cancro*, item SEVERINVS, MALPIGHIVS, RVYSCHIVS, HALLERVS, WHARTONVS, iique praeſertim ſcriptores, qui data opera, de partium corporis humani conſenſu, commentati fuerunt, veluti BAVSNERVS, LYGAEVS, BALLONIVS, LINDENIVS, ELSHOLTIVS, DELIVS, et vt alios iam mittamus, b. noſter parens, IO. MAVRITIVS TRILLERVS. Conf. et ſi placet, *poëma* noſtrum *de humani corporis ſtructura artificioſiſſima Tom.* I. *poëmatum p.* 168. *in Not.*

§. XXIII. Quodſi enim earum nonnullae, aut omnes iam in ſcirrhum quendam intractabilem pertinaciter induruerint, aut alio modo, ſu-

 ſpectae,

ſpectae, aut a ſtatu ſuo naturali degeneres deprehenſae fuerint; tunc propter iuſtum mali proxime alibi, et peiore longe atque periculoſiore loco, reſurrecturi, metum, omnis ſane exſtirpatio non ſolum nihil prorſus emolumenti; ſed etiam adeo plurimum inſuper damni et exitii certiſſime illatura eſt: quoniam vlceris curatio tum grauior ipſo vlcere eſſe plerumque ſolet, vt luculento inter alia, exemplo, ipſe oſtendit HIPPOCRATES noſter, *Lib. Epidem.* VII. *pag.* 875. *Opp.* de infeliciſſima foemina quadam Abderitana: conf. huc HAGENDORN. *Obſ. med.* 62. *Cent.* III. *pag.* 379. PANAROL. *Obſ. med.* 33. *pentecoſt.* IV. *pag.* 260. SCHVRIG. BONET. et alios. Id quod fidiſſima rerum magiſtra, liquida nempe experientia, tot iam triſtibus exemplis aliis, hactenus ex parte, ingenti copia, allatis, confirmauit, et per omne in poſterum tempus, amplius haud dubie eſt confirmatura. Quapropter omnino *prudentis eſt hominis, eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius, vt occiſi, quem ſors ipſius interemit*, vt ſapientiſſime praecepit CORNELIVS noſter CELSVS *Lib.* V. *cap.* 26.

§. XXIV. Vt enim arbores quaedam reciſae pullulant; ita vnius inueterati Carcinomatis intempeſtiua Exſtirpatio auget plerumqne Cancrorum nouorum aliis in locis, foeda foetura, regerminantium numerum, tollendo. Qnare omnibus tam anceps, ambiguum ac crudele remedium in poſterum forſan tentaturis acclamandum potius illud Pacuuianum, apud CICERONEM, Lib. II. *Quaeſt. Tuſculanarum:*

Operite, abſcedite, iamiam dimittite:
Nam attrectatu et quaſſu ſaeuum amplificatis dolorem.

Semper enim in his deſperatis et conclamatis malis, tutior eſt quies et abſtinentia, at pernicioſior contra temeritas ac feſtinatio: Inde hic *cauta potius conſilia cum ratione, ſequenda; quam proſpera interdum, ex mero caſu fortuito*, vt ſapienter quondam, monuit TACITVS, *Lib.* II. *Hiſtoriar. Cap.* 25. Rectiſſime enim in hunc ipſum ſenſum, TITVS LIVIVS, *Lib.* XXII. *Cap.* 38. *Temeritas, praeterquam, quod ſtulta ſit, etiam infelix, et Feſtinatio improuida eſt et caeca.* Οὐ προμηθὲς μὲν γὰρ τάχος βλαβερὸν, βραδυτὴς δὲ μετ' εὐελπιστίας, ὠφέλιμον, quod pariter prudentiſſime effatus eſt PHILO ille Iudaeus, *Lib. de Plantat. Noë, pag.* 184.

§. XXV.

§. XXV. Sed tempus ipſum tandem monet, vt longiore hactenus excurſione veluti nonnihil feſſi fractique, iam finiamus, et quidem pio et ardenti cum voto, vt nempe ſupremus Deus pro ſua immenſa gratia ac miſericordia, omnibus iis ipſe mederi velit, qui ab omni humana arte opeque deſerti et defecti, ſine vlla fere mali vincendi ſpe, ineluctabili iſto exitio, per vitam miſerrimam, conflictantur. Quale ſingulare et memoria perquam dignum praeſentiſſimi diuini auxilii exemplum luculenter enarrauit S. AVGVSTINVS, *Lib.* XXII. *de Ciuitate Dei, Cap.* 8. *pag.* 1047. *Tom.* II. quo ipſo huic Exercitationi noſtrae academicae ſummam veluti coronidem imponere, vt ſpes eſt, iuuabit: *In Carthagine, Innocentia, foemina religioſiſſima, de primariis ipſius ciuitatis, in Mamilla Cancrum habebat: rem, ſicuti Medici dicunt, nullis medicamentis ſanabilem. Aut ergo praeſcidi ſolet, et a corpore ſeparari membrum, vbi naſcitur; aut, vt aliquanto homo diutius viuat: Nam, vt inde mortem, quantumlibet tardius affuturam, confidamus, ſecundum Hippocratis, vt fertur, ſententiam, omnis eſt omittenda curatio. Hoc illa a perito Medico, et ſui domui familiariſſimo, acceperat, et ad ſolum Deum ſe, orando, conuerterat. Admonetur in ſomnis, appropinquante Paſcha, vt in parte foeminarum, obſeruanti ad baptiſterium, quaecunque illi baptizata primitus occurriſſet, eundem locum ſigno Chriſti ſignaret: Fecit, et confeſtim ſanitas ſequuta eſt.* Hactenus venerabilis ille Praeſul Hipponenſis. Ad cuius ſingularem hunc locum, qui tamen non ex omni quidem parte, ſanus atque integer videtur, (poſt illa enim, *aut, vt, aliquanto* - - - *viuat*, quaedam deeſſe videntur, forſan v. g. *intactum relinqui*, vel *non attingi*, vel *non contrectari*, aut ſimile quid) legi vtique dignus doctiſſimus Commentarius praeſtantiſſimi IO. LVDOVICI VIVIS, *pag.* 1058. Verum nunc manum tandem de Tabula!



DISSERTATIO MEDICA TERTIA DE PLEVRITIDE AESTIVA RARIVS OCCVRRENTE.

PROOEMIVM.

Acutiſſimum illum Morbum Lateralem, quem vulgo Graece, Pleuritidem vocant, per omne fere Anni tempus, impune ſaeuire, hincque parcius quidem, primo frigidulo vere, frequentius autem horrido ſordidoque autumno, omnium denique frequentiſſime, gelida ac glaciali hieme, miſeros mortales ſubito inuadere, fida conſtantique experientia, adeo quidem cognitum vbique et exploratum eſt, vt de iſta ſolida veritate nemo facile Medicorum, ſiue veterum, ſiue recentiorum, dubitare amplius audeat, vt ex eorum ſcriptis abunde patet. Quod vel ipſo ſuo triſti exemplo vberius confirmat iſte ingenio ſuo miſerrimus Poëta exul, *Lib.* v. *Triſt. Eleg.* XIII.

Perque dies multos, Lateris cruciatibus vror,
Sed quod non modico frigore laeſit Hiems.

Quorſum et iſtud forſan EVRIPIDIS ſpectet, ex Tragoedia incerta, apud ſummum Virum, HVGONEM GROTIVM, in *Excerptis veterum Tragicorum et Comicorum, pag.* 431.

Λυκ. Ἡ παῖς νοσεῖ τε κἀπικινδύνως ἔχει
B. Πρὸς τοῦδε; τίς μιν πημονὴ δαμάζεται;
Μῶν Κρυμὸς αὐτῆς πλευρὰ γυμνάζει χολῆς;

Hoc eſt, eodem Viro maximo, interprete feliciſſimo:

Lyc. *Non ſine periclo, Filia aegrotat mea:*
B. *Quae cauſſa? quale eſt hanc quod affligat, malum?*
An latera vexat frigus e Bile excitum?

Sed luculentius adhuc ille facetiarum Comicarum Pater et Princeps licet nec ſatis caſtus, nec ſatis modeſtus, ARISTOPHANES, *in Eccleſiazuſis,* ſeu *Concionatricibus, p.* 736. quem inſignem locum laudat quoque SVIDAS, voce Κναφεὺς, *Tom.* II. *pag.* 333. *Edit. Küſter.* Conf. et WEDELII, *Exercitat. Med. philol.* 9. *Dec.* IX. *p.* 68. Nihil vero ibi interpretes, nec Graeci vett. nec Latini recentiores, vt FLORENS

CHRI-

CHRISTIANVS KVSTERVS, SPANHEMIVS, NAT. FABER, et nouiſſime quoque STEPH. BERGLERVS. Neque ſane id mirum. Medici enim non erant; ideo et hunc ſingularem locum e Medicis ſolis intelligendum, neceſſario intactum praetermiſerunt.

Ἢν γὰρ παρέχωσι τοῖς δεομένοις οἱ Κναφεῖς
Χλαίνας, ἐπειδὰν πρῶτον ἥλιος τράπῃ,
Πλευρῖτις ἡμῶν οὐδέν' ἂν λάβοι ποτέ.
Si enim praebeant indigentibus Fullones
Togas craſſas, poſtquam primum Solſtitium hibernum aduenerit,
Pleuritis noſtrum neminem vnquam inuaderet.

Quorſum et omnino ſpectare videtur vetus illa Inſcriptio ſingularis in Agro Vincentino, in Caſtello Arzignano reperta, atque a GRVTERO, *in vaſto Inſcriptionum corpore, fol.* MXV. *T.* II. *No.* 8. exhibita; quam mutilam et deprauatam etiam, hac quidem commoda occaſione, quantum licebit, ſupplere atque emendare modeſte conabor:

MIRTILLAE ACMENE a)
SORORI PIISSIMAE
SANCTISSIMAE
VIX. AN. XVIII. M. II. D. XIII
HAEC. NOCTV. SVMMANO. VISO
ADMONITA. VT. TEMPL - - - ARC - - b)
- - - ERET. IBIQVE. PRIMVM
IANVM. EX. PRAECEPT - - - c)
DE. SALVT - - - CONSVLE
RET. INTRA. EVNDEM. DOLORE d)
LATE - - - - CONFECTA - - - e)
FATO. MALO. FACTVM. EST. VT
NEVTRVM VIDER. f)
ARCEI - - - - VTA - - - SOLO. g)

Huc

a) Poſſet hic facile legi ALCMENE, ſeu ALCMENAE; ſed et illud ACMENE rectum et paſſim obuium, nempe a Graeco, ἀκμηνή, ab ἀκμή, ceu notum.

b) Legendum videtur, TEMPLVM ACCEDERET, vel et TEMPLVM ARCEMOVE ACCEDERET, vti mox ex altera *Inſcriptione Muratoriana* clarius patebit.

c) Supplendum eſſe PRAECEPTO, quiuis ſtatim videt: et mox DE SALVTE.

d) Legendum hic haud dubie: INTRA EVNDVM, alias enim ſenſus non conſtat.

e) Supplendum hic omnino LATERVM, vel LATERIS, aut LATERALI, ſed prius praeſtat.

f) VIDERET, hic legendum, nemo non ſtatim perſpiciet.

g) Haec valde mutila ita ſupplenda videntur: ARCEIANO OBRVTA SOLO. Ex mox ſequenti ſimili, niſi forſan eadem, *Inſcriptione Muratoriana.*

Huc et propter miram eiufdem arggumenti fimilitudinem, quam maxime pertinet fequens plenior Infcriptio, in *Nouo Veterum Infcriptionum Thefauro* MVRATORII, opere fplendidiffimo, *Tom.* I. *pag.* XXXIX. obuia:

METELLI
ARGENTILLA VXOR
SVMMANVM VISVM PERGENS
AD SERGIAM ARCEM IANI
DECLINAVI VT VBI IANVM
PRIMVM CONSVLEREM. SED
LATERVM DOLORE CONFOSSA
PERII FATO FORTASSE VT
NEVTRVM VIDEREM. SED
ARCEIANVM ME OBRVERET SOLVM.

Diligenti ergo inter vtramque hanc Infcriptionem comparatione inftituta, protinus manifefto patebit, vnum idemque fatum et vnum eundemque laterum morbum de diuerfis quidem nomine tantum foeminis ibi narrari: adeo, vt fufpicio hinc forte fuboriatur, vnam ex altera fuiffe defcriptam ac fuppletam, praefertim, quum vtraque vno eodemque loco fit reperta, teftibus GRVTERO et MVRATORIO, qui tamen illius Gruterianae ibi non meminit. Vtraque quidem notas quafdam ac characteres habet Antiquitatis, potiores tamen ac luculentiores, me certe iudice, prior illa GRVTERIANA; adeo, vt MVRATORIANA ex ifta forte efformata et adumbrata videri poffit, licet nihil certi hic definire liceat. Illa certe *Arx Sergia*, et praecipue vltimum illud *Arceianum*, perquam obfcurum, non leuem fufpicionem ac dubitationem de ipfa infcriptionis fide, iniicit, quod tamen folertioribus in ardua illa arte epigraphica et epitaphia Viris diiudicandum relinquo. Interim infelices iftae foeminae vtraeque, iam aegrotae, fed vifo nocturno admonitae, dum fummarium Ianumque ex praecepto, de falute confulturae, matutino forte frigidoque tempore, domo digrediuntur, in longa illa via, inter eundum, faeuo laterum dolore, feu acutiffima pleuritide confoffa, mifere perierunt, aut periiffe certe creduntur. Sed haec amoena varietatis gratia, Lectorum benigniorum, vt fpes eft, pace, data quidem occafione commoda, hic opportune, nifi fallor, interiecta funto, praefertim, quum nemo, quantum equidem fciam, has ipfas

infcriptiones

inſcriptiones ſubobſcuras nonnihil illuſtrare adgreſſus fuerit, qua tamen ſolerti cura haud indignae prorſus videbantur, ideo potiſſimum, quod ex illis ſimul colligi aliquo modo poſſit, aurae praeſertim matutinae gelidiori ipſam diram pleuritidem funeſtam ſuam originem ſaepius debere.

Neque ſane id mirum: quum enim ſaeua pleuritis aëri inprimis gelido rigidoque per citam nimis feſtinamque inſpirationem, iuſto copioſius hauſto intus et ingeſto, infauſtum ſuum ortum potiſſimum tribuat, vti poſt complures alios Auctores, mea quoque frequentiore experientia affatim edoctus, liquido demonſtraui, in Libello ſat cognito, *de Pleuritide eiusque Curatione*, anno CIↃ IↃ CCXL. edito, cuius iam altera auctior longe atque ornatiorque editio paratur: licet iam *Veneti* 1759. nouam illius procurarint, vna cum hac ipſa diſſertatione in fine adiecta, ſed nec nitidam ſatis, nec vitiis typographicis, praeſertim circa graeca, carentem: quod dolentes hic monemus. Nemo non, opinor, cauſſam confeſtim videt, cur gelidioribus illis praeſertim anni tempeſtatibus, atroces Pleuritides tanto acrius inſurgant, tantoque effrenatius vbique dominentur.

Inde et contrario, facile patebit, niſi fallor, ratio, quare arida feruidaque aeſtate, Pleuritis, ceu dira rigidi algoris progenies, ſaeuas ſuas nocendi vires vel plane non exerat, vel rariſſime certe ſuſcitet, lateraque acuto quaſi telo, perfodiat.

Hinc nulla fere apud priſcos Medicos, Graecos ac Latinos, Pleuritidis aeſtiuae mentio fuit iniecta. Sic enim aperte ſcribit ARETAEVS, Medicus et arte, et facundia, et miro ſtili venuſtioris nitore, prorſus inſignis, *Lib.* I. *de Morbis acutis, cap.* X. φέρει δὲ τὴν νοῦσον πλευρῖτιν, ὥρη μὲν, χειμὼν μάλιστα πάντων, δεύτερον φθινόπωρον, ἦρ δε ἧσσον, ἢν μήκοτε ψυχρὸν γίγνοιτο· Θέρος δ' ἥκιστα. *Inter Anni tempora, Hiems maxime Morbi huius pleuritici ferax eſt; ſecundo, Autumnus; Ver vero minus, niſi interdum frigidum ſit; Aeſtas autem omnium minime.* Idem poſtea cenſuit CAELIVS AVRELIANVS, Siccenſis Afer, a ſolida potius doctrina et experientia medica, quam cultioris ſcribendi generis inaffectata puritate, commendabilis, cuius in eundem paene ſenſum, haec ipſa leguntur verba, *Lib.* II. *celerum* vel *acutarum paſſionum, Cap.* XIII. *pag.* III. *Frequentat pleuritis etiam hiberno magis, quam Autumni tempore, quod Hiemi vicinatur: Aeſtate vero difficulter occurrit:* Ad quem Auctoris grauiſſimi

M locum

locum videndae omnino ſunt noſtrae Notae, *in Appendice, ad dictum de pleuritide, Tractatum, pag.* 153. vbi conſueta illa pleuritidis tempora expenduntur. Silentibus ergo ſic de pleuritide aeſtiua, antiquis illis Medicis anteſignanis, primiſque in arte noſtra ſalutari ducibus, quid inde quaeſo, mirum, ſi vel apud ipſos recentiores Auctores medicos, aut nulla plane, aut vaga tantum, dubia atque obſcura, item breuis admodum pleuritidis aeſtiuae mentio rariſſime deprehendatur? Licet enim celeberrimus quondam WEDELIVS ſcripſerit in *Diſſ. de pleuritide, Ienae,* CIↃ IↃCCLXXIII. olim edita, *cap.* IV. *Hieme pleuritides fieri,* HIPPOCRATES *Lib.* III. *Aph.* 23. *ait. Fiunt etiam Autumno, Vere autem et Aeſtate, minus: Neque tamen et haec tempora penitus ſunt indemnia, teſte experientia:* Iſtam tamen, ad quam prouocat, experientiam nullo, quod iure dolendum, luculento aliquo et fide digno exemplo confirmauit. Immo, et ipſe ſummus cetera Medicorum, THOMAS SYDENHAM, licet idem ſtatuiſſe videatur, nullum tamen in tanta rerum practicarum copia, quod iure quis miretur, caſum ſingularem, aut exemplum notatu vel maxime dignum in medium attulit, quo ſuae nonnihil probabili alias ſententiae munimentum aliquod circumponeret, aut ſolidam auctoritatem conciliaret. Sic enim grauiſſime pronunciat Vir iſte incomparabilis, in aureo plane *de omnis generis febribus, Tractatu, Sect.* VI. *cap.* 3. *pag.* 289. *Hic Morbus, pleuritis, quo nec alius frequentior, nullo non tempore infeſtat; potiſſimum vero Anno, inter Ver et Aeſtatem, ambigente. Nam per id temporis, ſanguis a noua ſolis vicinia, excalefactus, in efferueſcentias et inordinatos motus effrenatius ruit.* Quam ſingularem Viri immortalis ſententiam calculo ſuo adiecto, adprobatam et laudatam exinde repetiit Medicus longe praeſtantiſſimus, THEOPHILVS BONETVS, in *Polyalthe,* ſeu *Theſauro Med. practico, Tom.* II. *Lib.* III. *cap.* X. *pag.* 94. vt plures iam alios ſtudio taceam, qui tantum ducem ſequuti, ac reuerentia tam illuſtris Nominis ducti, idem paſſim tradiderunt, atque rem iſtam adhuc aliquanto ambiguam leuiore quaſi brachio, attigerunt.

Sed vt omnia breuiter ſtrictimque nunc complectar, per paucos equidem, quantum ſciam, Auctores medicos reperire, hucuſque mihi licuit, qui pleuritidem illam aeſtiuam rariſſime ſane obuiam, data nempe opera, fideliter deſcripſiſſent, atque in breui quaſi tabella, totam eius imaginem

imaginem viuam amplexi fuiſſent: quos inter tamen ſuo merito, facile eminet PETRVS FORESTVS, qui nempe *Lib.* XVI. *Obſeruat. medicinal.* 29. 31. *et* 32. *pag.* 163. *ſqq.* trium ſingularium exemplorum eiuſmodi inſolitae pleuritidis, per menſes aeſtiuos, Iunium, Iulium et Auguſtum, quondam obſeruatae meminit: quale et apud FRANCISCVM IOELEM occurrit, *Lib.* III. *Opp. med. Sect.* I. *pag.* 274. pleuritidem quoque cum letali Angina coniunctam Menſe Iunio, Ann. 1592. in ſene quodam Iuris Conſulto, ſtrenuo alias potatore, vidit et deſcripſit FELIX PLATERVS, *Lib.* II. *Obſeruat. med. pag.* 391. Conf. et, ſi placet, IO. FRID. ORTLOBII, *Diſſertat. de pleuritide,* §. XIII. *Lipſiae, A.* CIↃIↃCXCVI. publicatam, docteque conſcriptam; ne paucos alios hic iam commemorem.

Quum igitur ſingularem eiuſmodi rariſſimumque omnino pleuritidis aeſtiuae caſum diligenter olim a me obſeruatum in Aduerſaria mea medica, ex more conſueto, retuliſſem: mox non defuerunt, qui memetipſum modeſtis iteratisque precibus adirent, vt iſtum in publica quidem commoda euulgandi nullam praetermitterem occaſionem. Nulla ergo interpoſita mora, honeſtae ipſorum petitioni mox placide ſubſcripſi, iamque caſum iſtum notatu quidem digniſſimum, cum omnibus ac ſingulis ſuis circumſtantiis, in commune bonum, diuulgandum, lubenti animo, conceſſi, quem proinde ſtatim hic infra, cum omnibus momentis, Lectorum, vt ſpes eſt, pace, ſum relaturus. Summum autem Numen interea ſupplices imploramus, vt noſtro huic labori gratia ſua atque auxilio clementiſſime adeſſe velit, quo haec ipſa noſtra Exercitatio Academica conferat nonnihil ad artis noſtrae ſalutaris ampliora incrementa, atque multorum praeſertim aegrotorum, blanda ſolatia, dulciaque dolorum leuamenta.

CASVS SINGVLARIS
DE
PLEVRITIDE AESTIVA
ANNO CIↃ IↃ CCXL. OBSERVATVS.

Maximopere quondam miratus fueram, vel ipſo adulto iam vere, ſaeviiſſe atrocem pleuritidem, vt ex *Hiſtoria* X *Libelli* noſtri *de pleuritide*, vberius conſtat: Quamuis poſtea, anno CIↃ IↃ CCXLII. per inte-

grum menſem Maium, iuſto frigidiorem et horridiorem, plures mihi oblati fuerint pleuritici, ex quibus, licet in ſummum vitae diſcrimen, per ſaeuientis morbi atrocitatem, plerique eſſent adducti, nullus tamen per Dei gratiam, morte occubuit.

Sed mirari nunc deſii, ex quo mediis adeo aeſtatis caloribus ipſis, eandem inſurgere poſſe, nuper admodum fida experientia, certius didici.

Licet enim pleuritidem aeſtate, difficulter occurrere, tradiderint ARETAEVS, CAELIVS AVRELIANVS et veterum alii, pluresque fere recentiorum; nec me de aeſtiua pleuritide, quidquam in medicorum Libris diſtinctius quidem et accuratius pertractatum, legiſſe meminerim, praeter ea, quae parce de hoc argumento, occurrunt apud PETRVM FORESTVM, FRANCISCVM IOELEM, GREGOR. HORSTIVM, paucoſque alios; veriſſima tamen, his non obſtantibus, ea eſt, quam iam propoſiturus ſum, Hiſtoria.

Ecquid vero mirum, Morbos adeo ipſos ingenium mutare ſuum; quando ipſae anni tempeſtates alienos et inconſuetos plane mores induunt?

Quem enim quaeſo fugit, annum illum CIↃIↃCCXXXIX. gelidiſſima et pertinaciſſima hieme fuiſſe adeo inſignem, vt et ipſum ſequentis anni nouum ver non pro more ſolito, gemmulis floridis cuncta depingeret, aut purpureo nitore prata veſtiret, aut blando tepore laetum et amabile quidquam ſpiraret; ſed potius crebro ſordidarum niuium caſu, et imbrium violentius fuſorum lapſu, horridum atque deforme eſſet?

Ipſo namque medio menſe Maio, acre gelu adeo vſque inhorruit, vt et placidae aquae frigore mundo in cruſtas glaciales coirent. Non laetior vero aut mitior ſucceſſit his aeſtas, quae nomen tantum mentita parum ceterum, aut nihil habuit ex feruida alias indole aeſtatis.

Rariſſimi enim per menſes Iunium atque Iulium praeſertim, blandi et temperati eteſiarum flatus: quin potius aquilonum procelloſorum et auſtrorum nimboſorum horriferi ſtridores noctes diesque iuxta, impune tumultuati, illas quidem gelidiſſimas reddebant; hos vero triſtes admodum atque inamoenos, acta inprimis aliquoties in terras, cum imbribus, grandine glomerata.

Vnde

Vnde et laeta fata vbiuis fere ſolito tardius exſurgebant, ita, vt hinc annonae difficultatem ſummamque rei frumentariae inopiam merito extimeſcerent pallentes agricultores, et iamiam quaſi vaticinarentur prudentiorum oeconomorum plurimi.

Sed haec quia cuiuis noſtrum, credo, notiſſima ſunt, pluribus nunc perſequi omnino piget: nunquam enim, ſpero, memori mente excidet plane ſaeuiſſimae illius Hiemis moeſta memoria, iam dudum quippe faſtis adeo ipſis diligenter inſerta.

Quid igitur, obſecro, mirum, vt redeam, vnde digreſſus non nihil fueram, quid, inquam, mirum, inſolita et immutata quaſi caeli annique facie, et morbos ipſos conſuetum ſibi morem adeo migraſſe, vt et ipſa hinc pleuritis, prolatis veluti ſaeui ſui imperii finibus, non contenta ſatis autumno, Hieme atque Vere, vel in aeſtatem adeo ipſam effrenum impetum faceret, ſicque miſeros mortales liquido edoceret, nullam prorſus anni partem, ſi fata quidem velint inclementiora, a ſua ſaeuitia et deteſtabili nocendi arte tutam ſatis eſſe atque immunem, letiferumque ſuum virus nec blando floridi veris tepore permulceri, nec acri Aeſtatis fertilis feruore exuri, nec humida ſordidi autumni aura dilui, nec denique penetrabili glacialis Hiemis rigore obtundi penitus atque infringi poſſe? Sed de his quidem hactenus! Nunc ad ipſam ſine ambage, Hiſtoriam.

Sartor itaque, Vir XXXIX. circiter annorum, temperiei cholerico-ſanguineae, procero et macilento nonnihil corpore, pectore alias infirmo, d. 18. menſis Iulii, ann. CIↃ IↃCCXL. poſt laetum prandium, animi reficiendi gratia, extra oppidum, citatiore, vt ſolebat, greſſu, ſpatiatus, flantibus ſubinde ventis aliquantum gelidis, ſubito mox horrore, et acutiſſimo praeſertim dextri lateris dolore, quaſi maligno quodam ſidere afflatus, adeo vſque praeter opinionem, affligitur, vt vix lentiſſimo gradu, inter difficillimos anhelitus, domum repetere valeat.

Quo facto, ſtatim arceſſitur Chirurgus, qui cita ſuffocatione alias perituro, vt videbatur quidem, venam pertunderet, viamque ſalutis ſic ferro quaſi, aperiret.

Ille autem inſanientis ſuae ſapientiae, vt ita loquar, ſolum conſultus, Medico perito inconſulto, dextri pedis venas percutit, et emiſſa ali-

qua tantum Cruoris nigri quantitate, vulnus iterum obligat, de euentu ceterum ſecurus, et neſcio, quae magnifica, pro more, vane pollicitus. Tantum enim aberat, vt eo ipſo generoſo alias remedio, ſaeua Morbi vis frangeretur; vt potius eo acrius excandeſceret, et per ſingulas fere horas, vehementius inſurgeret: Vnde nox inter acerbiſſimos cruciatus, et continuum anxiae ſuffocationis metum, miſere conſumta, ne leuem quidem ſuauiſſimi ſomni guſtum indulſit afflictiſſimo aegroto.

D. 19. igitur ſummo mane, aduocatus ego, miſerandum ſane conſpicio ſpectaculum: Iacebat aeger moribundo iam ſimilis, in dorſo reſupinus, facie decolorata, lingua arida, ſcabra, albida, pulſu exili, tremulo, inaequali, ſterno tumido atque eleuato, et intercluſo adeo ſpiritu, vt prae acerbiſſimis quidem doloribus, nec animam libere reciprocare poſſet, multo minus tuſſire, aut ſputorum quid commode emoliri valeret.

Alteram ergo venam, ob nimiam iam virium iacturam, incidere non auſus, nec ſatis adhuc de ipſa morbi praeſentis indole inſtructus, mitiſſima potius atque tutiſſima remedia interna tentanda cenſui.

Praeſcripta ſic mox pro vſu interno, Mixtura noſtra antipleuritica, Ptiſana hordeacea, cum Oxymelite, aliaque pauca, in ipſo meo de pleuritide, Libello, aliquoties iam laudata. Pro externo vero vſu, oleum ſeminis Lini calidum Lateri dolenti frequentius affricare iuſſi: ſub noctem quoque Clyſma refrigeratorium ex mero hordei decocto, Melle, Oui Vitello, et Nitro, commode fuit iniectum.

Succeſſit enim nox aliquanto melior, nec omni ſomno orbata; licet rigidae thoracis diſtentiones parum adhuc laxatae eſſent, acreſque lateris dolores et puncturae per interualla, acerbe lancinantes nihil quidquam fere remiſiſſent; nec vllum conſuetae alias tuſſis et ſalutaris exſcreationis indicium hucuſque apparuiſſet, nec fauſtum denique ſignum vrinae valde rubrae, limpidae et crudae prorſus, prodidiſſent: quod rem omnem admodum ſuſpectam et periculoſae aleae plenam nobis omnino faciebat.

Nihilo tamen minus D. 20. integer fere dies ſine graui oppido querimonia, aegroto ducebatur, adeo, vt in ſpem laetiorem ingrederetur ipſe, maximum minacis morbi periculum iamiam feliciter eſſe ſuperatum:

tum: Inanem autem atque ſubdolam illam fuiſſe, ſubſequuta ſtatim nox triſti ſatis euentu affatim declarabat.

Tum enim omnia adeo in peius relapſa videbantur, vt nihil, niſi ſuprema, augurarentur adſtantium tantum non omnes vnamini certe conſenſu.

Recaluerant namque ſubito ardores febriles, laterisque affecti dextri dolores acerrimi adeo vſque increuerant, vt ſpiritus per coarctatos nimis meatus, haud ſolita laxitate diſcurrens, interceptus paene eſſet omnis, citamque omnino ſuffocationem minaretur.

Quibus malis accedebat adhuc tuſſicula intolerabilis, arida, inanis et aſpera, qua nihil fere, praeterquam parum ſpumoſi et ſanguine ſtriati ſputi, exſcreabatur, in augmentum potius dolorum, quam in eorundem leuamentum.

Nec hilum ſane proficiebant fomenta, vnctiones, frictiones, Ptiſana, iuſcula, decocta, clyſmata, aliaque id genus plura alias ſaeuis doloribus compeſcendis idonea ſatis et diuturno vſu comprobata remedia, magna cum cura et ſolertia, per ſpatioſas integrae noctis moras, aſt incaſſum, applicata.

D. 21. igitur, dubia adhuc luce, ſubido accitus ego, deprehendo aegrotum in ſummum vitae ambiguae diſcrimen adductum, facie tumida, et tetro rubore ſuffuſa, extantibus oculis, vſque ad horrorem formidinemque viſentium, ſpiritumque ingenti quidem, at inani plerumque niſu, cum ſtridore horrido, ducentem.

Omnia feruebant aeſtu flagrantiſſimo, venarumque ſalientium ictus frequentes, duri et praecipites inteſtinam ſanguinis accenſi luctam acerrimam ſatis manifeſto prodebant.

Nulla ergo interpoſita mora, ad vnicam illam ſacram pleuriticorum anchoram, ad Venae inquam Sectionem, confugiendum cenſeo, edoctus primum, vt fatear verum, his manifeſtioribus indiciis, hunc Morbum atrocem ipſam eſſe pleuritin, et quidem diriſſimam, peſſimam et curatu difficillimam, ſiccam nempe et ἀπεπτοτάτην, quam ipſe HIPPOCRATES, GALENVS, ALEXANDER TRALLIANVS, PAVLVS AEGINETA, et veterum omnes pro immedicabili vt plurimum, frequentiore triſti experientia admoniti iure ſummo, habuerunt.

Licet

Licet igitur et ipſe Aegrotus ex iterata ſanguinis miſſione plus ſibi metueret, quam ſperaret; licet ipſa vxor eius querula et anxia, aliique praeſentes me per omnia quaſi ſacra, efflictim rogarent, ne ſpiritum tenui adhuc filo pendentem intempeſtiua ſanguinis detractione, feſtinatis veluti fatis, miſello corpore exturbarem; durus tamen et inexorabilis quaſi, in ſuſcepto ſemel conſilio perſtabam, nullam aliam, oſtendens, facile nobis ſupereſſe ſalutis viam, niſi quae ſtricto ferro aperiretur, nec alio prorſus praeſidio mortem iam propinquam coërceri atque exarmari poſſe, niſi ſcalpello phlebotomo acuto, et manibus cruentis.

Quid multa? Vena mox ſecta in brachio dextro, ſanguinisque ſpiſſi, picei quaſi et combuſti, vigenti tamen impetu, horizontem verſus, ſeſe eiaculati, emiſſae ſunt vnciae praeter propter, duodecim, et paullo amplius; donec ex labantibus nonnihil venis, vultuſque pallore, leuem animi defectionem inſtare coniiceremus, et aeger ipſe de nimio languore conquereretur.

Sanguis autem ipſe ſimulac refrixit, largo quidem ſero ſubflauo, ſolidae et compactae maſſae ad inſtar, innatabat, nulla tamen cruſta albida alias conſueta intectus apparebat, licet in altum profiluiſſet, nec perpendiculari modo, lente et pedetentim emanaſſet, vt magnus quidem tradebat quondam SYDENHAMVS, *Cap. de pleuritide, pag.* 292. cuius tamen ſingularem hac de re opinionem modeſte et placide, vt decebat nempe, examinare conati ſumus, in ipſo noſtro, *de Pleuritide*, Libello, *Cap.* II. *pag.* 27. *ſqq.* add. ibidem *Cap.* V. *Hiſt.* VIII. *p.* 107.

Quaeret forſan nunc ſolicite curioſus, ni fallor, Lector, qualisnam nimirum effectus tum inſequutus ſit ambiguam hanc et periculoſam, vt primam quidem frontem videbatur, ſanguinis aliquanto largius educti miſſionem?

Dicam itaque ingenue neque mentiar turpiter, ita me Deus amet! Hora vix integra poſt iſtam Venae ſectionem, elapſa, aegrotus ipſe hilari vultu, laetoque omine, nobis ſtatim aperuit candide, dolorem iſtum acerrimum hactenus in dextro pectoris latere, pertinaciter fixum, nunc ſeſe quaſi ſenſim explicare et diffundere, verſusque tergum proſerpere, inprimis autem dextram ſcapulam adſcendendo, petere, ibique altius veluti impactum, immanes cruciatus et puncturas ſaeuiſſimas excitare:

Haec

Haec enim ipſiſſima eius erant verba, quibus nihil ego hic addidi, praeterquam, ſi dicere quidem fas ſit, cultum aliquem Romanum.

Quo laetiſſimo nuncio ex ipſo percepto, eum mox bono eſſe animo iuſſi, certamque fere ſalutem intrepide ipſi ſpopondi, toties namque iamiam fida experientia edoctus, nullum paene pleuriticorum dolentem ac moeſtum periiſſe, cui ſcilicet ſcapulae doluiſſent; de quo ſingulari plane ſigno ſalutari, in pleuritidis decurſu, ſemper quam diligentiſſime obſeruando, vberius ac diſtinctius a nobis quondam actum fuit, in ſaepius iam allegata *Commentatione, de pleuritide, Cap.* II. *pag.* 37. *ſqq.* atque praeſertim, *Cap.* V. paſſim, ac diuerſis locis aliis.

Ceterum hic ipſe dies per interualla, ſat placide et tranquille agebatur: Succedebat quoque reſpiratio multo expeditior, liberiorque facultas tuſſiendi, ſputaque egerendi humidiora quidem, florido tamen ſanguine adhuc multum tincta. Vrina, vt ante, itidem valde rubra, flammea, limpida, nubeculae tamen lente aſſurgentis quid in fundo, oſtendens. Propinata ſunt eadem remedia interna et externa, ſuperius iam aliquoties laudata, additis tantum pulueribus temperantibus et nitroſis, cum Sulphuris Floribus.

Deficiente iam die, Aluus enemate refrigeratorio blande ſollicitata, commodum his ſoluta eſt, exturbatis ſimul multis flatibus crepitantibus.

Nox ſat placida et quieta, nec ſomno omni carens; inquieta tamen circa aurorae exortum, ob vehementiores Capitis dolores interea obortos, qui aufugerunt tamen cum volitantibus Noctis vmbris.

D. 22. Orto iam die, largior et facilior exſcreatio; ſputa tamen adhuc ſpumoſa magis, quam cocta, et ſanguine plurimum colorata: Vrinae ipſae flammeae adhuc et liquidae; maiore tamen, ac hactenus, nubecula praeditae.

Inſurgebant quoque pungentes pectoris dorſique dolores, per interualla, acrius, maximo cum aegroti ipſius incommodo et ſenſu moleſtiſſimo.

Praeſcriptus tum commodum Linctus noſter pectoralis conſuetus, *Cap.* V. *Hiſt.* II. *pag.* 78. *Libelli noſtri de Pleuritide,* et alibi; commendatus: Nec Calda noſtra tum omiſſa fuit ex Herbis et Radicibus pecto-

N ralibus

ralibus parata, per interualla, cum melle puro, ſumenda,cuius deſcriptionem pariter in eodem *Tractatu*, tradidimus, *Cap.* III. *pag.* 46. *Cap.* IV. *pag.* 55. Tempus enim iam videbatur iuſtum, nimiam tuſſis rebellis pertinaciam tandem frangendi, ſputorumque tenacem lentitudinem expugnandi, quod et auſpicato ſucceſſit.

Nox, licet aluus clyſmate blando elota eſſet, inquieta tamen praeter ſpem et opinionem, atque inſomnis, ob acerrimos pectoris dorſique dolores: quibus tamen primo diluculo, ſeneſcentibus, aegrotus corporis laſſitudine iam fatigatus, marcentes oculos ita demiſit in ſoporem, vt toto veluti pectore, ſomnum proflaret.

D. 23. hinc laetior longe rerum facies, refectis nimirum per benigna ſomni munera, viribus: Exſcreatio tum liberior; ſputa multa ſine ſanguine, facile proiecta, cruda quamuis adhuc et ſpumoſa magis, quam cocta, aut flaua. Vrinae rubrae quidem, et vt hucuſque, liquidae; multo tamen pallidiores, ac ante, ſpiſſa inſuper nubecula inſignes. Venter quoque nihil admonitus, debito ſuo officio bis reſpondit. Totus hinc dies hic placidus et hilaris, ſine vlla querela.

Sed ipſo in noctem iam praecipiti, aeſtus febrilis magis recaluit cum intolerabili fere capitis dolore, ſoluto tamen paullo poſt larga ſudatione feliciter ſua ſponte ſuccedente; et iniecto commodum clyſmate refrigeratorio, ſimilique aridae frontis epithemate, ex acetis quibuſdam parato. Vnde per integram fere noctem, ſomnum vidit aegrotus placidum, licet a ſtimulante tuſſi nonnunquam interpellatum.

D. 24. Vrina ſummo mane reddita, rubella et clara; ſed multum pallidior, ac hactenus, cum extantiore nubecula.

Sputa quoque nunc primum cocta, flaua, pinguia et parciſſimo tantum ſanguine virgata, copioſe egerebantur.

Sicque cuncta euidenter in melius procedebant, redeunte inprimis hoc ipſo fauſto die, naturali ciborum appetentia, hactenus paene intermortua.

Horis tamen pomeridianis, recanduit febricula hucusque ſoporata, cum acerrimis Capitis doloribus et ſaeuiſſimis pectoris coarctati anxietatibus, ſputorumque ſuſpectis admodum ſuppreſſionibus; ita, vt

hinc

hinc merito timeremus; dies enim agebatur ſeptimus, inter ſpem metumque, a nobis expectatus.

Sed nos tandem circa ſolis obitum, omni metu, ſicuti ipſum aegrotum omni dolore ac periculo, liberabat largiſſima et ſaluberrima ſudatio critica, qua omne aegroti corpus vbique ita quaſi inundabatur, vt maderent et ſcaterent foeda illuuie omnia ſubiecta ſtragula, neceſſario hinc cum recentioribus et mundioribus, permutanda.

Succeſſit inde nox laeta et quieta, cum ingenti dulcis ſomni cupiditate, ſi eadem frui ſemper ex voto, licuiſſet, per importunas ſaepius tuſſis aſperioris interpellationes; qua tamen plurimum ſputorum coctorum, pinguium et flauorum, inſigni cum leuamine, fuit reiectum.

D. 25. Vrina mane emiſſa, nunc primum lateritia, et ſedimento copioſo, craſſo, et ex rufo, albicante, grauida, perſpicue ſatis oſtendebat nobis laetantibus, plenam et perfectam criſin iamiam eſſe abſolutam, morbique atrocis crudelem ſaeuitiam a natura victrice feliciter nunc expugnatam atque obtritam.

Fidem autem plenae victoriae magis adhuc faciebant ſputa hac die, incruenta plane, cocta, flaua, et ingenti copia, ſine omni fere incommodo, aut pectoris dolore, extuſſita.

Nec non auida cibi hactenus faſtiditi, cupiditas, et ſudor praeſertim criticus per vniuerſum corpus aequaliter diffuſus, in ſingulare aegroti ſolatium et alleuamentum.

Hinc nullum amplius circa meridiem, ſubdolae febris veſtigium; hinc omnes illi acerbi capitis dolores ſemel ſimulque extincti, alias fere ſub ſolis occaſum, increbeſcere ſoliti.

Nox quoque ſucceſſit placida et ſuauiſſimo ſomno laeta et amoena, tranquillior tamen omnino futura, ſi per tuſſim quaſi oblatratricem, ſemper licuiſſet; quae tamen modica potius emolita eſt cocta et matura; quam quidem multa.

D. 26. Vrinae mane vaſe exceptae, nunc primum flauae, citrinae, pellucidae et ſanis ſimillimae, vna cum conſueta nubecula in fundo, comparuerunt; ſecuro omnino liquidoque indicio, ſuperato feliciter morbo, expectatam hactenus ſanitatem iam demum ex voto rediiſſe.

Hinc et aeger hucufque nofter hoc die, laute pranfus et deinde placide meridiatus, adeo fefe viribus refectum perfenfit, vt nunc primum lecto laetus exfurgere aliquotque lentos gradus in cubiculo, perficere commode valeret.

Aluus quoque fua fponte foluta, noxque fequuta nullis plane vigiliis, aut doloribus, inquietata.

D. 27. denique, (hic enim finire placet,) fputa multa cocta, matura, pinguia atque flaua tuffi mane reiecta, nullo cum negotio: Aluus per fe fui officii probe memor, fine monitore: Vrinae citrinae, pellucidae, fanis prorfus fimiles: verbo, vires adeo reparatae, vt per aliquot horas, extra lectum, in fella erectus confidere poffet aegrotus: vnde breui, praeter omnem paene fpem atque expectationem, ad priftinam integram fanitatem feliciter remigrauit.

Haec igitur illa eft hiftoria prorfus fingularis Pleuritidis aeftiuae, et quidem atrociffimae, ficcae nimirum, ἀπεπτοτάτης καὶ ἀπτύστου, (Latine enim fcite id exprimere, vetat fermonis egeftas, de re ipfa autem vid. magni GEORG. HIERONYM. WELSCHII *Curat. et Confil. medicor.* X. *Decad.* V. *pag.* 276.) Hiftoria, inquam, ifta, nec facile alibi, hunc nempe in modum, obuia, nec enarrata faepius, maximo, fi dicere quidem liceat, ftudio, nec minore profecto candore, a me hic fufius defcripta. In qua fequentia inprimis, probe notari, et memori femper mente reponi merentur:

I.) Quarto adhuc die, venam incifam fuiffe, cum maximo aegroti ipfius commodo, et certiffima falute: Huic enim foli oportunae fanguinis miffioni fecunda morbi difficillimi fanatio tribuenda vnice videtur.

II.) Emiffum venis fanguinem confueta illa pleuriticorum crufta fevofa intectum haud fuiffe; et tamen feruatum effe aegrotum ipfum. Quod contra maximos cetera viros, LANCISIVM, BAGLIVVM, aliosque, fumma tamen cum modeftia et reuerentia, notandum. Qua de re videantur, fi quidem lubet, quae diximus quondam, in *Libello* noftro *de Pleuritide*, faepius iam ex neceffitate potius, quam vano inanis laudis ftudio, allegato, *Cap.* II. *pag.* 23. *fqq.* et *Cap.* V. *Hiftor.* IX. *pag.* 113.

III.) Licet

III.) Licet omnia ambigua, dubia atque turbata viderentur; Septimo tamen die, plenam atque perfectam crisin affulsisse, qua aeger a proximo mortis limine, in desuetam iam fere vitam reuocaretur.

IV.) Simplicissima, facile parabilia, domestica et inemta ferme Remedia huic atrocissimo morbo debellando, vti alias plane suffecisse, nempe Aquam, Hordeum, Acetum, Mel, Oleum et Nitrum, cum herbis et radicibus quibusdam, etiam plurimam partem domesticis et ante pedes natis, de quibus rursus, si placet, vid. *Cap.* II. *Lib. de Pleuritide, pag.* 16. et praesertim, *Cap.* IV. *pag.* 50. *sqq.*

Igitur ex his nunc, o Boni! discite, (vt cum grandisono LVCANO, *Lib.* IV. *Pharsal.* finire mihi hic liceat,)

Quam paruo liceat producere Vitam,
Et quantum Natura petat: Non erigit aegros
Nobilis, ignoto diffusus Consule, Bacchus;
Non auro, murrhaque bibunt; sed munere vili
Vita redit.

RESOLVTIO
HVIVS SINGVLARIS CASVS
CVM
QVADAM EPICRISI.

§. I.

Sic igitur ex hac rarissima pleuritidis aestiuae Historia vberius hactenus fusiusque enarrata, abunde, opinor, liquet, vel in ipsis mediis torridae Aestatis ardoribus, nonnunquam tamen oriri posse ipsam saeuam pleuritidem, rigido licet penetrabilique frigori alias funestos suos natales debentem, vt supra iam monitum fuit; id vero tunc vel maxime, vbi Hiems modo praecesserit aliquanto asperior, pertinacior, iustoque diuturnior, qualem illam praesertim fuisse, supra commemorauimus, qua non solum annus CIↃIↃCCXXXIX. vltra iustum modum consuetumque tempus, riguit, sed et ipsum adeo nouum sequentis Anni Ver, vna cum meliore adultae iam aestatis parte, quod sane tanto magis mirandum, adhuc foedius tristiusque torpuit.

§. II. Inde ergo nunc eo minus dubitare, credo, licebit, quin in iis praesertim horridioribus Mundi habitabilis plagis, quae gelida sub Acto sitae sunt, et illis generatim regionibus, quae aquiloniis flatibus rigidioribus obiectae iacent, ventoque aspero et pruina frequentius tunduntur, atque hinc vel in ipsis aestiuis temporibus remissiore longe ac temperatiore aestu intepescunt potius, quam incalescunt, quoniam nempe frigidioribus auris magis perflabiles sunt, quin, inquam, vel in ipsa media aestate, Sirioque ardente, acrius saepe insurgere saeuiusque dominari possint illae ipsae dirae pleuritides.

§. III. Hinc nuper admodum, quum haec ipsa nostra Dissertatio typis describenda esset, e Polonia, ad me ipsum, sequentem in modum, scripsit Nobilissimus Experientissimusque Archiater, D. CAROLVS PHILIPPVS GESNERVS, celeberrimo per orbem, Patre suo dignissimus Filius, cuius ipsa verba, quoniam hoc nostrum, quod iam sub manu est, argumentum egregie plane illustrant, et validissime confirmant, pace quidem Lectorum, vt spes est, hic infra referre mihi, quaeso, liceat:

Aurei Libelli Tui de Pleuritide, veritatem toties sum expertus, quoties pleuritides curandae obtigerunt. Epidemice grassatus est hic Morbus, in his oris, primo Vere Anni proxime elapsi, vsque ad satis adultam Aestatem. *Inprimis, quod attinet Venae sectionem in Latere affecto instituendam; ita Naturae conueniunt, quae tradis, vt vnica saepe morbum iugulet: Cum, contra Tua praecepta, si administretur, tribus, quin quatuor, opus fuerit, quod multis Experimentis probatum habeo.*

Hactenus quidem praestantissimus et ornatissimus GESNERVS.

§. IV. Ex his itaque ipsa ratio, vt equidem arbitror, iam affatim patet, cur in eiusmodi regionibus gelu et perpetuo paene rigore horrentibus, ex Caeli potissimum algentis ac nocentis intemperie, sicque ineuitabili fere necessitate, et aliena culpa, vel in ipsa languida praesertim tepidaque aestate, in acutum istum morbum lateralem subito iniici possint miseri suo fato, mortales.

§. V. Sed et alia insuper aestiua quaedam pleuritis interdum occurrit, quam sua praesertim culpa, ex effrena scilicet intemperantia caecaque inconsiderantia, confestim sibimetipsis contrahunt incauti et vitae

suae

ſuae nimium quaſi prodigi homines, quando nimirum vel pernicioſiore curſu, vel frequentiore et acriore corporis exercitio, vehementius agitati fatigatique, ex imis pulmonibus anhelantes, pulvereque ac ſudore ſimul perfuſi, vel calidum adhuc corpus in frigidas vndas ſubito demittunt, vel praegelidos, aut ex iniecta niue diluta, magis refrigeratos ſpumantesque potus arentibus ſiti faucibus, iuncto continuoque hauſtu, rapide ingerunt, feruentibusque intus viſceribus vno impetu, ingenti copia, furioſe infundunt: Quo facto, non ſubitas ſolum pleuritides, vt ſexcentos alios ſuueſtos morbos iam taceam, exortas ſaepius eſſe; ſed et ſubitas adeo mortes irruiſſe, ex innumeris fere exemplis, in ſolertiorum Medicorum Libris et Obſeruationibus, paſſim hinc inde obuiis, luculentiſſime patet. Veriſſimum enim ſane illud eſt CORNELII CELSI effatum, *Lib.* I. *cap.* 3. *Illud quoque noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigidae potio pernicioſiſſima eſt: atque etiam, cum ſudor remiſit, itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Aſclepiades inutilem eam iudicavit. etc.* Vbi vid. plura in ſequentibus: quale quid etiam legitur, apud PLINIVM, *Lib.* XXXI. *cap.* 6. QVINTILIANVM, *Declamat.* CCCL. *pag.* 701. aliosque plures; inprimis autem apud ipſum HIPPOCRATEM, *Lib. de Humidorum Vſu, pag.* 602. et *Aph.* 24. *Sect.* V. locisque aliis: Qua de re plenius diſertiusque tractauimus, in *Diſſertat. de Fame letali ex calloſa Oris Ventriculi anguſtia, p.* 37. *ſqq.* ante biennium hic publice habita; vbi et data commoda occaſione, plures in iſtam rem Auctores laudantur.

§. VI. Aeſtiuae igitur eiusmodi pleuritidis ex intempeſtiuo Balnei praegelidi vſu, ſiue rectius abuſu, ſubito obortae, bina ſingularia prorſus et notatu perquam digna Exempla, ſolita fide et integritate, retulit quondam Chirurgorum ſui aeui praeſtantiſſimus, GVILIELMVS FABRICIVS HILDANVS, *Obſeruat. et Curat. Chirurg.* XCV. *Centur.* I. *p.* 286. quae ipſa, quoniam breuia, neque praeterea iſte Liber vtiliſſimus omnium manibus teritur, Lectorum quidem, vt ſpes eſt, pace, hic integra adſcripturus ſum.

§. VII. Sic itaque ille: *Anno* 1597. *ineunte Iunio, Nobilis quidam in Rol, ad lacum* LEMANNVM, SAMVEL ARPEAV *nomine, quum vehementer incaluiſſet, et in lacum ſeſe, refrigerandi gratia, immiſiſſet, mox febre continua*

tinua et pleurisi periculosissima correptus est. Quem accersitus, diuino fauore, restitui. Sequitur ibidem, mox altera Historia, priore adhuc notabilior: *Miserabile etiam spectaculum, Anno* 1601. *Studiosi aliquot Lausannae, praebuerunt: qui, dum in diebus canicularibus, calefacto corpore, in frigidam aquam insilirent, post lotionem, in pleurisin letalem inciderunt.* Hactenus quidem HILDANVS: Conf. si placet, B. RIVINI, Medici vel post funera, adhuc immortalis, Dissertatio doctissima, *de Frigoris damno*, quae est XLVIII. *Sylloges ipsius Dissertationum Medicarum, pag.* 911. item WEDELII *Exercitat Med. philolog.* 9. *Decad.* IX. *pag.* 66. *sqq. de Frigore morbifico.*

§. VIII. Alteram denique pleuritidis aestiuae speciem, quam sibi saepe ex improuiso, consciscunt isti intemperantes potores, qui toto corpore exaestuantes adhuc et anhelantes, vel gelidissimas natura sua, potiones cupido nimis haustu, trahunt, vel ex perniciabili illo more consueto, *non sorbere solum niuem, sed etiam esse, et frusta eius in scyphos deiicere solent*, vt acute ait SENECA, *Lib.* IV. *Quaest. Nat. cap.* 13. item *Epist.* LXXVIII. vnde et ipse CAEL. AVRELIANVS dirum hunc morbum lateralem, inter alia *ex plurimo quoque Niuis potu* oriri, rectissime monuit, *Lib.* II. *de Morbis acut. cap.* 13. *pag.* 110. ita enim ibi rectius legendum esse, pro vulgatis: *plurimo nimis potu*, alibi ac curatius docuimus, istam, inquam, pleuritidem propria potius, quam aliena culpa, contractam, ita ex laudabili sua consuetudine, accuratissime descripsit, seu viuis verius, coloribus, quasi depinxit Vir omni laude longe superior, HERMANNVS BOERHAAVE, *Part.* IV. *Praxeos Med. p.* 172. *sqq.* cuius ipsa pariter verba notatu certe dignissima, hic repetere haud pigrabor.

§. IX. En igitur ista: *Est et frequentissima huius Morbi pleuritici caussa, si quis maxime aestuans a labore, itinere, exercitiis, etc. ita, vt toto corpore fere diffluat sudore, subito, magna in copia, ingerat potum frigidum; tunc enim vasa intercostalia, (quae ad Oesophagum directe sita sunt,) sese statim constringunt, et humores coagulantur: Vidi optimos Equos intra vnam horam, periisse, et nobilem iuuenem, intra duas horas, potatis gelidis: Hoc norunt illi, qui equos alunt, quando haec animalia incaluerunt, tegunt stragulis, donec sensim frigescant, dant potandum; sed aquam calidam: Verum, quando frigori exponuntur, paullo post pleuritici fiunt, etc.* Mox ibidem, paucis interiectis:

teriectis: *Haec reuera est huius Morbi pleuritici frequentissima caussa in iis, qui se multum exercent, aut iis, qui Aestate, aestuante Caelo, longa itinera pedibus absoluunt: sed omnium maxime, in operariis, baiulis, rusticis, et in omnibus illis hominibus, qui graui et duro labore, victum sibi quaerunt: Hinc, si aestuante corpore, pro refrigerio et leuamine sitis, frigidum potum ingerunt, (quo fere nihil peius corpori humano accidere potest,) tunc statim ab assumto tali potu, maxime horrescunt, et diro hoc Morbo corripiuntur, etc. etc.* Hactenus quidem ille. Aliquot autem exempla eiusmodi aestiuae pleuritidis, post nimiam corporis exercitationem et exaestuationem, a gelido praesertim potu, ingenti copia, repente ingesto, obortae, relata leguntur apud PETRVM FORESTVM, *Lib.* XVI. *Obseruat. Medicinal.* 28. *p.* 155. GREGOR. HORSTIVM, *Lib.* III. *Obseruat.* 10. et FRANCISC. IOELEM, *Lib.* III. *Opp. med. sect.* I. *pag.* 274. et inprimis NICOL. MASINVM, *Lib. de gelidi potus abusu*, de quo vid. ERYTHRAEI *pinacothec. part.* I. *pag.* 275. add. ORTLOBII *Dissertat. de Pleuritide*, §. XIII. vt alios iam taceam. conf. et THOM. BARTHOLINI, *Obss. de vsu Niuis medico, capp.* 35. 36. *et* 37. *pag.* 199. *sqq.* et tamen, quod mirum, *cap.* 26. *pag.* 150. probare cum nonnullis videtur, glaciem atque niuem non nocere in pleuritide et peripneumonia, quin potius non nunquam iuuare. Quod quidem aliis diiudicandum relinquo. Mihi certe anceps, desperatum et praeceps videtur horum acutorum morborum remedium, in nostris certe frigidioribus regionibus, a nemine prudentiorum Medicorum impune tentandum. Nec ipse illud sine cautione admittit BARTHOLINVS. Sed vid. plura in *Lib. nostro de pleuritide*, saepius iam citato.

§. X. Praesertim vero vel maxime notari, aureisque, et quidem maiusculis, Literis, omnibus beatiorum Principum Magnatumque lautis coenaculis splendidisque ministeriis inscribi ista quidem merentur verba, quae ibidem, p. 174. sequentem in modum, grauissime pronunciat idem et aetate, et arte, et facundia venerabilis senex, et HIPPOCRATES Batauorum rediuiuus: *Inter caussas pleuritidis remotas*, (immo proximas,) *referri quoque potest damnabilis ille mos Magnatum et laute viuentium, qui, vt luxui et voluptatibus suis magis indulgeant, aquam prius coquere iubent, vt postea infusa glacie, vel Nitro, magis frigescat: tum potum Lagenis inclusum*

huic aquae immittunt, quam, postquam frigidus et fere glacialis est redditus, aestiuo tempore, aestuante Caelo, auidissime ingurgitant. Quae pessima consuetudo in caussa est, vt tot homines, quibus nimia vitae luxuries abundat, in flore et vigorae vitae periclitentur, aut derepente extinguantur: Vel si adhuc euadant, postea miserrimam vitam trahant: Hinc potum frigidum corpore calido, assumere, absolute damnandum, praesertim, si copiosis spiritibus non abundet. Haec ille Vir maximus, verissime per Deum! et sapientissime.

§. XI. Haec vero cuncta eum potissimum in finem, in medium hactenus allata a nobis sunt, vt exinde scilicet liquidius pateat, quid Medico solerti et prudenti praesertim agendum sit, vbi forsan eiusmodi Aegros aestiua quidem pleuritide subito correptos, curandos susceperit. Ne scilicet vulgari illa opinione temere inductus, aut nunquam, aut certe rarissime, in mediis aestatis caloribus solisque candentis vaporibus, occurrere saeuam pleuritidem, vel negligentia peccet nimia, vel nimia securitate, ipsumque illum morbum pleuriticum, ex isto fallaci admodum praeiudicio, pro alio plane habeat morbo, ac tum ipsam suam curationem, praepostero et nocituro consilio, aliorsum dirigat, sicque sibimet ipsi ignominiam creet, Aegroto vero suo aut summum vitae discrimen, aut ipsam denique funestam mortem inducat.

§. XII. Vbicunque enim consueta alias et manifesta verae pleuritidis signa adfuerint, Febris nempe peracuta, fixus lancinansque lateris dolor, respiratio fracta, anxia, suspiriosa arduaque, pulsus durus, frequens, serratus, inaequalis et fluctuans, sputum vel cruentum totum, vel striis tantum virgisque sanguineis quasi distinctum, aliaque eiusmodi atrocia et suspecta symptomata: tunc nulla plane vel feruidissimae quidem Aestatis ratione habita, certissime tamen exinde concludat, re ipsa diram pleuritin adesse, atque celerrima sibi exposcere remedia et Artis salutaris praesidia, a praestantissimis Medicis, et me quoque ipso, si id quidem hic adiicere liceat, satis accurate descripta.

§. XIII. Perniciissimae enim in hoc praecipue Morbo acutissimo, sunt occasiones, quae, nisi raptim et tempestiue praesenti ingentique animo, captentur, tum certe plerumque euadunt perniciosissimae: Momentis namque, momentis, inquam, valetudo et salus Pleuriticorum constat,

conſtat; igitur gnauiter potius hic eſt laborandum, quam ignauiter diu deliberandum. Quare hic vel maxime locum habet ſuum iſtud SENECAE veriſſimum et prudentiſſimum effatum, *Epiſt.* LXXVIII. *Breuis Morbus ac praeceps alterutrum faciet: aut extinguetur, aut extinguet:* quod ipſum dudum ante, ita ſcite expreſſerat CORNELIVS noſter CELSVS, *Lib.* III. *Cap.* I. *Breues acutique Morbi vel cito tollunt hominem; vel ipſi cito finiuntur.*

TANTVM.

DISSERTATIO MEDICA QVARTA. DE HIPPOCRATIS STVDIO ANATOMICO SINGVLARI.

I.

Tantum multi tribuunt aetati noſtrae, vt ea vnice delectati, contemnant veteres, quos imperitos putant multarum rerum, ab noſtris hominibus felicius excultarum. Hi ſi veteres accuratius noſſent, eorumque monimenta verſarent diligentius, antiquos facile magiſtros omnis doctrinae a contemptione temeraria vindicarent. Quamuis enim inuentis addere procliue ſit, quod dies diem docet, priſcos tamen homines, qui fundamenta artium iecerunt, quis ideo ſpernet? Nec vero me poenitet huius eſſe ſententiae, quae ſui habet modum, ſuum cuique pretium adiudicat. Iam relictis diſciplinis aliis, in arte mea, quam vſque ad hoc tempus, colui, immorabor, eiusque ſingulari ſpecimine demonſtrabo, quantum iniuriae priſcis inferatur interdum, vbi noſtrae memoriae merita de re publica literata nimiis cumulantur laudibus. Quid Anatomia praeclarius? quid magis neceſſarium medico, ad artis ſuae decus tuendum, propterea quod nemo, ſine accurata machinae corporis humani artificioſiſſimae cognitione, eius incolumitatem, conſeruare poteſt, aut reſtituere? Fieri profecto non poteſt, vt aedes vetuſtate collapſae, aut vitio alio collabefactae, firmentur, ac reficiantur, niſi ab architecto in hac arte verſato. Pari modo, corporis humani partes tot caſibus expoſitae, morbisque, partim occultis, partim manifeſtis, corru-

ptae, ab illo demum poſſunt emendari, atque in integrum reſtitui, qui ſtatum naturalem fabricae corporis longo vſu compertum habuerit atque exploratum. Quid multa? GALENVS enim, et rationis praeceptis, et vſu rerum longo, edoctus, hunc locum tam perſequitur excellenter, vt nihil poſſit addi. Quo conſilio, librum maxime tertium de anatomicis adminiſtrationibus, compoſuit, ſtatim ab initio demonſtrans, quantum valeat corporis ſecandi prudentia, tam in minoribus, quam in maximis artis ſalutaris partibus. Haec qui cogitat ſecum, vix exigui nominis medico tantam tribuet imprudentiam, vt aliqua in arte ſua ſpatia ſe facturum credat, expers artis anatomicae. Tantum abeſt, vt HIPPOCRATEM, qui cunctis ſuffragiis, Medicorum tenet et Chirurgorum principatum, in huius ſcientiae ignoratione verſatum, vel ſomniando, putet.

II. QVAE tam etſi in promptu ſunt, vt vix cuiusquam dubitatio poſſit ea conuellere, tamen multi ſunt inuenti, artis ſalutaris gloria longe lateque celebrati, qui HIPPOCRATIS ſcientiam minuerent, corporum diſſectorum vſu confirmatam. Nec vero tam iniqui ſunt, in HIPPOCRATIS manes, vt reliquas eius laudes velint in dubium reuocare, quas cunctis ſuffragiis comprobant, et comprobatas extollunt. Dant enim ipſi principatum Medicorum, eosque amplos et claros in arte ſua tum demum fore iudicant, ſi propius ab HIPPOCRATIS et cognitione abſint, et gloria. Hi tamen iidem temperare ſibi non poſſunt, quin COVM dicant omnis anatomiae expertem, quam noſtrae aetatis hominibus ſponte largiuntur. Quae quidem ſententia ſecum pugnat ipſa, lectoremque trahit in ancipitem curam cogitandi. Nam quod HIPPOCRATI decoris adiudicat, ſtatim rurſus demit, ac dum laudare videtur, reprehendit grauiſſime. Neque eo ſecius viri praeſtantiſſimi in eam ſunt ingreſſi ſententiam, ac ſi HIPPOCRATIS anatomia conceptam de ſe expectationem parem ſuſtineat. Horum in numero CLERICVS eſt, in bonae frugis hiſtoria Medicinae, ex inſtituto perſequens HIPPOCRATIS Anatomiam. [a]) Hic etſi magno ſtudio colligit varia ſpecimina, praeſertim ex egregio plane Libello *de Corde*, quem ob ſummam ſuam praeſtantiam, totum gallice vertit et Notis doctiſſime paſſim

a) *Part.* I. *Lib.* III. *Cap.* III.

paſſim illuſtrauit, ex quibus appareat, quid in Anatomia HIPPOCRATIS effecerit induſtria, et magnopere queritur, opus GALENI de Anatomia HIPPOCRATIS, temporis iniuria, periiſſe, poſtea tamen pleraque iudicat obſcuriora, eorumque diligentiam, qui noſtrae aetatis inuenta quaerant in HIPPOCRATE, confert cum conſilio eorum, qui omnis ſapientiae fontes ex HOMERO deriuent, ac Philoſophorum lapidem in omnibus veterum monimentis ſibi reperiſſe videantur. Clarius ſuam de HIPPOCRATE ſententiam ſignificat Illuſtris de HEVCHER, b) a quo parum in rebus Anatomicis, ſolatii expectat, quod eius anatomica admodum rudia, cruda, et fere tanto viro ſint indigna. Quo fit, vt IOANNIS HERMANNI partibus faueat, qui, quicquid anatomici operis HIPPOCRATI tribuitur, commentitium putat, ac ſuppoſitum. Quod generatim dicitur hic, ad circuitum ſanguinis inprimis transfert PITCARNIVS, doctiſſimus Scotus. c) Eum vt probet, HIPPOCRATI perſpectum non fuiſſe, multa affert HIPPOCRATIS anatomicae peritiae non ſatis honorifica. Neque mitius ſentit de HIPPOCRATE, FALLOPPIVS, nominatus ab LINDENIO, d) qui HIPPOCRATEM negat valde in hominum anatome exercitatum. Quid de BARCHVSENIO dicam? cuius diſſertationes de medicinae origine et progreſſu, varietate doctrinae, lectores alliciunt, allectisque magnopere placent. Qui cum de HIPPOCRATE verba facit, eius Anatomiam primum controuerſam iudicat, quod alii, eam tribuant HIPPOCRATI, negent alii. Deinde ſcriptis HIPPOCRATIS ſtudioſe peruestigatis, in quibus multa repugnent corporis humani coagmentationi, vehementer dubitat, num vnquam cadauer humanum diſſecuerit; ſin fecerit, COVM negligentiae accuſat e). Aliquanto meliorem laudem HIPPOCRATI tribuere videtur CONRINGIVS, ſubminiſtrans introductionem in vniuerſam artem medicam f). Hic ipſe tamen vir ſummus non ſatis ſibi conſtat. Nam antiquis Philoſophis et Medicis humani corporis ſectionem in vſu plane fuiſſe negat. Ad quod probandum, prouocat ad HIPPOCRATIS ſcripta atque ARISTOTELIS. Statim

b) *In Operibus pag. 637. ſeqq.*
c) *In Opuſculis Med. pag. 91. ſqq.*
d) *In Med. Phyſiolog. pag. 306.*
e) *Diſſert. Med.* IX. §. III. *pag.* 126.
f) *Pag.* 147. *Cap.* IV. §. IX.

vero excipit libros de fracturis, articulis, vulneribusque capitis, in quibus legantur peregregia. Adeo manifesta est HIPPOCRATIS in hoc studio, diligentia, vt, eam si velis infitiari, vel inuitus confiteri debeas. Tot ambagibus SCHVLTZIVS non vtitur in historia medicinae g). Indicat enim nobis animi sui recessus, qui nondum sit persuasus, HIPPOCRATEM homines dissecuisse. Cuius dubitationis duas affert caussas, quae sat graues ipsi videntur, ad HIPPOCRATEM Anatomiae laude priuandum. Vna sumitur e scriptis HIPPOCRATIS, quae vestigiis indubitatis huius prudentiae vacent. Altera impedimenta, Graecis omnibus obiecta, repetit, quibus ab hoc studio fuerint retracti ac deterriti. Addam triumuiros, cum iis, quos enumerani, neque iudicio, neque doctrina, comparandos. Primus est GOELICKIVS, cuius industria in historia Anatomiae noua atque antiqua, versatur. HIPPOCRATEM quidem primum libros quosdam anatomicos composuisse, largitur: Sed in iis tamen reperit nihil, quod primae fronti conueniat, quod anatomica HIPPOCRATIS partim cruda sint ac rudia, partim falsa, aliena et confusa. Itaque eos omnes parasitorum atque adulatorum numero habet, qui ab HIPPOCRATE, cum ALMELOVEENIO, proficere velint h). A quibus vt discedat, pauca anatomiae HIPPOCRATIS specimina profert, satis ieiuna, ex quibus elucet quidem, HIPPOCRATEM dormitasse interdum; temere vero ei omnem anatomiae scientiam denegari, nisi nostra quoque tempora penitus repudiari velis. Quo fit, vt ipse GOELICKIVS inter multas HIPPOCRATIS falsas doctrinas, hinc inde, micam quasi veritatis inueniat, inuenturus plures, si animum voluisset aduertere. STOLLIVS certe manifesto documento, GOELICKIVM nimis acerbe tractasse HIPPOCRATEM, confirmat, quod ipsum plane situm hepatis scribat ignorasse, falsa thoracis interpretatione, deceptus i). Tanto magis STOLLIO cauendum fuisset, ne in idem crimen incideret, SCHVLTZII auctoritate permotus. Hoc enim duce, HIPPOCRATEM negat in hominum sectione versatum, ob eamque rem pauca afferre ad huius disciplinae spatia extendenda. Agmen claudat PASCHIVS, de nouis inuentis k), cui etiam non satisfacit HIPPO-

CRATIS

g) *Pag.* 225.

h) *In Historia Anatomiae pag.* 11. *et Hist. Med. pag.* 525. *sqq.*

i) *In Historia Med. pag.* 392.

k) *Pag.* 348. Conf. BARTHOLIN. *Anat. Lib.* II. *pag.* 323. DACERII *Not. ad*

CRATIS anatomia. Quam vt crudam fuiſſe demonſtret, librum eius de oſſibus, vel, ſolum exempli cauſa, commemorat, ſatis infeliciter, vt poſtea docebimus. Abſit denique, vt nonnullos hic moremur moroſos et inficetos cenſores, qui CICERONEM in peritia anatomica, vel HIPPOCRATI ipſi praeferunt, vel illi tamen parem fuiſſe, temere pronunciant. Si quis enim ipſius CICERONIS *Lib.* II. *de Nat. Deorum*, vel obiter euoluat; protinus ſane intelliget, eum nil, niſi generalia quaedam et ſaepius quoque admodum manca et imperfecta, de ipſis corporum animalium partibus internis, tradidiſſe, quae PLATO, ARISTOTELES, et alii nonnulli veterum philoſophorum, eodem paene modo, antea, de iiſdem commemorauerant. Vnde liquido ſatis, opinor, nunc apparebit, infelices iſtos cenſores, bonum CICERONEM obiter tantum olim legiſſe; HIPPOCRATEM vero ipſum aut rarius, aut forte nunquam. Sed ſatis.

III. In aliam certe ſententiam vt pedibus irem, viri omnis aetatis praeſtantiſſimi me commouerunt, et, ſcriptis HIPPOCRATIS cum cura perlectis, docuerunt ſatis clare, pro ratione et indole illius, quo vixit, ſaeculi aliquanto remotioris, anatomiam ab eo neglectam non fuiſſe. Ordiar a GALENO, qui HIPPOCRATIS et PLATONIS decreta comparans inter ſe, HIPPOCRATEM illis adiungit, qui corporum reſectorum contemplationem, quae priorum ſaeculorum incurioſorum vitio, neglecta iacuerit, reſtituiſſe in integrum videantur [1]). Facit cum GALENO, ANDREAS LAVRENTIVS, in hiſtoria anatomica. Is HIPPOCRATEM primum, quaſi diuino afflatum numine, et ſua fretum magnitudine ingenii, multa, tradit, artis anatomicae ſpecimina memoriae mandaſſe. Nihil curat aliorum, qui forte hic fremant, iudicia, negat potius ingenue, quicquam vere eorum, quae ad artis vſum ſpectare videantur, eum ignoraſſe. Facit enim diſcrimen, cum GALENO, inter anatomen, vtilem medico, et fructuoſam, eamque ſeparat ab illa, quae plus ornamenti, quam frugis, habeat; et poſtea demonſtrat, de priori accurate eleganterque HIPPOCRATEM

ſcripſſe

ad HIPPOCR. *pag.* 450. *Tom.* I. *et in* *praefat.* item DN. PRAESIDIS mei *Epiſt.* II. *de Anthracibus et Variolis veterum*; *pag.* 16. *ſqq.* et denique ALMELOVENII *Noua Antiqua Inuenta*, *pag.* 81.

1) *Lib.* VIII. *Cap.* I. *pag.* 96.

ſcripſiſſe m). Inde perquam egregie et iuſte hunc in ſenſum, ANTONIVS PONCIVS SANTA-CRVZ, in *Comment. in Hippocr. Lib. de Morbo Sacro*, Text. XXXIII. *Anatomes peritia, (vt aliae Artis partes,) ab* HIPPOCRATE *incepit. Quae incipiunt, non valent ſtatim vltimam obtinere perfectionem, ita contingit, vt poſteritas multa adiiciat.* Conf. LINDANI *Phyſiol. Med. Lib.* I. *Cap.* V. *pag.* 96. et ill. HEISTERI *Diſſ. de Anatomes maiori neceſſitate, in Chirurgia, quam Medicina,* item *de Subtilitatibus anatomicis:* add. KESTNERI *Lexicon Med. pag.* 404. ſub HIPPOCRATE. Haec igitur ſapienter monita diligenter, ſuadeo, expendat, et erubeſcat inde, ſi poſſit, arrogans quidam in vicinia, doctor, qui in praelectionibus ſuis, ingloria opera, et infelici temporis iactura, nihil fere aliud agit, niſi vt ipſius HIPPOCRATIS auctoritatem proterue deprimat, cum nec in anatome inprimis, nec in ceteris Medicinae partibus, quidquam laude dignum ſoluiſſe, oſtendere allaboret; ſed fruſtra omnino, inepte ac ridicule. Ille enim aeternae famae Hippocraticae impudentiſſimus obtrectator, ipſum HIPPOCRATEM ſua lingua loquentem, vt credere par eſt, forſan nunquam legit; multo vero minus intellexit. Quid ergo ſcarabaeus contra aquilam, pygmaeus aduerſus gigantem, aut denique mus, aut lepus contra leonem? Miſeret me profecto, miſeret tam frigidi et inepti declamatoris, qui vituperare audet HIPPOCRATEM, quem omnia ſaecula praeterita laudarunt, et futura laudabunt. Sed haec obiter. Neque aliter ſentit IOANNES RIOLANVS, in Enchiridio Anatomico n). Incepturus enim ab oſteologia, quod oſſa fundamenta ſint omnium partium corporis, neminem habet, quem praeſtantiorem ſequatur ducem, HIPPOCRATE. Hunc enim anatomen hominum negligentia obſoletam, reſtituiſſe, in anatome ſcribit o). Quo conſilio GALENVM citat teſtem, operam HIPPOCRATIS corpora incidendi laudantem. Neque minus DEMOCRITVM, HIPPOCRATIS aequalem, commemorat, qui ſic animalium diſſectionibus ſtuduerit, vt Chameleontem in ſingula membra diuiſum, libro ſingulari deſcriberet, autore PLINIO p). Inde colligit, anatomen cum medicina ortam

m) *Pag.* 28. n) *Pag.* 6.
o) *Pag.* 445.
p) *Lib.* XXVIII. *Hiſt. Nat. Cap.* VIII. Add. ipſius HIPPOCRATIS *Epiſt. ad Damaget. pag.* 914. *et p.* 917. *Tom.* II. *Opp.* vbi plura, de Zootomia DEMOCRITI leguntur.

ortam reliquas medicinae partes antecessisse, vel ipso HIPPOCRATIS studio. Quam existimationem non amisit HIPPOCRATES, aetate nostra, sed auxit. Quis BOERHAAVIO excellentior? Hic ipse tamen, quin anatomen calluerit, non dubitat, etsi scripta de ea non ediderit ex instituto. Neque dissentit summus eius interpres HALLERVS, qui CLERICI et SCHVLZII partibus non fauens, manifestum putat, corpora humana, idque de industria, ab HIPPOCRATE incisa, ex clauicula hominis propria, atque ab HIPPOCRATE commemorata, in indubitato de articulis, libro q). Succedat ALMELOVEENIVS, in libello nitido, qui inuenta nouantiqua indagat. Is, quemadmodum HIPPOCRATEM nihil vulgare, neque tritum, scribere voluisse, cum GALENO sentit r), et antiquos anatomes ignarissimos fuisse negat s), ita COVM defendit a criminatione crassae ignorantiae, propter hepar in thorace collatum t). Praecipue aegre fert, HIPPOCRATIS libros temporum iniuria, et loquacis GALENI fama, misere corruptos u). Quod nisi euenisset, nos ex HIPPOCRATE multo plura cogniturus putat, eamque sententiam confirmat opinione, corpus esse meram vasorum texturam, ideoque secundum omnes humores, omnesque partes, confluere. Quod quidem inuentum ALMELOVEENIVS detrahit aetati nostrae, HIPPOCRATI satis perspectum x). Laudibus non minoribus COVM MOEBIVS ornat y). Nam iure meritoque laudat, quod non in vsu acquieuerit solo, sed adiunxerit rationem. Ea vero de caussa in corporis humani cognitione accuratius versatum praedicat, et cadauerum sectioni sedulam operam impendisse, quo certius morborum caussas inuestigaret. Percurramus Elysium iucundarum quaestionum campum, quem CASPAR A REIES aperuit, et in quo HIPPOCRATIS gloria passim laetissime viret z). Nam praeter ceteras virtutes complures, quibus HIPPOCRATES alios superauit, anatomiam affert, eius adeo propriam, vt omnium primus corpora secuerit. Qua

tur. Conf. huc inprimis HARTMANNI *Orig. anat. cap.* 6. *p.* 40. *sqq.* et passim in sqq et VAN LEEMPOEL *Specimen de Anatomes origine et grogressu, pag.* 59. *sqq.* item nouissime KVRELLA, in Collect. Dissertat. *de Re anatomica Veterum*, vbi plura.

q) *In Prael. Acad. pag.* 24. *Vol.* I. Conf. AND. VESALII *Opp. T.* II. *p.* 635.

r) *Pag.* 218. s) *P.* 14. t) *P.* 81.

u) *Pag.* 43. x) *Pag.* 218.

y) *In Fundamentis Med. Physiologicis p.* 10.

z) *Quaest.* IV. *pag.* 74.

Qua in praestantia HIPPOCRATI concessa, PAVSANIAM sequitur et GALENVM. Neque aliter sentit IOANNES LANGIVS, artis salutaris gloria magnopere celebratus, in epistolis medicinalibus [a]). Nam caussas allaturus medicinae deprauatae, queritur maxime de fastu inani multorum, qui remedia nescio quae, venditare, quam ignorationem fateri malint. Hominibus tam inflatis HIPPOCRATIS modestiam proponit, qua se suturis cranii deceptum, vltro, ac sponte fateatur, eo minus errorem celans, quo magis doctrinae satis alias spectatae fiducia feratur. Quo tandem pacto hic labi potuisset HIPPOCRATES, nisi interiores corporis humani latebras excutere studuisset? Quomodo in suturis cranii aberrasset a vero, Anatomia neglecta? Itaque quin LANGIVS HIPPOCRATIS Anatomiam habuerit certam, quis est, qui dubitet? Sed profecto nihil euidentius hanc in sententiam dici potest MARSILII CAGNATI variis obseruationibus [b]). Ibi MALIENSIS cuiusdam historiam ex quinto libro, Epidemion, enumerat, et verborum vi expensa, interpretatur. Ita vero cuncta explicat, vt quilibet intelligere possit facile, hunc praestantissimum virum HIPPOCRATI non solum anatomen non denegasse, sed ideo clare tribuisse, quod quaedam dici non possint ab HIPPOCRATE, sine corporis mortui sectione. Sed hoc de loco deinceps plura. Transeo ad alium non minoris famae Medicum, iustis HIPPOCRATIS Anatomiam laudibus prosequentem. Est hic CAROLVS DRELINCVRTIVS, qui cum passim in opusculis suis, HIPPOCRATI multum studii tribuit, corpus humanum sectione diuisum cognoscendi, tum praecipue in praeludio anatomico, quid de veterum diligentia iudicandum sit, maximeque HIPPOCRATIS, egregie demonstrat. Magnopere enim delectatur [c]) Hippocratea Medici cum nauclero comparatione [d]). Naucleri prudentiam nulla in re magis elucere putat, quam in tempestatibus naues hinc inde iactantibus. Pari modo

a) *Lib.* I. *pag.* 15.

b) *Lib.* IV. *Cap.* X. *pag.* 625.

c) *Pag.* 8.

d) Quae desumta est ex Lib. HIPPOCRAT. *de Vet. Med. pag.* 22. Coniungunt vero saepius et alii Auctores, ex eodem scopo, ἰατρικὴν καὶ κυβερνητικὴν τέχνην, vt ipse PLATO, in *polit. pag.* 132. MAXIMVS TYR. *diss.* XXII. *pag.* 227. et passim alibi, IAMBLICHIVS, *de Myster. Aegypt. cap.* 26. p. 95. et ibi THOM. GALE. in *Not. p.* 247. ORIGENES *contra* CELS. *Lib.* IV. inprimis APOLLINARIS SIDONIVS, *Epist.* 10. *Lib.* VIII. *pag.* 231. et alii plures, alibi a me

modo Medici diligentiam tum maxime credit ſpectari, cum graues morbi periculoſique nos affligent. Sed nihil effici poſſe ait, niſi a Medico Anatomiae perito. Nihil concedit in HIPPOCRATE celebrando, DRELINCVRTII modeſtiae, ASELLIVS. Is, etſi vaſorum lacteorum primum ſibi tribuit inuentum, HIPPOCRATEM tamen in huius laudis ſocietatem conuocat. Teſtis eſt de lactibus, liber, in quo multis locis, quantum HIPPOCRATI tribuat, oſtendit [e]). Eiusdem eſt ſententiae Medicus eruditiſſimus VAN DER LINDEN, auctor medicinae phyſiologicae [f]). Tantam enim Anatomiae antiquitatem cum RIOLANO, adiudicat, vt eam diu ante HIPPOCRATEM, Sacerdotum diligentia, cultam eſſe cenſeat, atque ab animalibus ad hominum corpora, tranſiiſſe. Id quod pluribus quam diligentiſſime perſequitur allatis vndique teſtimoniis veterum grauiſſimis liquidiſſimisque celeb. PHIL. IAC. HARTMANNVS, in Originibus Anatomicis, lectu digniſſimis iuxta et iucundiſſimis [g]). Nec vero ab hac opinione abhorret vir eruditiſſimus DACERIVS, qui aliquot HIPPOCRATIS opera Gallice conuertit elegantiſſime. Praemiſit HIPPOCRATIS vitam, in eaque cum caeteras eius praedicauit dotes, tum Anatomiae ſtudium, ab HIPPOCRATE tractatum, merito commendauit. Hanc eandem laudem deinde paſſim in operibus ipſis, pluribus probauit documentis, quoties in obſeruationibus, quibus HIPPOCRATEM illuſtrauit egregie, occaſio dabatur Anatomiae commemorandae. Loci ſunt plures, quam vt hic breuiter poſſint contrahi, neque opus eſt longiori enumeratione, quod deinceps ſigillatim a nobis deſcribentur. Pari breuitate IACOBVM SPONIVM percurremus, eodem conſilio ducti. Collegit eximio ſtudio, HIPPOCRATIS

 Apho-

me iam laudati. Plura vero de hac lepidiſſima et iuſtiſſima comparatione inter nauis gubernatorem tempeſtatum gnarum, et Medicum morborum peritum, vid. in eximia *Diſſert.* IV. ill. RAMAZZINI, *Medicam artem Nauigatoriae ſimilem eſſe*, *p.* 106. *ſqq.* item CASPAR. HOFMANNI *Var. Lect. c.* 31. *Lib.* VI. *pag.* 330. et COCCHII *Epiſt. Med. cap.* I. *pag.* 23. vt alios plures iam taceam eadem ſimilitudine frequentius vſos.

e) Conf. ISAAC. CATTIERII *Obſeruat. Med.* XVIII. *pag.* 55. *ſqq.* vbi multis doctiſſime oſtendit, vaſa ſic dicta lactea dudum priſcis Medicis graecis cognita ac perſpecta fuiſſe: quod et magno eruditionis apparatu pariter egregie praeſtitit ALMELOVEENIVS, *Inuent. Nou. Antiq.* §. XXIII. *pag.* 184. *ſqq.* item LINDENIVS, quibus add. ſi placet, *poemat. Trillerian. Tom.* I. *pag.* 181. *in Not.* vbi plura de hac re, pluresque Auctores laudantur.

f) *Pag.* 179.

g) Conf. SALMASII *Lib. de Calculo contr. Beueronic. pag.* 52.

Aphoriſmos nouos, ordine apto digeſſit, notisque declarauit. His in notis ſtudium HIPPOCRATIS anatomicum et animaduertit ſaepius, et pro merito, defendit laudauitque. Vix pagina eſt, quae hanc HIPPOCRATIS diligentiam non ſpiret, vt poſtea docebimus. Neque minus honorificum de HIPPOCRATE Anatomiae ſtudioſo, reperitur iudicium in Medico, qui cum doctrina ſolida, elegantiorem copulauit humanitatem. THOMAM dico BARTHOLINVM, qui magno labore anatomen ex omnium veterum recentiorumque obſeruationibus collegit. Quo ductus propoſito, HIPPOCRATIS pluribus locis animaduerſiones enumerat, meritisque laudibus extollit. Sic corporis humani diſtributionem in partes, ex HIPPOCRATE decerpit, vnde pateat, eum Anatomiae negligentem non fuiſſe. Quid dicam de hepatis ſitu, habitu et colore, quem HIPPOCRATES, corporibus non diſſectis, non perſpexiſſet? inprimis, quum accuratam inter hominum et brutorum animalium hepar, inſtituerit comparationem, illudque prae hoc, rubicundius et ſanguine plenius eſſe, ſcite obſeruauerit [h]). Inprimis commemorabilis eſt magnitudo viſcerum ab HIPPOCRATE non ſine cura definita, quae ſatis declarat, HIPPOCRATEM anatomiam praetereundam non putaſſe.

IV. Iam, quo facilius intelligatur, quae nobis de HIPPOCRATIS Anatomia ſtet ſententia, varia ſunt anatomici ſtudii genera probe diſcernenda. Namque vnum ſubtilius magis eſt, quam vtile, et plus ſolicitudinis habet, quam frugis. Cui ſtudio aetate noſtra dediti ſunt illi, qui partium corporis minimarum rationem habent aſſiduam, et labo-

rant

h) *Lib. de Anat. pag.* 288. *Tom.* I. vbi vid. inprimis Comment. DN. PRAESIDIS noſtri, *pag.* 20. Sed et hic, pro more, meras tenebras vidit GOELIKE, *Hiſt. Med. Period.* V. *pag.* 525. quoniam graeca haud intellexit; vnde et omnium elegantius ſolidiusque doctorum Medicorum iudicio ac ſuffragio, arduo illi negotio, verae plenaeque Hiſtoriae Medicinae ſcribendae, ex dignitate, cum laude famaque manſura, exſequendo, impar omnino viſus eſt. Quare et factum, vt ipſius quidem *Hiſtoria Medicinae* neglecta prorſus atque oblita hodie iaceat, et paucis adhuc nota ſit. Praeſertim, quum ipſi ab Auctoribus *Bibliothecae Nou. Miſcell. Halenſ.* tam ſpiſſa amplaque grauium, ſaepe et ridiculorum, errorum nubes, ex iſta *Hiſt. Med.* vndique collecta, obiecta fuerit, vt illis omnibus aut diluendis, aut vindicandis, per omnem ſuam Vitam, vix ſuffecerit. Sed haec hactenus, data nempe occaſione. Haud decet enim tranquillos pie defuncti manes importune turbare. Quieſcat ergo in pace! et ſit ipſi terra leuis!

rant magnopere, ne qua venarum, arteriarum, fibrarum, ne quis nervorum ac mufculorum, ne quod ligamentorum et vafculorum, eorum fugiat confpectum. Tanta quidem ac tam anxia quafi et fcrupulofa cura in HIPPOCRATE non fuit, qui memor artis fuae, ac breuitatis vitae, in cognofcendis partibus corporis praeftantiffimis, atque ad vitam tuendam, maxime neceffariis, nauiter fuit verfatus. Quis vero hanc fcientiam remoueat ab HIPPOCRATE, quam vel in HOMERO non defiderant artis noftrae periti. GALENVS enim hoc ad liquidum perduxit [i]), quo cum iungendus eft BRENDELIVS nofter, Medicus eruditiffimus, de HOMERO Medico, difputans elegantiffime. Quo minus eft dubitandum, quin HIPPOCRATES hoc in campo fe exercuerit, cuius fcripta iam percurremus. Nitemur vero partim illis monimentis, quae fine dubio, referuntur ad HIPPOCRATEM, partim illis, quae ab ipfo profecta, admodum probabile eft, inde ab antiquiffimis temporibus, eius operibus inferta praefertim, quum ex diuerfis plane MERCVRIALIS, LEMOSII, FOESII, aliorumque fententiis ac iudiciis, de ipfis HIPPOCRATIS fcriptis, nunc pro veris, nunc contra pro falfis, aut incertis, habendis, nihil quidquam folidi exploratique fit colligendum: De qua re, ne inter ipfos quidem Veteres fatis conftitit, vt ex SORANI *Vita* HIPPOCRATIS, patet, et ex ipfo GALENO, pluribus locis. Quam inanem fere ac vix ad liquidum perducendam litem docte, acute et folide tractat inprimis SPONIVS, in praefat. *Aphorifmis Nouis* praemiffa: item et data opera, ipfi nos, in *Epiftola Medico-Critica, ad Cl.* IO. FREIND, item in *Commentat. de Noua Hippocratis Editione adornanda, Sect.* I. et denique in *Apologia contra Atheifmum Hippocrati falfo imputatum*, quondam fcripta, paffim, data ibidem occafione. His in libris qui HIPPOCRATIS, Anatomiam non animaduertit, coecus fit oportet.

V. Omnem autem tractationem, facilioris ordinis caufa, in duas diuidemus fectiones, quarum alteram generalem vocaueris, alteram fpecialem.

P 3

i) *Comm.* II. *in* HIPPOCR. *de natura pag.* 138. *Tom.* III. Conf. huc maxime *Auctor Vitae Homeri,* in Collect. *Opufcul. Mytholog. phyf. et eth.* per THOM. GALE *pag.* 390. *fqq.* item REIMMANNI *Ilias poft Homerum, Sect.* IV. *cap.* I. *pag.* 159. *fqq.* vt et SCHVLZII, *Hift. Med. pag.* 166. et denique noftra *Epift. Med. Crit.* ad Clariff. FREIND, *pag.* 21.

cialem. Illa demonſtrabit, HIPPOCRATEM non modo humana ſecuiſſe corpora, ſed etiam partes inprimis externas, apertiores, et maiores, cognitas habuiſſe perſpectasque. Haec clariſſime efficiet, ne partes quidem corporis interiores ac delicatiores, adminiſtras ſanitatis atque adiutrices, HIPPOCRATI fuiſſe obſcuras. Quicquid vero ſcripſerimus, eo pertinebit, vt conſulamus memoriae viri, qui, dum florebit ars noſtra, immo dum ſtabit ipſe orbis, gloriam ſui propagabit.

SECTIO I.

DE

ANATOME HIPPOCRATIS GENERALI.

I.

Veniamus igitur in rem praeſentem, et generatim, quid valeat HIPPOCRATIS Anatome, conſideremus. Nullus enim dubito, quin oſſium, muſculorum, tendinum, neruorumque praecipuorum gaudeat inſigni ſcientia. Nec facile quiſquam mecum diſſentiet, qui COI legerit libros, immortalitate dignos, maxime chirurgicos. Horum in numero monimenta ſunt de articulis, fracturis, capitis vulneribus, Mochlico, de officina medici, alimento, et aliis generis eiuſdem. Quae COI ſcripta legere non potuit GALENVS, quin ei maximam Anatomes gloriam cum RIOLANO, tribueret. Vtinam temporis iniquitas GALENI de HIPPOCRATIS Anatome, libros non ſuſtuliſſet, quorum meminit ipſe[k]. Sic quanta in hoc ſtudiorum genere diligentia verſatus ſit HIPPOCRATES, ipſis oculis cerneremus. Sed reſtituit iacturam HALLERVS illuſtris, atque in animaduerſionibus ad praelectiones academicas BOERHAAVII[l], ſatis clare demonſtrauit, magnam HIPPOCRATI facere iniuriam, qui ab Anatomia eum ſegregent. Fuſius autem idem vir ſummus ſingulari programmate, ex his ipſis libris COI veris comprobat, eum humana diſſecuiſſe corpora, quia et muſculum brachii Deltoidem, clauiculam, ſoli homini, praeter ſimiam[m], propriam, et alia oſſa accuratiſſime deſcripſerit[n]. Quae demonſtratio tam eſt euidens,

k) *Lib.* VII. *de placitis* HIPPOCR. et PLATONIS *Cap.* III. *pag.* 212. *Tom.* V.

l) *Vol.* I. *pag.* 24.

m) GALEN. *Tom.* IV. *pag.* 129.

n) *Tom.* II. *pag.* 756. 769. *Opp.* HIPPOCRAT.

dens, vt ne CLERICVS quidem negare eam audeat o). Quibus id breuiter adhuc addo, ipſum quoque HIPPOCRATEM generatim muſculorum naturam ac ſtructuram probe accurateque cognitam atque perſpectam habuiſſe, dum in illis obſeruauit ventrem, tendinem et neruos, ceu clare patet, *Lib. de Arte, pag.* 10. *Tom.* I. et in *Coac. praenot. p.* 573. vt et alibi.

II. Quid multa? HIPPOCRATES ipſe cauſam agat ſuam, et quid ſenſibus perceperit, nobis exponat. Nam de oſſium natura ſcribens, tam accurate verſatur in iis, vt ea diſtincte enumeret p). Neque vero alienis videt oculis, ſed ſuis vtitur, maioris fidei cauſa interferens: *Quae nos ipſi ex hominis oſſibus attendendo didicimus.* Quis haec legens, COVM liberet ab iactationis crimine, niſi eum ſtuduiſſe fateatur Anatomiae q). Idem vero, quem commemorauimus, liber ſatis declarat, non eſſe vana, quae HIPPOCRATES dixit de ſe, et nos de ipſo praedicauimus. Eius enim initio, quantum ſit diſcrimen inter manus et pedes, eleganter deſcribit. Nos ceteris praetermiſſis, ſolam tenebimus patellam, ſpecie nodoſa, ſeu rotunda. Hanc quomodo HIPPOCRATES noſſe potuerit anatomia neglecta, equidem non video r). Multo minus intelligo, qua ratione iudicium ferre potuerit de rariſſimo triſtiſſimoque caſu in caluaria fracta, quod vulgo contrafiſſuram vocant. Rem pluribus deſcribit verbis et HIPPOCRATES ipſe s), et SPONIVS tam in itinerario, quam in aphoriſmis t). Quem locum nunquam tracto, quin mihi certiſſime perſuadeam, fieri non potuiſſe, ut HIPPOCRATES tam expreſſam proderet imaginem euentus adeo commemorabilis, niſi caluarias eiusmodi ſuis denudatas integumentis aridasque ſemel iterumque circumſpexiſſet. Quaeret fortaſſe quiſpiam, quid, oſſeumne ſceleton HIPPOCRATEM, dices ſuis oculis vſurpaſſe? Non difficile eſt, hoc

o) CLERIC. *pag.* 34. Conf. VESALII *Opp. Tom.* II. *pag.* 635.

p) Conf. REINESII *Var. Lect. Lib.* I. *Cap.* XIX. *pag.* 75. et MARSIL. CAGNAT. *Lib.* IV. *Var. Obſeru. Cap.* X.

q) *De Oſſium Natura pag.* 297. Quem tamen memorabilem oppido Locum fruſtra in dubium vocauit doctiſſimus cetera, nobisque olim amiciſſimus, SCHVLZIVS, in *Hiſt. Med. pag.* 225. vt mox luculentius docebitur ex diligentiſſimo HARTMANNO et aliis. Conf. KVRELLA, *Collect. Diſſertat. de Anatome Veteri.*

r) *de Oſſium Natura pag.* 294.

s) *Tom.* II. *pag.* 693. *de Vuln. Cap.*

t) *Pag.* 340. *Aphoriſ. Nou. in Itinerario vero, Part.* II. *Lib.* VI. *pag.* 71.

hoc credere, quod rationes graues sunt in promtu. Nam GALENVS nos facit certiores, Medicos quondam Alexandrinos sceleta praeparasse, quo facilius certiusque salutaris artis alumni fabricam corporis humani artificiosissimam cognoscerent u). Vt non sine probabili ratione, colligit quoque ex PLINIO, pro insigni doctrina sua, PETRVS PETITVS, in obseruationibus w). Nec quicquam dubitabit, qui Anatomes studium singulari floruisse Aegyptiorum diligentia didicerit a PLINIO, GELLIO, AELIANO, CENSORINO, EVSEBIO, aliisque pluribus. Locos horum scriptorum nihil opus est afferre, quos duumuiri, hic inter se consentientes, selegerunt, CONRINGIVS de Hermetica medicina, et BORRICHIVS contra CONRINGIVM. Quibus praesertim primo loco, addantur perquam eximiae doctissimaeque PHILIPP. IAC. HARTMANNI Exercitationes, de Originibus Anatomicis, et peritia veterum anatomica, iam supra ex merito laudatae. Iam quis est, quem fugiat, HIPPOCRATEM more veterum, historiae studiorumque caussa, peregrinantium, longius excurrisse, ad medicinae cursum facilius feliciusque conficiendum? Quis igitur dubitabit, ad Aegyptios quoque accessisse, eorumque studiis excitatum, anatomiae diligentem operam nauasse? quale etiam fecisse constat ipsum DEMOCRITVM, HIPPOCRATI nostro σύγχρονον, amicum, imo et ex parte praeceptorem: de quo vid. laudat. HARTMANN. *Cap.* VI. *Orig. anat. pag.* 40. Omnes certe scrupulos hic euellunt MERCVRIALIS, BOERHAAVIVS, SCHVLTZIVS. Neque vero opus est, hoc pluribus persequi, quod nemo, nisi plane hospes in rebus antiquis, temere negauerit. Nam plerique concedunt, ab animalium sectione, HIPPOCRATEM non abhorruisse. Id quod quam maxime patet ex *Lib. de Artic. pag.* 771. *Tom.* II. item *de Intern. Affect. pag.* 227. *de Morbo Sacro pag.* 338. et alibi inprimis

u) *Lib.* I. *Cap.* II. *de Administ. Anat. pag.* 27. *Tom.* IV. *Opp. per Charter.* Sed conf. huc inprimis doctissimi HARTMANNI Diss. vlt. *de peritia Veterum anatomica speciali, cap.* XVIII. *pag.* 101. *sqq.* vbi fuse, solide atque docte docet, Veteres Medicos, praesertim autem Alexandrinos, tam in suum, quam discentium praesertim, vsum, sceleta nitide composita, domi habuisse, non tantum hominum, sed et animalium quod pariter egregie ostendit idem laudatus HARTMANNVS, *Diss.* II. *de perit. Veter. anat. generali, cap.* V. *pag.* 61. *sqq.* Quae omnia inprimis contra SCHVLZIVM, contrarium frustra statuentem, in *Hist. Med. pag.* 225. iure notanda sunt.

w) *Pag.* 28. *Cap.* VII.

inprimis autem perpetua fere inſtituta eſt comparatio inter hominum et brutorum partes corporis internas in Libello, *de Anatome*, vt diligenter obſeruauit praeſes, in *Comment. pag.* 23. et paſſim alibi: vid. et huc magni inprimis VESALII *Opp. Tom.* II. *pag.* 635. At maxima lis eſt, de corporibus humanis, vtrum in his manus HIPPOCRATIS ſit verſata. Eam vero ſine mora dirimit et liber de venis [x]), et liber Epidemiorum [y]). Quibus in locis hominum inteſtina a caninis ita diſcernit, vt humana inteſtina craſſa canina magnitudine ſuperent. SCHVLZIVS [z]) quidem id reprehendit, atque emendatione quadam ſanare ſtudet. Sed irritum eſſe conſilium, quilibet locis COI perlectis, intelligit. Ideo et ipſum mox ſuae infelicis coniecturae poenituit. Add. quae ſupra, de differentia, inter hominum et brutorum hepar, ab HIPPOCRATE obſeruata, monuimus: et quae mox de humore cryſtallino tam hominum, quam animalium, dicturi ſumus [a]). Omnium vero, grauiſſimum eſt argumentum, HIPPOCRATEM corpora quoque mortua conſecuiſſe, quod ex libro quinto Epidemiorum ſumit, et manifeſtis argumentis amplificat MARSILIVS CAGNATVS, in *Lampade Critica* GRVTERI, *Tom.* III. *Part.* II. *pag.* 625. *ſqq.* Dignus eſt locus, qui totus laudetur, obſeruationibus viri doctiſſimi illuſtratus. Mortuo inciſus venter eſt, reſecta cute, cauerna apparuit magnitudine tanta, vt ad vtramque partem abdominis, ad renem, et ad oſſa procederet, atque tum cognitum eſt, morbum, non ſub cute tantum, vt fortaſſe, dum curabatur, creditum eſt, ſed vltra cutem, patere, quia videlicet abdominis carnem inſigniter exulcerauerat. Et *pag.* 626. Deinde, aut oculis, aut ſpecillo cauernae illius progreſſus deprehenſus eſt, at quis credat, tam immanem in viuo corpore ſectionem factam eſſe, vt abdominis internae partes, et renes, ſeu ex his alter, oculis adſpici potuerint? debuiſſet enim abdomen inuerti, et neceſſe fuiſſet, attollere et verſare inteſtina: quam immanitatem, vt viuens aliquis ferre poſſit, ne cogitationi quidem vllus eſt locus. Quibus in vtramque partem cogitatis, omnes in ſententiam noſtram pedibus ituros ſpero, HIPPOCRATEM

x) *Lib. de Ven. Tom.* I. *pag.* 297.
y) *Lib.* VI. *Sect.* IV. *pag.* 808.
z) *Hiſtor. Anat. Specim.* I. *pag.* 22.
a) *Lib. de Carn. pag.* 123. *Tom.* I.

CRATEM generatim partes corporis praecipuas et cognouiſſe, et anatomiae ſtudio perfeciſſe. Sed omnium luculentiſſimum huius rei teſtimonium, primo omnino loco, ponendum exſtat Libro de Corde, *pag.* 292. *Tom.* I. his quidem verbis, notatu certe digniſſimis: *Si quis veteris moris, cor mortui eximendi gnarus,* etc. vbi morem veterem et dudum vſitatum vocat, corda mortuorum eximere, et viſcera frigentium corporum interna diligentius perſcrutari. Quo et illud maxime pertinet, *Lib. de Articul. pag.* 800. *Tom.* II. de gibboſitate corrigenda: *Haec quidem in mortuo fieri facile poſſunt; in viuo autem non ita.* Quid ergo his clarius, quid inquam, his manifeſtius? Quare venio ad ſectionem ſecundam.

SECTIO II.
DE
ANATOME HIPPOCRATIS SPECIALI.

Iam enim id mihi video negotii imponi, vt comprobatum dare poſſim HIPPOCRATEM nonſolum corpus humanum quaſi aliud agendo, pertractaſſe; ſed etiam abſtruſiores et teneriores corporis interni partes ſectione anatomica rimatum. Id quo facilius concedatur, liceat per ſingulas corporis noſtri partes ire, et quid in illis cognouerit HIPPOCRATIS induſtria, percenſere. Sequar hoc in propoſito ordinem partium naturalem, ſitumque conſuetum, ne quid videar praeteriiſſe. Ordiar a cerebro. Huius ſubſtantia glanduloſa a MALPIGIO ac BOERHAAVIO inuenta dicitur a multis, veterum ſcriptorum expertibus. Hi ſi legiſſent attente HIPPOCRATEM, hanc vetuſtatis laudem in tempora noſtra non transferrent. Quid clarius HIPPOCRATIS de glandulis loco [b]? Caput ipſum glandulas quoque habere diſerte ſcribit, cerebrumque ſimile glandulae. Eſſe enim cerebrum tradit, album ac friabile, inſtar glandularum, magna corporis noſtri commoditate. Quin eo proceſſit HIPPOCRATIS in cerebro cognoſcendo, ſtudium, vt Meninges quoque eius binas obſeruarit. Quorſum pertinet liber *de locis in homine* [c]). Hic membranas cerebri duas enumerat, quarum altera

b) *Tom.* I. *pag.* 418. Conf. SPON. *Aph. Nou. pag.* 21. et WHARTON. *Adenogr. Cap.* III. *pag.* 9. item PAVL. AMMANNI *Irenicon.* NVMAE POMPIL. et HIPPOCRATIS, *pag.* II. et KESTNERI *Lexic. Med. pag.* 404.

c) *Tom.* I. *pag.* 365.

tera superior crassior sit, tenuis altera, tangens cerebrum. Neque minori opera cerebri falcem perquisiuit, sicut ex libro *de morbo sacro*, statim patet. Sed inprimis medulla cerebri me vocat ad se, quam HIPPOCRATIS curam non fugisse disces e libro *de principiis* [d]). Hic primo medullae, quae dicitur dorsalis, originem ducit de cerebro. At eandem negat proprie medullam vocandam, duabus ex causis, quarum prior similitudinem cum cerebro vrget, posterior discrimen medullae proprie dictae. Quae sane tam subtiliter HIPPOCRATES discernere non potuisset, si fuisset ab anatomia destitutus. Eadem duce, oculorum indolem naturamque non ignorauit, neque tunicas modo diuidit eorum, sed humorem etiam crystallinum detexit. Ac tunicarum quidem formam nobis proponit, alio tantum nomine Meningum expressam [e]). Quin enumerat easdem, sed pro instituti ratione, quae numerum exactum non postulabat. Tum situm nobis ostendit, variaque quibus expositae sunt pericula, et tandem officium earum, ne quid desit. Pergit ad humorem crystallinum [f]), quem glutinosum nominat, humidum, quam diu calet, siccum, vbi refrigeratus est. Eum vero HIPPOCRATES ipse, non raro, sed saepius, vidit, ruptis oculis exeuntem, tam in brutis, quam in hominibus, suae testis anatomiae certissimus grauissimusque. Ab oculis veniamus ad nares, in quibus os cribriformae non praetereundum est, quod, situm in parte capitis aduersa, cernitur, qua in nares sese aperit. Noli credere, HIPPOCRATEM nihil eius cognouisse, quod partim liber de locis in homine [g]), partim de carnibus [h]), te certiorem potest reddere. Illic enim in naribus foramen esse negat, sed fungosam quandam naturam, instar spongiae. Hic cauis narium partibus praetendi non os aliquod, non carnem, docet, sed cartilaginem mollem, ad spongiae similitudinem. Succedat auris, eiusque tympani membrana tenerrima, cum osse petroso. Tam admirabilis est huius constitutionis auris internae fabrica, vt non potuerit HIPPOCRATIS solertiam effugere.

d) Siue *de Carnib.* §. V. *p.* 114. *sqq. T.* I.

e) *Tom.* I. *pag.* 365.

f) *Tom.* I. *pag.* 123. Conf. DN. PRAESIDIS *Epist.* II. *de Anthrac. et Variol. Veterum, pag.* 17. et HARTMANNI Diss. vlt. *de peritia Veterum anatomica speciali, Cap.* XVI. *pag.* 94. *sq.* et LEEMPOEL *Specimen de Anatomes Origine et progressu, pag.* 60. item KVRELLA, *in Collect. Dissert. de Anatome Veteri*, passim.

g) *Tom.* IV. *pag.* 364.

h) *Lib. de Carnib. Text.* XVI. *pag.* 121.

effugere. Quo duce, meatus aurium pertinent ad os durum et ſiccum, quod petrae formam habet, facta in eo cauitate fiſtuloſa. Iam ſoni ad partem duram alliduntur, cauumque os reſonat per duritiem. At pellicula, iuxta os petroſum aure incluſa araneae ſubtilitatem imitatur, ſiccior alia membrana [i]). Quae legens LINDENIVS [k]) miratur HIPPOCRATIS acumen, paucis omnia complectens. Neque minore admiratione nos afficimur, vbi ductus ſaliuales iam in eo non obſcure inuenimus. Nam de diaeta, libro tertio [l]), repletionis indices deſignans ac ſigna, mucum maxime et ſaliuam nominat. Haec, corpore quieſcente, ſpiritum intercludere, vbi vero caluerit labore exercitatum, attenuari atque excerni. Quae ſane nunquam HIPPOCRATES tam diſtincte de ſaliua praecepiſſet, niſi ductus ſaliuales intellexiſſet. Adeo verum eſt illud, quod BARTHOLINVS monet, multa nobis videri noua, quae trita ſint veterum vſu. Idem tamen altius potuiſſet aſcendere ductusque ſaliuales non e GALENO petere, vel AVICENNA, ſed ex ipſo HIPPOCRATE. Sed nihil facile iucundius, nihil ſpectatius, imagine arteriae, pulcherrime ab ipſo expreſſa, initio loci de Anatome, libri de ſtructura hominis [m]). Primo ſitus arteriae quam eſt accuratus, cuius initium ab vtrisque faucibus ducitur, donec deſinat in ſummum pulmonem.

i) *De Carnib. Text.* XVI *pag.* 121.

k) LINDEN. *pag.* 525. Conf. DN. PRAESIDIS *Not. ad Anonymi Iſagog. Anat. pag.* 121.

l) *Pag.* 249. *Tom.* I. Sed luculentiora et clariora de his ipſis glandulis et ductibus ſaliualibus, loca, leguntur apud ipſum HIPPOCRATEM, *Lib. de Glandulis, pag.* 417. et *Lib. de Dentitione, p.* 591. nec non alibi. Plenius vero atque accuratius ſaliuales hos fontes poſtea deſcripſiſſe HEROPHILVM atque EVDEMVM, liquido teſtatur GALENVS, *Lib.* II. *de Semine, c.* 6. *de vſu part. Lib.* IX. *cap.* I. *de Aliment. Facultat. Lib.* III. *cap.* 5. vbi ipſe accuratiſſime hac de re tractat, vt multis egregie oſtendit ALMELOVEENIVS, *de Inuent. Nou. ant. §.* 17. *pag.* 153. *ſeqq.* et quem ibi merito laudat IAN. LEONICENVS, nomine, vt creditur, ficto ſic dictus, in *Metamorphoſi, Aeſculapii et Apollinis pancrat. p.* 77. vbi quidem iuſto acerbius WHARTHONO atque STENONI, anatomicis praeſtantiſſimis, omnem laudem et gloriam in ductibus ſalialibus inueniendis et deſcribendis, eripit idem ille inclemens nimis atque rigidus aduerſarius, LEONICENVS. Sed plura de horum riuulorum ſalialium antiquitate, vid. apud HARTMANN. *de peritia veterum anat. in ſpecie, Diſſ.* II. *cap.* 7. *pag.* 48. *ſqq.* item DIEMERBROEK, *Anatomiae, Lib.* III. *c.* 24. *pag.* 433. vt et SCHVLZ. *Hiſt. Med. p.* 348. ac SCHROECK, in *ſchol.* ad HELWIGII *Obſ. med.* 64. *pag.* 216. vt alios iam taceam.

m) *Pag.* 287. vbi vid. DN. PRAESIDIS *Comment. pag.* 12. *ſqq.* et van LEEMPOEL *Specim. de Anat. Orig. et progreſſu, pag.* 60.

monem. Additur forma, qua ex annulis componitur, ſimilibus, atque inter ſe vndique in ſuperficie coniunctis. Pari felicitate ab eo illud arteriae aſperae tegumentum artificioſiſſimum et detegitur, et explicatur. Lingulam puto, quae dicitur epigloſſis, non permittens potum iuſto profuſiorem vllo modo penetrare n). Feſtino ad conſpiciendum pulmonem, quem HIPPOCRATES non ſine cura, per partes eleganter deſcribit, libro *de refectione* o). Ecce tibi quinque apices, quos dicunt lobos, et ſummitates. Nec vero hic conquieſcit COI labor, ſed notas quoque cauernoſas obſeruat, quibus pulmo quaſi compunctus eſt. Hae pertinent ad veſiculoſam pulmonum ſubſtantiam, de qua inuenta vehementer gloriatur MALPIGHIVS p). Sed magnam huius gloriae partem ſibi vindicat COVS, ſi locum a me commemoratum conſideres. Relictis pulmonibus, ſe nobis pericardium aperit, ab HIPPOCRATE diſtincte expoſitum, vbi de corde agit q). Nominat illud venuſte tunicam leuem, cor veſtientem, tuentem ſanumque conſeruantem. Huc enim ſpectare videt eius liquorem, vrinae ſimilem, tanta copia, quanta aeſtuanti mederi poteſt. Neque ignota fuit COO muſculoſa cordis ſubſtantia, ſicut ex eodem libro r) manifeſtum eſt, neque inſignis differentia, inter hominum et brutorum corda s). Namque ideo cor appellat muſculum valde robuſtum, conſtringente carnis denſitate. Addit ſtatim binos ventriculos, in vno amiculo, diſtinctos, ne quid ad plenam rei cognitionem

n) *De Corde pag.* 289. *Tom.* I. *et Lib.* IV. *de Morb. p.* 158. *Tom.* II. Quo poſteriore loco, ipſe HIPPOCRATES ipſam *Epiglottidem* elegantiſſime comparat τȣ̃ κισσȣ̃ φύλλῳ, ſeu *hederae folio*, ad quem locum HESYCHIVS reſpexiſſe videtur, ita nimirum ſcribens, p. 759. πέταλον, φύλλον, καὶ τῆς ἐπιγλωσσίδος τὸ καλύπτον τὸ ϛόμα, h. e. πέταλον, *folium in genere ſignificat*; *et in ſpecie, illud, quod apertum Epigloſſidis oſculum obtegit*; quod tamen, quantum equidem memini, in ſplendida alias HESYCHII Editione poſtrema Cel. ALBERTI, obſeruatum haud fuit. Ceterum autem accuratam ipſius *Epiglottidis* deſcriptionem ex GALENO, vid. apud ORIBASIVM, *de Anat. pag.* 62. Edit. Cl. DVNDASS. et THEODORET. *Orat.* III. *de prouident. p.* 64. Conf. et *poëm.* TRILLER. *Tom.* I. *pag.* 171. in *Not.*

o) *Tom.* I. *pag.* 287. vbi vid. DN. PRAESIDIS *Comment. p.* 14. *ſqq.*

p) Sed fruſtra, vt multis oſtendit DN. PRAESES in Comment. dicto, *pag.* 16. *ſqq.* Conf. THOM. BARTHOLINI, *Tract. de pulmonibus, Sect.* I. et *poëm. Trill. Tom.* I. *pag.* 177. in *Not.*

q) *Tom.* I. *pag.* 289.

r) *Pag.* 290. *Tom.* I. conf. maxime SPON. *Aph. Nou. pag.* 23. *ſqq.* et PAVL. AMMANNI *Irenic. pag.* II. *ſqq.* item KESTNERI *Lex. med pag.* 404.

s) Vid. *Lib. de Anat. p.* 289. et ibi Comment. DN. PRAESIDIS, *p.* 17.

nem deeſſe videatur. Quid dicam de cordis auriculis, quarum ſitum naturamque ſatis declarat. Eas enim oriri dicit prope venarum originem, circa ventriculos. Eaſdem demonſtrat eſſe corpuſcula mollia et cauernoſa t). Supereſt, vt ex HIPPOCRATE latentes cordis pelliculas excutiamus. Eas enim cognitione digniſſimas iudicat ipſe, maximaque cura obſeruatas, perſtringit. Quam compoſite, breuitate venuſta, valuulas mitrales, ſiue, vt iam loquimur, epiſcopali mitrae ſimiles, enarrat. Tres reperit pelliculas, in ſuperioribus partibus rotundas, inſtar circuli ſemiſecti, quod re uera clauſae videntur u) Abeant iam contemptores veterum, et, quantam illis faciant iniuriam, ſi eos dicant Anatomiae imprudentes, hoc locuplete exemplo diſcant. Quod mihi facilius credes, ſi te ſyſtolen cordis et diaſtolen ex HIPPOCRATE indiciis ipſa luce clarioribus docuero. Rationem enim redditurus variorum colorum in corpore animato, eam a corde partim aſtringente venas, partim laxante ducit. Sic colores rubicundi fiunt et pellucidi, corde remittente, ſed pallidi et liuidi, corde ſe conſtringente x). Idem cor quoniam fons eſt circuli ſanguinis, huc me totum rapit, vt, num HIPPOCRATES hunc perſpexerit, paucis excutiam. Nam a quo hic locus tractatus non eſt artis ſalutaris perito? Ceteris locis dimiſſis, inſiſtam in vno aphoriſmo quinquageſimo primo y). Ibi alimentum tranſire in pilos et vngues extimamque ſuperficiem ab internis partibus dicitur, ac rurſus ab externis partibus ad internas recedere. Vid. *Lib. de Aliment. pag.* 594. *Tom. I.* ad quem inſignem prorſus de circulatione ſanguinis HIPP. cognita, ſaepius reſpiciunt et alludunt THEODORETVS *de Prouident. Orat.* III. *pag.* 73. GREGOR. NYSSEN. *de Hom. Opificio cap.* 30. *pag.* 135. *T.* I. et *Orat. de Mort. pag.* 627. *T.* III. TIMAEVS LOCRVS, *de Anima mundi, pag.* 560. *Collect. Galen.* item LVCRET. *Lib.* VI. *pag.* 947. MACROB. *Lib.* VII. *Saturn. cap.* 4. *pag.* 415. et alii: inprimis vid. huc LINDANI *Exercit.* XIX. *de* HIPPOCRATIS *Circuitu Sanguinis*, vbi plura,

t) *Tom.* I. *pag.* 291. Conf. huc LINDANI *Phyſiol. Med. pag.* 179. *ſqq.* vbi ſingularem HIPPOCR. ſolertiam mire meritoque dilaudat: vt et VAN LEEMPOEL, in *Specimine de Anatomes Origene et progreſſu*, *pag.* 60. vid. et ſaepius iam citati KVRELLAE *Sylloge Diſſertat. de Re anatomica Veterum*, vbi plura.

u) *Tom.* I. *pag.* 292.

x) *Tom.* I. *p.* 311. *Lib. de Ven.* Conf. BALLONII *Lib.* I. *Epidem. pag.* 106.

y) SPON. *pag.* 44. et *pag.* 46.

plura, quae huc maxime ſpectant. Iam res docet ipſa, aliique HIPPOCRATIS loci inter ſe collati, comprobant, alimentum, quod hic dicatur, de ſanguine accipiendum. Secus ipſa alimenta curſum per corpus late patentem, quomodo quaeſo conficiant, neque ſanguis peragere hoc iter HIPPOCRATI videatur, circulationis huius experti. Dicerem plura, niſi doctiſſimorum hominum, veluti BARTHOLINI, WALAEI, SPONII, DRELINCVRTII, WEDELII, et inprimis LINDENII *), vt et ALMELOVEENII, DACERII, PETRI BARRAE, BERNARDIN. GENGAE, et aliorum ſtudium hunc laborem occupaſſet, beatique parentis mei diſputatio *de circulo ſanguinis*, contra SCHVLTZIVM habita, HIPPOCRATIS gloriam ſatis vindicaſſet, quibus praeſertim add. HARTMANNI *Diſſ.* II. *de peritia veterum anatomica ſpeciali*, *Cap.* X. *pag.* 62. *ſqq.* Item, ſi placet, *Poemat.* TRILL. *Tom.* I. *pag.* 173. *ſqq.* in *Not.* vbi plura: vt et celeb. HEISTERI programma: *An Sanguinis Circulus Veteribus fuerit cognitus? Helmſtad.* 1721. vbi illud ſolide affirmat: ſicut et ipſe HOFFMANNVS noſter, in *Med. rat. ſyſtem. Tom.* IV. in ipſius *Opp. Tom.* II. *pag.* 248. et 318. Liceat mihi ad omentum properare, eiusque vaſa adipoſa ab HIPPOCRATE diſcere. Facit eorum mentionem de locis in homine [z]), ad morbos ſplenis felicius percurandos. Itaque cauſas ſplenis floreſcentis percontatus, omentum vidit ſimul cum corpore conſumi, quo facto, pinguedo in omento colliqueſcat. Quae poſtrema verba ſicut vaſa adipoſa ſatis indicant, ita neminem dubitare ſinunt, quin HIPPOCRATES opinione ſtudioſius, in anatomia elaborarit [a]). Eiuſdem ſcientiae praeſidiis adiutus, in libro *de principiis*, aut *carnibus* [b]) vaſa lactea diſtinguit. Etenim venas ex ventre atque inteſtinis, vbi cibi potusque fuerint calefacti, duplicem colligere materiam tradit. Tenuiſſimam quidem ac liquidiſſimam ad ſe trahere, craſſiſſimam

*) Cuius inprimis lectu digniſſimae ſunt diſſertationes XXIX. de HIPPOCRATIS *Circuitu ſanguinis*, ſed rariſſime viſae, aut venales expoſitae, fatente ALMELOV. *pag.* 226. et SCHVLZIO ipſo, *Hiſt. Med. pag.* 223. qui eas nunquam videre potuit: quod mihi tamen obtigit apud DN. PRAESIDEM, qui eas feliciore fato, in ſuis variis itineribus, nactus eſt.

z) *Pag.* 384. *Tom.* I. Conf. SPON. *Aph. pag.* 17.

a) Vid. MALPIGHII *Exercitat. de Omento, pag.* 39. *et* 43. *Tom.* II. *Opp. fine.* add. CAECIL. FOLIVS ac SCHENCKIVS.

b) *Pag.* 119. Conf. DACERII. *Not. pag.* 362. *Tom.* I. et *poëm.* TRILL. *Tom.* I. *pag.* 181. in *Not.*

crassissimam vero fecem inferioribus relinquere intestinis, vbi computrescat. Longiores sunt lites de vasis lymphaticis, quas egregie, sicut solet, tangit et componit BARTHOLINVS c). Nam ingeniose voculam ὀχετὸς, affert, quae non incommode de canalibus vasorum lymphaticorum, accipiatur. Ad quod probandum, prouocat ad librum sextum *de morbis vulgaribus*, sectione tertia, aphorismo quarto, quo in loco, signum exercitationis sufficientis vocat sudorem, qui e poris cutis guttatim effluat, e perenni vasorum lymphaticorum riuulo dimanans, pro quo, pari elegantia, LIBANIVS, *Epist.* 319. *pag.* 154. dixit: κρουνὸς ἱδρῶτος, sed hoc obiter. Clarius est testimonium ex libro *de glandulis, Cap.* 1 d). Hic luculenter scribit, humorem ex reliquo corpore colligi in glandulis, quae multis sint et raris venis repletae. Quis vero est, qui nesciat, plurima vasa lymphatica in glandulis reperiri? Neque minus recte iudicat idem de natura lienis et constitutione, *Sect.* IX. *de Carnibus.* Ibi profecto ab anatomiae praesidiis destitutus, fibras in liene obseruandas non detexisset, quae faciunt ex ipsius sententia, vt mollis sit lien, ac fibrosus e). Multo minus fontes quatuor humorum deprehendisset, sanguinis in corde, pituitae in capite, aquae in splene, et, quod inprimis commemorabile videtur, bilis in loco folliculi, in hepate f) Hoc idem

pluribus

c) *Tom.* III. *pag.* 272. *Epistol. Medicinal.* vbi SEGERVS BARTHOLINI sententiam magis confirmat: vt et Tractat. *de Hepate defuncto*, ad DEVSING. *p.* 576. *in Opuscul.* Conf. DN. PRAESIDIS *Comment. pag.* 23. in *Libell. Hipp. de Anatome.* Sed vide GOELIKE, *Hist. Med. Period.* V. *pag.* 499. *sqq.* vbi, pro more vix laudando, HIPPOCRATEM atrociter impugnat, ast incassum, et telis plumbeis magis, quam ferreis, vt ibi clarissime cuiuis a praeiudiciis libero, protinus, spero, patebit.

d) Ipso fatente GOELIKE, *l. c. p.* 500. et multis inprimis probante HARTMANNO, *de peritia Veterum anatom. in specie, Dissert.* II. *cap.* 5. *pag.* 43. *sqq.* vbi de cognitis iam HIPPOCRATI, aliisque Medicis priscis, vasis lymphaticis, docte et acute tractat: quod et pari fere industria fecit IO. THEODOR. SCHENCKIVS, in *Synopsi Institut. Med. pag.* 137. vid. et SPON. *Aph. Nou. pag.* 78. *et pag.* 98. Quin et ipse HIPPOCRATES, *Aph.* 14. *Sect.* VI. de Hydrope loquens, per φλέβας, seu *Venas*, secundum quas aqua in aluum fluxerit, stilo ipsi consueto, haec ipsa vasa lymphatica intellexisse videtur, bene quoque obseruante Auctore doctissimo, *Comment. in Aph. Hipp. Paris.* 1724. *Tom.* II. *pag.* 441. Sed illas ipsas φλέβας lymphaticas clarius ipse descripsit HIPPOCRATES, loco illo primario e *Lib. de Glandulis, pag.* 414. superius laudato.

e) Conf. inprimis, *Lib. de Venis, p.* 311. *Tom.* I. et ibi LINDAN. in *physiol. p.* 69. *sqq.* item FOESII *Oecon.* HIPPOCR. *p.* 56. nec non MALPIGH. *de Liene Cap.* IV. *pag.* 110. *Opp. Tom.* II.

f) *De Morbis Libro* IV. *pag.* 121.

pluribus verbis, inferiore loco, explicat, *pag.* 123. *loc. cit.* vt demonstret, quomodo et qua re, crescat in corpore, et quemadmodum locus folliculi in hepate ipsam ad se trahat. Quibus perspicue eleganterque traditis, tandem recte monet, praecipue ibi bilem a cibis ac potibus secerni, et folliculum secundum naturam, bili maxime esse consentaneum [g]). Tam claros HIPPOCRATIS locos comparans SPONIVS, esse putat in promptu, non recentiores demum haec vidisse, sed iam HIPPOCRATEM idem felici industria comperisse [h]). Quae gloria viri post hominum memoriam, in arte sua, maximi, nouas capit accessiones, ex vesiculis seminalibus. Etenim semen velut fauum, ab vtraque vesicae parte, reperiri, apud eum legimus relatum, in libro *de venis* [i]). Quis igitur non aegre ferat, HEROPHILO vesicarum seminalium primam tribui obseruationem, quam HIPPOCRATES iam loco laudato, affert? Quis non multo vehementius indignetur, recentioris aetatis homines haec pro nouis, venditare, quae renouata sunt, non noua? Quorsum et, vt id commode hic adiiciam, pertinet inprimis ipsa illa perquam curiosa et artificiosa testiculorum substantia ex meris vasculis et filis subtilissimis composita, quam primus detexit, aut descripsit cel. ille Anatomicus, REGN. DE GRAEF, *Tract. de Virorum Organ. genital. pag.* 30. *sqq.* quam tamen iam olim, eodem prorsus modo, accuratissime descripserat THEOPHILVS PROTOSPATHARIVS, *Lib.* V. *de Corpor. humani fabrica, cap.* 28. *pag.* 903. *Bibl. Graec.* ill. FABRICII, *Tom.* XII. vbi οἱ ὄρχεις, seu *Testiculi*, ἀδένες, seu *glandulae* vocantur ἀγγεῖα πολλὰ τριχοειδῆ καὶ ἀραχνοειδῆ κατεσπαρμένα ἔχοντες, *quae vascula multa tenerrimis capillis et aranearum telis ac filis similia, hinc inde per ipsam substantiam dispersa habent.* Qui locus notatu sane dignissimus, etiam probe obseruante ipso ALMELOV.

g) *Pag.* 130.

h) *In Aphor. pag.* 15. Conf. AMMANNI *Irenic. pag.* 16. et BARTHOLINI *Anat. Lib.* I. *c.* 14. *p.* 147. ipsiusque varios Libellos contra Hepatis officinam officiumque, scriptos, ac iunctim editos, *Hafn.* 1670. de quibus vid. PRAESIDIS *poem. Tom.* I. *pag.* 178. *Not.*

i) *Tom.* I. *pag.* 297. Conf. SPON. *Aph. Nou. pag.* 43. et Celeb. MORGAGNI *Epistol. Anat.* I, 88. *pag.* 102. Sed SCHVLZIVS hic, vt solet, iterum in contraria est sententia, in *Hist. Medicinae, pag.* 224. heu frustra! omnino: Clarius vero contrarium pro HIPPOCRATIS gloria, docente diligentissimo HARTMANNO, *Diss.* II. *de peritia Veterum anatomica, cap.* XII. *pag.* 73. *sqq.* Sed sufficit profecto hic sola magni MORGAGNI auctoritas.

ALMELOV. *de Inuent. Nou. ant. pag.* 137. vbi tamen ipse de ipsius exemplaris THEOPHILI graeci defectu vehementer queritur. Conf. et si placet, praesidis *poemat. Tom.* 1. *pag.* 185. *sqq.* in *Not.* Verum, excepto etiam THEOPHILO, ipsum tamen GRAEFIVM haud primum fuisse, qui ita describeret Testium substantiam, praeclare solideque ostendit ill. MORGAGNVS, *Aduers. anat.* 1. *pag.* 21. in *Not.* Sed haec obiter et opportune, ni fallor, occasione, ab ipsis vesiculis seminalibus vicinis, nobis hic commode subministrata. Habes vero novum peritiae Hippocraticae argumentum in duobus vreteribus. Hos quam scite informat imagine canalium obliquorum ac ferme triangularium, ad summum vesicae fastigium pertingentium [k]). Clarius, quid sentiat de renum venis, exponit. Nam renis situm, cauam sui partem ad venas magnas habentis, monstrans, ex ipso enasci narrat, venas in vesicam [l]). Agerem nunc de sphinctere ani et vesicae, nisi Praeses illustris singulari industria, hunc tractasset locum [m]). Nam libro de Anatome, hanc corporis nostri partem COVS ita describit, vt quilibet intelligat, eius acumen hic quoque elucere. Potius ad portum propero, et, quid de glandulis obseruarit constans HIPPOCRATIS diligentia, venerabundus mecum cogito. Quam docte glandularum naturam indagat, quae sit spongiosa. Easdem raras reperit et pingues, corpori reliquo dissimiles, friabiles, et venis repletas. Quas si dissecueris, sanguinem profluere largum docet, instar pituitae, album. Tangenti lanae mollitiem praebere, humoremque oleosum emittere, vbi magnâ vi, digitis comprimantur [n]). Neque vero glandulas generatim perspexit HIPPOCRATES, sed eas per partes corporis sparsas, detexit. Ecce glandulas in pectoribus, quae mammae vocantur, attolluntur, et lac faciunt, multo cum discrimine virorum, ac mulierum, quod mulieribus tenuis est glandularum natura alimentum in lac commutans [o]). Praeter has, glandulas commemorat intestinorum, de quibus ex HIPPOCRATE, PEIERVS eleganter

k) *De Anat. p.* 288. vbi vid. DN. PRAESIDIS *Comment. pag.* 23. *sqq.* et LINDANI *Physiol. pag.* 135.

l) *Pag.* 298. *Tom.* 1. vbi per *venas* postremas, consueto more, ipsos rursus intelligit vreteres, vid. CELS. *Lib.* IV. *Cap.* 1. Conf. LINDAN. *Physiol. pag.* 134. et DN. PRAESIDIS *Comment. pag.* 23. item GOELIKE, *pag.* 535.

m) *In citato saepius Comment. in* HIPPOCRAT. *Lib. de Anat. p.* 27.

n) *De Glandulis, Tom.* 1. *pag.* 414.

o) *Loc. cit. pag.* 421.

ganter diſputauit, ex laudato HIPPOCRATIS loco p). Ibidem breui poſt glandulas renum ſubiungit, quarum inuentionem ſero nimis ſibi vindicauit Cl. BELLINI, cum aliis, recte monente SPONIO q plura dicturus, vt ait ipſe, ſi inſtituti ratio poſtularet. Poſtremo, vt intelligas, HIPPOCRATEM partium corporis humani aptam inter ſe connexionem animaduertiſſe, conſilium HIPPOCRATIS tibi propono, quo, venas mammarias in angina, cum leuamine, incidi iubet, id profecto non ſuaſurus, niſi venas mammarias ab ipſis iugularibus oriri vidiſſet r) Sed magnopere lapſus eſt HIPPOCRATES, ſi credis CAELIO AVRELIANO, de morbis acutis s). At enim dignitatem viri ſtrenue defendit FREINDIVS t), quam FALLOPIVS non obſcurabit, in obſeruationibus anatomicis, ſibi hanc laudem tribuens inuentae ſocietatis mammariarum venarum et iugularium. Equidem haec, atque omnia, ante a me dicta, ſummatim reputans, HIPPOCRATEM quotidie maioris facio, eiusque merita, cum in omnem medicinam, tum in anatomiam, immortalia, ſumma veneratione proſequor, nunquam eorum ſententiam probaturus, qui COI famam, in quam, pia manu, flores ſpargere debuiſſent, aeternum virentes, iniecto potius puluere ſordido, heu! pudet fateri, contaminare et obruere nihil quidquam verecundantur u).

p) *P.*83.*Exerc.*II. q) *In Aph.Nou.p.*22.
r) *Tom.* II.*p.* 102.*Lib.* III. *de Morbis.*
s) *Lib.* III. *Cap.* IV.
t) *Comment.* II. *in* HIPPOCR. *Lib.* I. *et* III. *de Morbis Epidem. pag.* 30. *et* 34.
u) Haec quoque *Diſſertatio Hippocratica* me Auctorem habet; et etiam non habet: Habet nempe, quod ad primam ipſius diſpoſitionem, delineationem atque ordinem ſpectat, item ad iudicia omnium quidem locorum, ex HIPPOCRATE potiſſimum, aliisque Auctoribus multis, opportune deſumtorum: Non vero e contrario, habet, quod ad ipſam illius compoſitionem et ſingularem proponendi et demonſtrandi modum attinet; quod quiuis facillime, credo, ex diuerſa, a noſtra, ſcribendi ratione, diiudicabit. Igitur illa mihi praeſertim debet interna quaſi nobiliora viſcera, item neruos, toros ac muſculos; externa vero integumenta, velamenta ac ornamenta, ipſi B. STENZELIO, tum Reſpondenti. Ideo ergo illam inter ipſos meos foetus germanos lubens adoptaui, quod vitam nempe et naſcendi opportunitatem quaſi mihi debeat, praeſertim quum iam denuo impreſſa, multis magnisque acceſſionibus, vbique a me aucta ſit. Quod tamen ſemel tantum in hoc vniuerſo opere, a me hic factum eſt; quum plus ſemel, id ex iisdem rationibus, pariter fecerit RIVINVS, praeceptor olim noſter adhuc in cineribus nobis ſancte venerandus, vt clarius ex ipſius praefatione amoeniſſima et facetiſſima Lectoribus patet, ſuis diſſertationibus medicis iunctim editis; praemiſſa. Sed vid. ſi placet, quae iamiam ea de re monuimus, in *ſpecimine* noſtro *Hippocratico*, paullo inferius, ſuo loco opportuno, reperiundo.



CLARISSIMO CHARISSIMOQVE STENTZELIO SVO PRAESES.

Reddo hic Tibi Tuam Dissertationem, vere Tuam, Tuo siquidem ingenio Tuaque industria scite elaboratam. Indicatis Tibi a me Hippocraticis potioribus, materiam Tibi operis dedi; Tu vero materiae dedisti formam, et formae nitorem, adeo, vt cuncta apte et concinne a Te digesta ac diposita, in pulchrum splendidumque aedificium quasi exsurgerent.

Celeberrimi quondam apud nos Parentis Tui laudatissima vestigia presse sequutus, optimos Auctores veteres Medicos ita diligenter legisti, vt nouos bonos haud sperneres: Neque enim omnia Veteres illi, per aetatem, habent, quae Noui; nec Noui rursus omnia, quae Veteres: Ideo hi cum illis felici connubio semper sunt coniungendi, et studiose inter se comparandi. Haec enim sola est via, paucissimis licet hodie calcata, ex qua Medico, non nomine, sed re ipsa, tali, vera demum laus nascitur et solidum decus.

Hac ardua, sed praeclara Arte innixi, arces illas igneas, vt Poëta ait, attigerunt magna olim, et in hunc vsque diem, nomina, BARTHOLINI, BALLONIVS, DVRETVS, HOLLERIVS, FERNELIVS, BORRICHIVS, CONRINGIVS, REINESIVS, HOFMANNVS, LINDENIVS, SPONIVS, BAGLIVVS, SYDENHAMVS, FREIND, MEAD, WIGAN, BOERHAAVIVS, *aliique, quorum laudes in se vno, coniunxit omnes, qui per Dei gratiam, in publica commoda, adhuc superest, magnus ille Viennensium Aesculapius,* GERARDVS VAN SWIETEN.

Notum illud est QVINCTILIANI *dictum:* Ille se profecisse sciat, cui CICERO valde placebit: *Ego vero constanti experientia dudum edoctus, haud mentiar, si dixero:* Ille se demum in Arte salutari profecisse sciat, cui HIPPOCRATES valde placebit, quique illum nocturna diurnaque manu versabit, et eius oracula penitus perspecta habebit. *Quod quanta a Te diligentia factum fuerit, luculenter quidem ostendisti in hoc Tuo egregio specimine, omnium hinc solide doctorum Medicorum eximia laude dignissimo; de quo, et coniuncto cum illo, nouo Doctoris Medicinae honore, Tibi quoque*

quoque ipse ex animo gratulor, qui Te semper ob cultiores mores, erectum ingenium et praeclara studia, singularem in modum, merito dilexi.

Illa igitur Tui ingenii, virtutis ac diligentiae laude macte, perge ire, qua coepisti, via, neque vnquam dubita, quin Te digna Tuis egregiis studiis praemia proxime sint sponte sequutura: quod equidem candide voueo, immo certa iam spe praesumo. Vale itaque, Experientissime D. STENTZELI, *vt per Te in posterum valeant plurimi, Tua arte sanati, mihique, vt hucusque probe fecisti, fauere quaeso, perge! Scribebam Wittebergae, die* XXXI. *Mai. A. O. R.* CIↃ IↃCCLIV.

DISSERTATIO MEDICA QVINTA.
DE
VERITATE PARADOXI
HIPPOCRATICI
NVLLAM MEDICINAM INTERDVM
ESSE OPTIMAM.

PROOEMIVM.

Licet Medicina, post sanctam Theologiam, vnicam illam contaminatae animae Emendatricem, omnium fere scientiarum Artiumque sit praestantissima et vtilissima; quoniam ipsius ope operaque carere nunc nequit humanae Vitae, post lacrimabilem lapsum, variis morbis obnoxiae, indigentia: *quaeritur enim merito,* iudice QVINCTILIANO a), *quid omnibus prosit? sit Philosophia res summa! ad paucos tamen pertinet: sit Eloquentia res admirabilis! non pluribus tamen prodest, quam nocet: sola, sola est Medicina, qua opus sit omnibus: ergo et aequaliter ad omnes Medicina pertinet, et nulla tam necessaria est omni generi hominum, quam Medicina:* Haud raro tamen accidit, vt varii subinde occurrant Morbi, medelae omnis adeo quidem impatientes, vt per Medicinam exterius praesertim adhibitam, magis exacerbentur et peiores reddantur; quam quidem mitigentur, aut plane tollantur, quod, sapienter

 iudicante

a) *Declamat.* CCLXVIII. add. CASSIODORI *Formul. Archiatr.* ibique MEIBOM. in *Commentario* et praesertim ARISTIDIS *Orat. Platon.* II. *pag.* 288. *Tom.* II. *Opp. per* SAM. IEBB, vbi eadem paene graece leguntur; quae hic Latine, apud QVINCTILIANVM.

iudicante TACITO [b]), *Natura infirmitatis humanae, tardiora sint Remedia, quam mala ipsa.* Saepius ergo praestat, illos intactos prorsus relinquere, quam intempestiua Medicina adoriri; adeo, vt interdum, hoc certe respectu, *nulla Medicina sit optima Medicina.*

Quod et ipse ingenue fassus est summus Artis nostrae stator et conditor HIPPOCRATES [c]), sequenti quidem sapientissimo et acutissimo effato: Ἀγαθὸν ἐνίοτε φάρμακον, τὸ μηδὲν φέρειν φάρμακον, *Bonum interdum est Medicamentum nullum adhibere Medicamentum*, quod pari acumine, de Deo, ceu Medico, ita scite expressit ORIGENES [d]), βοηθῶν αὐτοῖς κάμνουσιν, οὐ βοηθεῖ, *curat aegrotos, dum non curat.* Quo et aliquo modo pertinet illud EVRIPIDIS, HIPPOCRATI nostro fere aequaevi [e]), κρεῖσσον δὲ νοσεῖν, ἢ θεραπεύειν, h. e. *praestat aegrotare, quam sanare*, siue, vt illud scitius versu tereti reddidit summus Virorum, HVGO GROTIVS [f]):

Grauius morbo est, velle mederi.

Cuius cothurnati Tragici et dicitur ista eximia gnome, in *Hypsipyle*, iudice BARNESIO, *Tom.* II. *Opp. Euripid. pag.* 499. ad incertum vero Auctorem eandem referente potius laudato modo GROTIO, in *Florilegio Stobaeano, Tit.* XX. *pag.* 107.

Ὅστις γὰρ ἐν κακοῖσι θυμωθεὶς βροτῶν
Μεῖζον προσάπτει τῆς νόσου τὸ φάρμακον,
Ἰατρός ἐστιν οὐκ ἐπιστήμων κακῶν.

Hoc est, eodem summo Viro, et poëta incomparabili, interprete:

Aduersitati quisquis iratus suae,
Medicamen aptat grauius aegritudine,
Non est peritus ille sanandi artifex.

Quo et illud egregie spectat PLVTARCHI, *Lib. de Cupiditate Diuitiarum, pag.* 523. *Tom.* II. *Opp.* τὸ φάρμακόν σου τὴν νόσον μείζω ποιεῖ, *Remedium tuum*

b) Vit. AGRICOLAE, *Cap.* III.

c) *Lib.* de *Articulis, pag.* 791. *Tom.* II. *opp. per* LINDENIVM.

d) in *Philocalia, Cap.* XXI. *pag.* Edit. GVILIELM. SPENCERI.

e) in *Hippolyto Coronigero*, vers. 186.

f) in *Excerptis Veterum Tragicorum* et *Comicorum, pag.* 204. Conf. SOPHOCLIS *Aiax Mastigophor.* et ex eo SVIDAS in πῆμα, item ERASMI *Chil.* I. *Cent.* II, *Adag.* 6. et 7. *pag.* 74. *sqq.* vt et BAIERI *Adag. Medicinal.* LXXII. *p.* 151. *sqq* et ibidem, *pag.* 149.

tuum morbum grauiorem facit. Quod ſcite ſic expreſſit in ſententiis ethicis, PVBLIVS SYRVS, *pag.* 12.

Grauiora quaedam ſunt Remedia periculis.

Vbi plures ſimilia, in *Notis poſtumis*, collegit IANVS GRVTERVS, *pag.* 173.

Quod licet valde paradoxon, aut oxymoron videatur; veritati tamen ipſi admodum conſentaneum eſſe, ab iis facile deprehenditur, qui ipſam ſedulo Artem tractant medicam, et fida quotidiana experientia edocti, probe didicerunt, non inaniter aut poëtice tantum, ceciniſſe quondam NASONEM:

Interdum docta plus valet Arte, malum.

Item MANILIVM, *Lib.* IV. *Cura nocet: ceſſare iuuat.*
Nec non GRATIVM: *Curâque potentia maior.* Vbi vid. PETR. BVRMANNI *Not. pag.* 292. *Tom.* I. *poët. Latin. minor.*

Quo et illud ſpectat veteris e medio aeuo, poëtae, qui vulgo SALVTARIS inſcribitur, apud BARTHIVM, DAVMIVM, aliosque:

Peſſima ne tollas, mala peiorare caueto:
Saepe necem generat inſtimulata febris.

Item iſtud alterius poëtae non ignoti:

Grauiora Morbis, patimur Remedia:
Nec Vita tanti eſt, viuere, vt poſſis mori.

Quem in ſenſum pariter quoque cecinit SANCTVS PAVLINVS, *Natal.* XII. apud MVRATORIVM, *Anecdot. Latin. Tom.* I. *pag.* 60.

Saeuior et morbis et vulneribus Medicina,
In corpus graſſata meum eſt, velut accidit illis,
Quos humana manus ſuſpecta viſitat arte etc.

Vbi conf. ſubiectas laudati MVRATORII *Notas.*

Vnde recte quaerit BALLONIVS, *Lib.* II. *Epidem. p.* 175. *An, quod optima Medicina ſit, non vti Medicina?* conf. et *pag.* 182. item REINESII *Var. Lect. Lib.* III. *cap.* 9. *pag.* 482. et HENR. AB HEER, *Obſ. med. rar.* XXIII. *pag.* 272. vbi illud laudat, ceu Liuianum: *Summum quandoque eſſe Medicamentum, nullo vti Medicamento.* Habet enim, habet profecto Medicina ſuos, et quidem perquam arctos ſaepius atque exiguos fines, quos omni licet adhibita vi et contentione acerrima, tranſili-

re

re haud licet. Hos ſcire inprimis decet probum Medicum, ne poten tius malum impotentiori arte temere adgrediatur, remediaque inſanabilibus adhibere fruſtra conetur, ſicque miſerrimum aegrotum inani et infructuoſa Medicina excruciet, aut in maius diſcrimen medendo, coniiciat: quod tum potiſſimum metuendum, *vbi potentius iam Malum apparet, quam vt minores per magiſtratus ſedari poſſit*, vt LIVII huc verba applicare liceat *†*). *Saepius enim nulla adhibenda ſunt medicamina, quod vſque adeo Naturae beneficio, aegroti conualeſcant, aut longius Vitam extrahant, vt eis nocitura ſit cura*, vt fere loquitur VEGETIVS g). Quare TROPHILVS, Medicus, quondam interrogatus, quis perfectiſſimus eſſet Medicus? ſapientiſſime per Deum! reſpondiſſe fertur h) ὁ τὰ δυνατὰ καὶ τὰ μὴ δυνατὰ δυνάμενος διαγινώσκειν, *qui ſcilicet probe dignoſcere valeret ea, quae per artem fieri poſſent, et non poſſent:* Quod et ipſe noſter HIPPOCRATES i) paſſim grauiter monet, qui omnium optime, longo rerum vſu et diuino iudicio adiutus, cognouit, quousque Medicinae fines pertingerent, vti ex ipſius ſcriptis, immenſae ſane frugis pleniſſimis, vberius patet. Quo et potiſſimum pertinet HIPPOCRATIS illius rediuiui, ſummi inquam BOERHAAVII, Amici quondam et fautoris noſtri aeternum colendi, grauiſſimum teſtimonium, digniſſimum profecto, quod et hic, et alibi, ſaepius legatur k): *Sed neque magis ſuos laudat ipſa Matheſis artifices, qui extricant, quod fieri per rerum naturam, poteſt; quam illum, qui certa ratione probat impoſſibilitatem rei propoſitae. Ipſum hinc etiam* HIPPOCRATEM, *qui Mathematicarum diſciplinarum vbique laudatur ſtudioſiſſimus, ſua quoque in arte, ſimilia profeſſum legimus. Ille enim, dum ſapienter ſuper officio Medici commentatur, haud minus inclareſcere peritiam medicantis aſſerit, quando impoſſibilem prorſus curatu morbum fuiſſe, re demonſtrat ipſa, quam vbi, curatione in ſanitatem producta, malum arte ſuperabile ſuſtulit. Modum enimuero habet, certosque agnoſcit fines, quibus definitur ſua cuique arti poteſtas, quos vltra nil valet.* Hactenus

†) *Lib.* XXV, *cap.* I.

g) *Art. Veterinar. Lib.* IV. *cap.* 7.

h) apud STOBAEVM, *ſermon.* C. *pag.* 557.

i) v. g. *Lib. de Arte, pag.* 8 *ſqq.* de *Vet. Med.* in *praenot. pag.* 447. init. et alibi, inprimis, *Lib. de Articul. pag.* 822. et *Lib.* I. *de Morb. pag.* 7. Conf. DIETERICI *Iatr. Hippocr. pag.* 240.

k) In *atrocis rariſſimique Morbi Hiſtoria altera*, mox ab initio.

nus ille. Haud igitur, opinor, ab re plane erit, hic aliquot tantum exemplis, ex innumeris fere, selectis, Medicorum iuniorum potissimum in gratiam, demonstrare, *Nullam Medicinam interdum optimam esse.* Faxit summum Numen feliciter! Ceterum ad hoc nostrum Argumentum hic a nobis tractandum apprime quoque faciunt GEDEONIS HARVEI Tractatus satyricus notissimus, *de Arte curandi Morbos, Expectatione,* cum vtilissimo STAHLII *commentario*, 1730. item similis argumenti *Dissertatio* B. nostri VATERI, Collegae quondam coniunctissimi, *de Curatione Morborum quae peragitur Expectatione, Witteberg.* 1746. et denique nouissime FRID. LVDOVIC. CAROLI SCHMIDT *Dissertatio, de Morbis Expectationem in medendo desiderantibus, Goetting.* 1759. Praesertim vero huc conferri diligenterque legi meretur DOMINICI RAYMOND *Traité des Maladies, qu'il est dangereux de guerir,* Avignon 1757. item WEDELII *Exercitat. Med. philol.* V. *Decad.* IX. *de Expectatione Medica, pag.* 34. *sqq.*

§. I. Sic igitur in *Morbis, per successiones quasdam quasi traditis*, vt eleganter iunior ait PLINIVS, et tristi onerosaque veluti haereditate acceptis, v. g. Epilepsia, Podagra, Arthritide, Calculo, Phthisi aliisque *nullam Medicinam optimam plerumque esse*, ecquis quaeso est, qui negare ausit? Laterem enim et aethiopem incassum lauabit, qui omnem massam sanguineam, omnes humores, omnes fibras neruosque, immo totum quasi hominem inuertere et denuo veluti creare conatus fuerit. Id quod recte solideque pluribus probauit BRVNO SEIDELIVS, integro Libro de *Morbis incurabilibus*, qui totus huc ad nostrum quidem argumentum spectat, vt et b. nostri RIVINI doctissima *Dissertat. de Morbis haereditariis*, quae est XXXV. in ipsius *Dissertat. med. Sylloge*, vbi plurima huius rei exempla miranda et notatu dignissima passim occurrunt. Namque, vt SENECA 1) sapienter monet, *Naturam quidem mutare difficile est, nec licet semel mixta nascentium Elementa conuertere: Nunquam enim reciduntur plane vitia corporis, quae nobiscum creuerant.* Νόσοι γὰρ ἀνθρώποις συγγενεῖς καὶ ξύντροφοι, ξυνεφηβεύουσι, ξυγκαταγηράσκουσι, καὶ ξυναποθνήσκουσι αὐτοῖς, *Morbi enim hominibus congeniti et connutriti, vna cum illis*

1) *Lib.* II. *de Ira, cap.* 20. et *cap.* 18.

illis pubescunt, consenescunt, et tandem commoriuntur, vt saepius elegantissime loquitur HIPPOCRATES, vti nuper admodum fusius ostendimus m).

§. II. Par est ratio in *Naeuis* sic dictis *maternis*, inprimis extantioribus et partibus musculosis et neruosis altius impressis, quos nullo fere modo eluere, aut eradicare licet: quin potius semper paene deteriores fiunt medendo, et nulla lima nullaque politura exteri possunt, vt mille propemodum exemplis probari hic facile posset, quae in variis solertiorum medicorum obseruationibus, vbiuis, legentibus occurrunt, velvti apud SEPTALIVM, SCHOOCKIVM, FINELLAM, GIANNINIVM, SCHENKIVM, HELLWIGIVM, BONETVM, THOMAM FIENVM et alios plures n).

§. III. In *Rhachitide* ipsa, communi fere illa misellorum infantum peste, Medicinam operosam plus saepe nocere, quam iuuare, notius profecto est, quam vt hic vberius doceri debeat: Serius enim ad sanitatem perueniunt illi, qui nimiis Medicamentis vexantur, quam, qui nullis, et sibi ac Naturae relinquuntur, prout multis argumentis atque exemplis egregie ostenderunt Medicorum praestantissimi, GLISSONIVS, MAYOW, SYDENHAM, BOERHAAVE, et nouissime, senior HAHNIVS, celebris ille per Silesiam, φίλυδρος καὶ φιλόλουτρος, in *Cyrtonoso*.

§. IV. *Varii oculorum Morbi*, variaeque Ophthalmiae, lippitudines et suffusiones, item, vbi pupillam crassior iam nubes superducta texit, et Gutta praesertim serena sic dicta, frustra plerumque et cum periculo, admota Medicina inprimis externa, impugnantur, quum aegerrime expugnari queant, vti notissimum: Quare perquam bene in hunc quidem modum scripsit olim SENECA o): *Nec Oculos tumentes tentabimus*,

m) In *Programmate* nempe nostro, de *Gibbo ex Nephritide potius, quam ex Phrenitide, orto*, adiecto dissertationi Med. Inaugurali Stentzelianae de HIPPOCRATIS *studio anatomico singulari*.

n) Conf. Cel. ALBERTI Dissertat. de *Morbis Noli me tangere*, haud ita pridem Halae publicata, quae generatim tota huc spectat: praesertim vid. SCHROECKII *Additament.* ad HELLWIGII *Obs. Med.* XXXV. *pag.* 126. *sqq.* Item BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Vol.* III. *Obs.* 83. *p.* 152. et STALPART VAN DER WIEL, *Obs. Med.* XXXVI. *Cent. poster. Part.* I. *p.* 384. *sqq.* Conf. si placet, *poem. nostr. Tom.* IV. *pag.* 28. *sqq.* in *Not.*

o) *Lib.* III. de *Ira, Cap.* 39.

mus, vim rigentem mouendo, incitaturi: nec cetera Vitia, dum feruent: quod ipsum, quod ad sensum spectat, scite sic expressit THEANO PYTHAGORICA, in Epistola lectu dignissima, ad NICOSTRATAM p): Τῆς νόσου τῶν ὀφθαλμῶν ἀπέχειν δεῖ τὰς χεῖρας: *Ab oculorum Morbo manus importunae sunt cohibendae. Oculi enim,* bene monente CELSO, *Praefat. Lib.* VII. *a Medicis diu vexati, sine his, interdum sanescunt.* Conf. BALLONII *Lib.* I. *Epidemior. pag.* 63. et *Lib.* II. *pag.* 262. item SEPTALII *Caut. Med. Lib.* VI. *pag.* 173. atque ibidem plenius, RHODII *Analecta, pag.* 297. *sqq.* vbi plures simul Auctores hanc in rem, laudantur. Quibus add. DOMIN. PANAROLI *Obs. med.* 9. *Pentecost.* IV. *pag.* 229. et inprimis RIEDLINI *Lin. Med. de Ann.* 1699. *Obs.* 12. *pag.* 146. *sqq.* vt et SALMVTHI *Obs. med.* 9. *Cent.* III. *pag.* 116.

§. V. Sic ante aliquot annos miseram vidimus seruam, cui oculorum inflammatione vehementissima laboranti, a temerario nimis chirurgo quodam in auxilium aduocato, frigida collyria et adstringentia epithemata crebro applicata fuerant: Vnde ipse oculi bulbus, horresco referens, in lapideum quasi scirrhum adeo vsque indurerat, vt ipse oculus pugno fere maior, ad horrorem formidinemque visentium, rigidus atque immobilis, per plura simul loca, foedissime fissus, extaret: Quo denique factum, vt ipse neruus opticus, vna cum ipso cerebro, adeo affligeretur, vt insultus epileptici et atrocissimae capitis collique conquassationes, artuumque tremores, et dirae tandem totius corporis contorsiones, nullis prorsus remediis superabiles, subsequerentur, donec demum miserrima illa famula inter terribiles clamores ac furores, animam tot

 malis.

p) In *Opusculis Mythologicis physic. et ethicis,* a THOMA GALE editis, *pag.* 746. add. DIONIS CHRYSOSTOMI *Orat.* XVII. *pag.* 247. vbi similis extat sententia, de Oculis aegris medelae impatientioribus. Quorsum et spectat illud, PLAVTI *in Persa, Act.* I. *Scen.* I. *Sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen,* item in *Bacchid. Act.* IV. *Scen.* 8. *Lippi illic oculi seruus est simillimus, si est, abstinere quin attingas, non queas.* Bene quoque monuit in hunc ipsum sensum, CAELIVS AVRELIANVS, *Lib.* III. *de Morb. acut. cap.* 18. *pag.* 249. *Lippientes manuum contactum affectare frequentant* Vnde et natum notum istud Graecorum Adagium: Ὅπου τὶς ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει, *vbi quis dolet, ibidem et manum habet,* vel breuius: *vbi dolor, ibi manus:* de quo plura vid. apud ERASMVM ROT. *Adag.* 44. *Cent.* I. *Chil.* II. *pag.* 446. *sq.* item BAIERI *Adag. Med.* LXXXII. *pag.* 169. et alios paroemiographos. Sed haec hac quidem occasione, obiter, et amoenae tantum varietatis gratia.

malis ſaeuis feſſam laborioſe exprimeret, vt alia exempla plura olim a me obſeruata, iam breuitatis ſtudio, omittam.

§. VI. In *Auditus* quoque *Vitiis*, inprimis a nerui acuſtici, aut membranae tympani nimia relaxatione, aut etiam tenſione, aliaue cauſſa intus latente, obortis, item in abſconditis auris interioris inflammationibus, et ſordidis praeſertim vlceribus, emanare ſolitis, optimam pariter ſaepius eſſe medicinam nullam externam, abunde compertum eſt. Per nimias enim liquidorum et oleoſorum praeſertim, remediorum iniectiones, oriculariosque Clyſteres, vt CELSVS ait, ſeu Otenchytas, meatum auditorium magis obſtrui, ſordibus oppleri, et inde ex ſurdaſtris, ſurdos prorſus demum fieri, vt alia pericula atrocia exinde vtique metuenda, iam taceam, alii pridem obſeruarunt, et noſmet ipſi haud ſemel vidimus, praecipue vero in virgine quadam nobili, quae nimium medicando et infundendo, auditum ſic tandem penitus perdidit. Conf. huc SCHNEIDERI noſtratis *Tract. de Oſſe cribriformi, pag.* 484. et alibi. Quare fotus potius oriculares, quam infuſiones, prudenter hic commendauit GALENVS, et ex illo, ALEXANDER TRALLIANVS q). Conf. HIPPOCR. *Lib.* VII. *Epidem. pag.* 857. et BALLON. *Lib.* II. *Epidemior. pag.* 270. et in *paradigmat. Tom.* III. *pag.* 320. item SEPTALII *Caution. Med. Lib.* VI. *pag.* 174. *ſqq.* ibique copioſius, RHODII *Analecta, pag.* 305. *ſqq.* vbi plures ſimul auctores in noſtram ſententiam proni, diligenter allegantur. Add. THOM. BARTHOLINI *Hiſt. anat.* 77. *Cent.* VI. et RIEDLINI *Cur. Med.* 237. *Centur.* III. *pag.* 139. item *Lin. med. de ann.* 1700. *pag.* 1255.

§. VII. *Eryſipelas* porro, vulgare et leue illud malum, vt quidem nonnullis, periculi haud ſatis gnaris, perperam videtur, cautiſſime etiam tractari debet; ne externa inprimis humida et refrigerante medela retro pellatur: vnde ſaepius gangraenam et ſphacelum, delirium, ſuffocationem, epilepſiam, apoplexiam, immo mortem adeo ipſam nonnunquam ſucceſſiſſe, ex fidis Medicorum monumentis conſtat r). Hinc CELSVS

q) *Lib.* III. *Cap.* 2. *pag.* 175. *ſqq.* Add. ZACVT. LVSITANI *Hiſt. Med.* LXI. *Lib.* I.

r) Vid. FRID. HOFFMANNI *Medicin. Rat. Syſtemat. Tom.* III. *Sect.* I. *Cap.* 8. *pag.* 187. quod Caput totum huc ſpectat. Agit enim *de damnis ex cuticulari Excretione cohibita,* vbi varia notatu digna exempla. Vid.

SVS [s]), ORIBASIVS [t]), veterumque alii vix audiendi ſunt, qui refrigerantia et reprimentia hic imponenda ſuadent, ne ipſa quidem aqua gelida excluſa, conſilio certe, quantum equidem intelligam, nec ſatis tuto nec ſatis prudenti.

§. VIII. Ita vidimus olim in Aula Naſſauica centurionem quendam, qui ex Eryſipelate, per humida acriaque cataplaſmata et epithemata, male tractato, et in feralem gangraenam ſphacelumque paene ipſum conuerſo, in atrociſſimum malum, cum ſummo vitae diſcrimine coniunctum, quondam inciderat, adeo, vt ipſum tandem tibiae os crudeli tabe exeſum, ſenſim excideret, et ipſius loco, quod iure mirandum, benigniore naturae ſua damna ſolerter reparantis munere, craſſiſſimus callus ſuccreſceret, vt iſte ſic ex inſperato ſeruatus, pede, licet aliquantum debili, tamen per omnem vitam, ceu altero, adhuc ſano atque integro, commode vti potuerit. De qua memorabili hiſtoria proxime, oblata opportuna occaſione, diſertius aliquanto atque diſtinctius tractare animus eſt, allatis ibi ſimul paribus prodigioſis fere caſibus, internati, poſt elapſam tibiam, craſſioris calli, ex BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Vol.* III. *Obſ.* I. et STALPART. van der WIEL, *Obſ. Med.* 96. *Cent.* I. *pag.* 391. *ſqq.* aliiſque pluribus. Ceterum ſimilia fere Eryſipelatis ſic male curati et in tetram gangraenam mutati, exempla deploranda, a ſe olim obſeruata, candide retulerunt HILDANVS [u]), et SCHELHAMMERVS [v]).

§. IX. *Guttam* itidem *Roſaceam*, (tam venuſto floridoque nomine vix dignam) crudelem illam formarum elegantiorum vaſtatricem, item et impetigines, lentigines, ſeu lenticulas, lichenes, varos, et ephelidas, ceteraque vitia, quae faciem decoram maculant, vt SERENVS ait SAMO-

 NICVS

Vid. et *Tom.* IV. *Sect.* I. *Cap.* 13. *p.* 309. *ſqq.* Add. SIMON. PAVLLI *Quadripart. Botan. Claſſ.* III. *pag.* 214. praeſertim vero *p.* 488. et GABELCHOVERI *Cent.* III. *Curat. Med.* XII. et XIII. item IO. LANGII *Epiſt. Med.* XXXII. *Lib.* I. de *falſa Eryſipelatis Curatione*, et SAPORTAE *Lib.* II. de *Tumor. praeter Nat. Cap.* 4. Add. inprimis HAGENDORN. *Obſ. med.* 38. *Cent.* I. *pag.* 66. et RIEDLINI *Lin. Med.* de ann. 1700. *pag.* 7. *ſqq.* et *pag.* 278. *ſqq.*

s) *Lib.* V. *Cap.* 26. *n.* 33.

t) *De Morb. Curat. Lib.* III. *Cap.* 47.

u) *Cent.* I. *Obſeru. et Curat. Chirurg.* 82. *pag.* 225.

v) *Lib. de Natura, Part.* II. *Cap.* 7. *p.* 302. Add. B. RIVINI Diſſ. de *Morbo retrogrado*, *pag.* 742. Syllog. *Diſſert. Med.* vbi plura exempla ex variis Medicis collecta, quibus add. laudatos modo a nobis Auctores, et DOMINICVM RAYMONDVM, iam ſupra citatum.

NICVS, externae inprimis medelae intempestiue admotae, vim impetumque ferre non posse, tristi passim experientia vberrime confirmatum legitur. Vid. huc inprimis RIEDLINI *Lin. Med. de ann.* 1698. *pag.* 623. *sqq.* et *Cur. Med.* 166. *Cent.* 11. *pag.* 67. item et *Lin. Med. de ann.* 1706. *obs.* 22. *pag.* 1444. quibus exemplis sequens praesertim perquam memorabile iure addendum.

§. X. Nouem iam praeter propter anni elapsi sunt, quum nobilissima quaedam et natalibus, et ingenio, et fausto denique connubio foemina, formae conseruandae suique cultus curae iusto forsan studiosior, faciem rubris maculis crebrisque ac subitis tumoribus passim deturpatam aqua quadam cosmetica albida, forte ex Mercurio sublimato, aut arsenico ipso parata, a balneatore quodam ipsi ingenti pretio vendita, quotidie aliquoties lauaret; sed tam funesto eheu! cum euentu, vt faciem quidem nitidam recuperaret; subito vero dulcissimum ante omnia, oculorum vsum amitteret, simulque atrocissimis capitis doloribus, sine vlla intermissione, saeuientibus, infestaretur, donec inter dirissimas conuulsiones et miserrimos cruciatus et eiulatus, frustra quidem conuocatis medicis, vt attentissimo consilio, ambiguae salutis remedia, at nimis sero, circumspicerent, in ipso viridis aetatis flore, ita festinantibus fatis, extingueretur matrona illa, omnibus, dum vixit, ob virtutes, amabilis, et, cum excessit, desiderabilis, nobisque ipsis perquam flebilis. Plura vero similia eiusdem moesti euentus exempla collecta exhibet HIERONYMVS MERCVRIALIS [x]), et ex eo PLATNERVS [y]), nec non RIVINVS, praeceptor quondam noster venerandus [z]).

§. XI. In *Scabie* quoque, foedo illo mortalium malo, idem fere obseruare saepius licet, dum scilicet per intempestiuam Medicinam, subito versus interiora pulsa, diras admodum Tragoedias excitare solet. Hinc optime iam olim monuit VEGETIVS [a]): *Nascenti Scabiei Medicamentis non oportet occurrere, ne praeclusa cute, in visceribus residens,* con-

x) *Lib. de Decorat. Cap.* XII. *pag.* 18. add. IAN. NIC. ERYTHRAEI *Exempl. Virt. et Vit.* 172. *pag.* 326.

y) *Programm. de Pallore, per aduersam Valetudinem quaesito, pag.* 8. Conf. *Programma* nostrum *de Remediis Veterum Cosmeticis, eorumque Noxis, Witteberg.* 1757. *pag.* 10. *sqq.*

z) *In Dissertat. de Morbo Retrogrado,* quae tota huc spectat, *pag.* 741. Syllog. *Diss. Med.*

a) *De Arte Veterinar. Lib.* III. *cap.* 71.

couertatur in morbum: quae ipſa ex *Hippiatricis graecis*, vt plura alia, tranſumſit; ita enim ibi ABSYRTVS et HIEROCLES b): εἰ ψώρα ἐπιγίγνοιτο, ȣ δεῖ παραχρῆμα αὐτὴν θεραπεύειν, ἀλλὰ ἐᾶσαι, μέχρις ἂν ἔξω τραπῇ πᾶσα. κ. τ. λ.

§. XII. Innumera autem fere mala immedicabilia ab incautius retro acta, per externa potiſſimum remedia, ſcabie, ſubito ſubnata fuiſſe, in diligentiorum Medicorum Obſeruationibus fide dignis, vbiuis adnotatum legitur. Ita ipſe HIPPOCRATES noſter c), Viri cuiusdam meminit Athenienſis, qui teterrima et pertinaciſſima ſcabie per totum corpus obſitus, poſt intempeſtiuum Thermarum Meliarum vſum, tandem in letalem incidit hydropem. Caecicatem, febrem, et demum mortiferam Epilepſiam eiusmodi peruerſae ſcabiei medicationi ſuccedaneam fuiſſe, obſeruauit SENNERTVS noſter d), et ex eo BAGLIVVS e), item TRINCAVELLIVS f), RIEDLINVS g), HILDANVS h), et ex illis RIVINVS i), atque HOFFMANNVS k), qui plura inprimis habet huiusmodi funeſtae curationis exempla. Paralyſin inde obortam fuiſſe, adnotauit HOECHSTETERVS l), ſummam vero ſpirandi difficultatem, vna cum inſigni oris amarore, ſine febre, BINNINGERVS m); vehementiſſimam vertiginem et grauiſſimam totius corporis laſſitudinem,

b) *Lib.* II. *Cap.* 69. *pag.* 187.

c) *Lib.* V. *de Morb. Epidem. pag.* 769. *Tom.* I. *Opp.* LIND. Conf. BALLONII *Lib.* I. *Epidem. pag.* 47. et ANTON. COELESTIN. COCCHII *Epiſtol. phyſico med. cap.* 4. *pag* 44.

d) *Prax. Med. Part.* III. *Sect.* II. *c.* 44. vbi plura, qua huc faciunt.

e) *Lib.* II. *Prax. Med. pag.* 228.

f) *De Rat Cur. part. corp. human. affect. Lib.* II. *Cap.* 6.

g) *Lin. Med. Ann.* 1696. *pag.* 205. item *Ann.* 1695. *pag.* 126. *Ann.* 1697. *pag.* 459. *Ann.* 1698. *pag.* 1008. *Ann.* 1699. *p.* 541. *p.* 626 *ſqq.* et *pag.* 1315. *ſqq.* denique *Ann.* 1700. *pag.* 25. *ſqq.* et *pag.* 1094. in quibus locis omnibus vbique triſtia ſcabiei retro pulſae exempla.

h) *Cent.* III. *Obſſ. Chirurg.* X. *p.* 56.

i) *Diſſ.* ſaepius laudat. *de Morbo retrogrado, pag.* 741.

k) *Med. Rat. Syſtemat. Tom.* III. *Sect.* I. *Cap.* 8. *pag.* 182. Quem et inprimis vid. *Tom.* I. *Opp. pag.* 336. *ſqq. Tom.* III. *p.* 29. et *pag.* 428. et *Tom.* IV. *pag.* 47. vbi complures diui luctuoſique effectus ſcabiei intempeſtiue retro actae diſerte enarrantur: vt et apud HAGENDORN.. *Obſ. med.* 9. *Cent.* I. *pag.* 17. et *Obſ.* 92. *pag.* 133. item COCCHIVM, *Epiſt. med.* modo citat. *pag.* 41. *ſqq.* et rurſus laudati iam RIEDLINI *Obſ. med.* 38. de *Ann.* 1682. *pag.* 85. praeſertim in *Ephem. Nat. Cur. Dec.* II. *A.* VIII. *Obſ.* 116. et *Cent.* VIII. *Obſ.* 32. et *Cent.* IX. *Obſ.* 9. et paſſim alibi; ſunt enim iſtae triſtes obſeruationes vbique longe frequentiſſimae.

l) *Decad.* VIII. *Obſ. Med. pag.* 245.

m) *Cent.* V. *Obſ.* et *Curat. Med.* 88. *p.* 602.

nem, GABELCHOVERVS n), ſenſuum ſtuporem, mentis alienationem, poſt Cachexiam, inde Hemiplegiam, et tandem mortem ipſam hinc inſequutam fuiſſe, exemplo perquam flebili monſtrauit amicus quondam noſter ſuauiſſimus, nunc eheu! deſiderabilis, B. SCHVLZIVS o), letalem denique apoplexiam, vt finem tandem faciam, exinde ſucceſſiſſe, memoriae prodiderunt MOEBIVS p), item Auctores MISCELL. NATVRAE CVRIOS. q) BONETVS, BARTHOLINVS, FORESTVS, AMATVS LVSITANVS, et alii plures. Cum primis vero tota huc pertinet LVD. CHRIST. IVNCKERI, *Diſſertatio de Damno, ex ſcabie repulſa, et Remedio illud euertente, Halae,* 1750. vbi complura, quae huc ſpectant, lugubria eiusmodi exempla, memoratu digniſſima, coniunctim habentur.

§. XIII. Sic, vt nos quoque ipſi, conſueto more, ſymbolam noſtram huc conferamus, vidimus olim venuſtam et opulentam Virginem, filiam vnicam, quae, vt nuptiis familiaris ſibi puellae intereſſet, et munda tum nitidaque appareret, quum foeda ipſam ſcabies antea nonnihil inquinaſſet, ſuae ſalutis puellariter nimis incurioſa, ex peruerſo vnguenti cuiuſdam ſulphurati, aut Mercurialis vſu, primum in grauiſſimas animi defectiones, mox autem in atrociſſimas totius corporis conuulſiones incideret, quae nec per appoſita grandia veſicantia, nec per largam venae ſectionem, nec per valentiora enemata, nec per acriores phoenigmos ac dropaciſmos, nec vlla denique alia artis praeſidia, quantumuis potentiſſima, compeſci ac ſubigi poterant, donec breui poſt, mors ipſa dira raperet miſellam illam puellam, vitae ſic ſuae iuuenilis nimis prodigam. Verum aliquanto felicius haud ita pridem, imminens vitae periculum euaſit puella nobis domeſtica, quae ſcabie pariter foedata, diuturnioris autem ſecuriorisque curationis iuſto impatientior, per futiles quaſdam vetulas, ſagasque male ſagaces, turpiter inducta, me prorſus inſcio, clanculum quoque vnguento quodam antipſorico mercuriali ſeſe incaute inunxerat, vnde ipſa ſcabie reſiccata ac retro pulſa, ſtatim inſequuta varia ſymptomata diriſſima, ſcilicet ſaeuiſſima perpetuaque cephalalgia, rubor

n) *Centur.* II. *Obſ. Med.* 42. *pag.* 61.

o) *In diſſ.* de *Caſibus aliquot notabilibus Aegrotorum mente alienatorum, aut peruerſorum, Caſ.* I. *pag.* 5.

p) *Inſtitut. Med. p.* 65. et ex eo HOFFMANNVS, l. c. *pag.* 182.

q) *Dec.* I. *Ann.* I. *Obſ.* 58.

bor tumorque totius faciei, oculi exſtantes, turbidi, ſanguineisque ſtriis hinc inde ſuffuſi, aſthma anhelum, vomitus continuus, omnium ciborum nauſea et reiectio, aeſtus, cum ſiti arida, perpetuus, delirium per intervalla, noctes prorſus inſomnes et vigiliae continuae, aliaque mala grauiſſima, ita, vt de triſtiſſimo euentu merito metueremus. Ego vero veram huius tam ſubitae cateſtrophes cauſſam ſenſim odoratus, precibus tandem minisque infelicem illam puellam de ſalute ſua nunc ſero nimis anxiam, eo adegi, vt culpam poenitens fateretur, et in lacrymas ſoluta, deprecaretur. Quo facto, protinus bina praegrandia veſicatoria vtrique ſurae applicandae cenſui, idque tam ſalutari cum effectu, vt quaſi ex apertis fontibus, ſerum acre foetidumque per complures dies noctesque, vberrima copia, emanaret. Vnde, additis nonnullis remediis internis ſalutaribus, omnia illa deterrima ſymptomata ſenſim ſopita remiſerunt, ſicque demum, Dei beneficio, e mediis veluti orci faucibus erepta fuit imprudens illa puella, moeſto exitio iamiam deuota.

§. XIV. Pariter, ante hos decem fere nunc annos, iuuenis me acceſſit mercator, auxilium meum fruſtra eheu! imploraturus, qui eodem pruriginoſo cutis aſperatae malo nonnihil foedatus, morae impatientior, ad eiuſmodi vnguenta damnoſa ac feralia confugit, ſpe vana inflatus, quod per illa, ad citam ſalutem contendere poſſet: ſed tam lugubri cum euentu, vt protinus tantam vocis raucedinem contraheret, vt ne verbum quidem clarum ac ſonorum effari valeret. Sequebantur illico aſthma pectoris ſiccum, reſpiratio fracta et impedita, languidum ciborum omnium faſtidium, tuſſis ferina, per noctes prorſus inſomnes, inprimis moleſta, ſudores nocturni copioſi, olidi et colliqueſcentes, tandemque poſt tot malorum coniunctorum cateruam, ineuitabile fatum, quum nondum annum aetatis viceſimum quartum expleuiſſet mercator ille, ſic ſuo quaſi aere, mortem ſuam improuide mercatus.

§. XV. Quo et pertinent frequentia illa, ſed ſalutaria plerumque tenellorum puerorum mala ſordida, ſcilicet *achores, tinea, faui,* ſeu *ceria, melicerides*, et alia id genus acris et impuri humoris abundantis recrementa, quae nimirum per externa remedia refrigerantia et exſiccantia, ſubito intempeſtiue repreſſa et intro pulſa, atrociſſimos morbos, veluti ophthalmiam, ipſam caecitatem, coenoſa aurium inflammatarum vlcera,

edaces faucium linguaeque aphthas, tuſſim violentam, lentam tabem, catarrhum ſuffocabilem, ſaeuum delirium, febres omnis generis pertinaciſſimas, epilepſiam diriſſimam, conuulſiones diſtortiſſimas, apoplexiam perniciſſimam, ſurditatem repentinam, foeda ſerpentiaque narium labiorumue vlcera, aliaque plura mala, et mortem denique ipſam frequentiſſime pepererunt, prout id multis funeſtis exemplis lectu dignis potius, quam iucundis, e variis ſcriptoribus medicis opportune petitis, affatim probarunt Viri non ſine laude et honoris praefatione, nominandi, RIVINVS[r]), HOFFMANNVS[s]), atque demum STAHLIVS[t]). Quibus praeſertim addatur HAGENDORNIVS, *Obſeruat. med.* 8. *Cent.* I. *pag.* 15. *ſqq.* et quem ibi ſimul laudat, FRANCKVS, *Ephem. German. Ann.* V. *Dec.* II. *Obſ.* 224. Periculoſam febrem achoribus intempeſtiue exſiccatis ſubito ſucceſſiſſe, obſeruauit RIEDLINVS *Curar. med.* 879. *Cent.* IX. *pag.* 612. cuius et vid. *Lin. Med. de Ann.* 1700. pag. 1256. vbi ſimul adnotauit, pertinacem auditus difficultatem a ſuperuenientibus naturae beneficio, opportune achoribus, feliciter tandem penitus ſublatam ac curatam fuiſſe. Alia vero atrociora mala ſubitam achorum exſiccationem protinus inſequuta, enarrat SPINDLERVS, *Obſ. Med.* XXIII. *pag.* 41. *ſq.* vbi inprimis vid. *Scholium.*

§. XVI. Teterrimam quoque illam narium delicatiorum peſtem, trucem nimirum *alarum olidarum caprum*, et immundum praeſertim *pedum prurientium ſudorem*, ſit venia dicto et honos auribus! per externa remedia refrigerantia, adſtringentia et exſiccantia, protinus repreſſum ac cohibitum, eaſdem plerumque lacrimabiles traegoedias concitare, pariter prudenter adnotatum fuit a diuerſis medicis diligentioribus. Vid. huc inprimis DOMINI PANAROLI *Obſeru. med.* 16. *pentecoſt.* III. *pag.* 147. et VIT. RIEDLINI *Lin. med. de ann.* 1700. *Obſ.* 22. *pag.* 1443. *ſqq.* Memorabile inprimis huius rei exemplum, loco paene alieno, et vix ibi obſeruabili, retulit SIMON PAVLLI[u]), de Sororio ſuo, qui

r) In *Diſſ.* ſaepius laudat. de *Morbo Retrogrado*, *pag.* 741.

s) *Medicin. Rat. Syſtemat. Tom.* III. *Sect.* I. *Cap.* 8. *pag.* 181.

t) In *Collegio Caſuali* ſic dicto *minore*, *Caſ.* LXIX. *pag.* 335.

u) In *Quadripartit. Botanic. Claſſ.* III. *p.* 196. voce *Anagallis*: quis vero ibi quaerat iſtam practicam Obſeruationem notatu certe digniſſimam? Ceterum conf. PAVLLINI *Obſ. Med.* 39. *Cent.* I. et *poem.* noſtr. *T.* IV. *pag.* 35. in *Notis*, vbi plura exempla.

qui ex ſimili foetido pedum madore, per limaturam ferri frequentius magna copia inſperſam et ingeſtam, e praepoſtero male ſeduli chirurgi conſilio, mox in anxiam moleſtamque cordis palpitationem, poſtea in atrocem et nodoſam podagram, et lapidoſam denique arthritidem incidit, qua ruptis cum ſummo dolore, digitorum condylis, materia gypſea, lenta, alba, in ſpiras, aliamue formam contortilis, quotidie affatim egerebatur, donec inter atrociſſimos illos dolores, vitae male viuae pertaeſus, mortem tandem exoptatam inueniret, ceu vnicum miſeriarum ſuarum inelustabilem portum: quam ſingularem hiſtoriam ex eodem repetiit, cum prudentiſſima epicriſi, HOFFMANNVS [v]).

§. XVII. Simile fere lamentabile exemplum quondam ipſi vidimus, Francofurti ad Moenum, in nobili quodam aulae imperatoriae ſcriba, iuuene negotiorum publicorum ſupra aetatem, peritiſſimo, atque hinc meliore fato digniſſimo, qui, quum ſordidum eiusmodi pedum olentium ſudorem, propter quotidianum cum ipſa aula, commercium, ferre diutius non poſſet, remedia ſtaltica et ſtyptica externa, in ſua damna, petiit a chirurgo quodam temerario, et ſui potius lucelli, quam alienae ſalutis, ſtudioſo: vnde pariter mox ſubſequebatur rauca ac ſuſpirioſa vox, aſthma ſiccum, cum tuſſi arida rebelli, totius corporis oſſea quaſi macies, noctes exſomnes et turbulentae, moleſtiſſimae, tractuoſi olidique ſudores, inſignem artuum omnium languorem poſt ſe relinquentes, intolerabilis capitis, praeſertim autem ceruicis, grauitas, obtuſus ſenſuum ſtupor, atque inde omnium rerum menti olim impreſſarum, aut caliginoſa obliuio, aut confuſa et obſcura recordatio, manuum tremores, crurumque vacillationes, et alia triſtiſſima mala. Licet igitur, quam ſolertiſſima cura, perpetim adhibita, per balnea, fotus, ſcarificationes, frictiones, dropaciſmos, veſicantia, immo et denique fonticulos ipſos, repreſſus iſte fatalis ſudor, perquam arduo labore, tandem in pedes auſpicato reduceretur: nihil quidquam tamen dira iſta ſymptomata remittebant; quin potius vno eodemque modo, praefracte ſemper decurrebant: quoniam nempe acris illa madoris materia, ſemel ſubito repercuſſa, altius iam impacta haerebat pulmonibus vitiatis, quam vt vlla humana ope, aut arte, in pedes deſertos reuocari denuo potuiſſet:

v) *Med. Rat. Syſtemat.* Tom. III. Sect. I. Cap. 8. pag. 192.

potuiſſet: non licet enim, acute monente SENECA x), *latentem morbi vim, et in medio iam ſedentem, ad extrema reuocare.* Ceterum, ſimilem in modum, ex ſuppreſſo *i*ntempeſtiue pedum ſudore, inſequutam illico fuiſſe pertinacem vocis corruptae raucedinem, vertiginem, et ipſam denique ophthalmiam, obſeruauit BONETVS, cum aliis. Saepius autem ipſam diram Epilepſiam exinde obortam fuiſſe, adnotauit nouiſſime Cl. DOMINICVS RAYMOND, in Tractatu ſuo gallico doctiſſimo, *de Morbis, quorum curatio ſummo cum periculo ſuſcipitur, Avignon.* 1757. vbi et plura alia, quae ad hoc noſtrae Diſſertationis Argumentum generatim ſpectant, occurrunt, lectu non minus digna, quam iucuuda, vt iam ſupra a nobis, ſuo loco, opportune monitum fuit.

§. XVIII. Ecquis vero potiſſimum, quaeſo, neſcit peſtilentiſſimum illud et inexpugnabile prorſus *cancri edacis teterrimi virus,* quod nec vllis medicamentis internis, quantumuis generoſiſſimis, facile obtemperat, nec potentiſſima omnium totius naturae et artis inſtrumenta, vrentes inquam, flammas et ſtrictos ferri mucrones trepide reformidat; ſed potius, ad omnem paene tactum, acrius excandeſcit, ſaeuius inſurgit, et admotis ignibus atque ferramentis, effrenatius rebellat? Quare veriſſimum ſemper fuit, ſemperque erit, heu! piget fateri, triſtiſſimum illud CORNELII CELSI noſtri y) effatum, a quotidiana quippe experientia ſatis ſuperque vbique confirmatum: *Carcinomata curationibus irritantur, et quo maior vis adhibita eſt, eo magis: Quidam ferro aduſſerunt: quidam ſcalpello exciderunt: neque vlla vnquam medicina profuit; ſed aduſta protinus concitata ſunt, et increuerunt, donec occiderent. Exciſa, etiam poſt inductam cicatricem, tamen reuerterunt, et cauſſam mortis attulerunt.* Quis ergo, quis, obſecro, nunc temere negauerit, *nullam medicinam in carcinomatis actandis, ſolam, ſolam, inquam, eſſe optimam?* Quapropter omnibus illis mortalium miſerrimis, qui vel vana prorſus ſpe immedicabilis iſtius mali vincendi, fruſtra illecti, vel a ſplendide mendacibus ſalutis reſtituendae promiſſoribus infeliciter inducti, medicinam in ſua certiſſima damna, ac feſtinantia fata, applicari ſibi paſſi ſunt, commode aptari illud poteſt, quod in veteri lapide Romano exaratum legitur z):

Irrita

x) *Epiſt.* XCV.

y) *Lib.* V. *Cap.* 28.

z) Vid. GVIL. FLEETWOOD *Inſcript. Antiquar. Sylloge, pag.* 523. Conf. ſimilem fere locum ex ST. PAVLLINI *Natal.* XII, *iam ſupra obſeruatum.*

Irrita letiferos auxit medicina dolores,
Creuit et humana morbus ab arte meus.

Sed quoniam de hoc ipſo argumento moeſtiſſimo, haud ita pridem, data opera, egimus, eiusque inconcuſſam veritatem exemplis fere innumeris, cum ex aliena, tum propria quoque experientia, depromtis, ſolide, opinor, corroborauimus [a]); ideo fuſius ibi dicta, ob metuenda inde lectorum faſtidia, iam hic repetere nolumus.

§. XIX. Sed idem fere obſeruandum eſt de *Scirrhis*, praeſertim longiore temporis tractu, in duritiem inſuperabilem iam coactis. Iſti enim remediis emollientibus, reſoluentibus et diſcutientibus nimium tractati ac vexati, nec miteſcunt, nec loco ſemel occupato cedunt: ſed medelis admotis acrius exaſperati, quaſi vitioſi parentes, plerumque daturi ſunt progeniem longe vitioſiorem, diros nempe cancros et truculenta carcinomata, nulla plane humana ope et ſolertia ſubigenda aut exſtirpanda, ceu paullo ante paucis, vberius vero alibi, demonſtratum eſt. Quorſum et *ſtrumae*, ſeu *choerades*, inprimis pertinent, *quae vel praecipue fatigare Medicos ſolent, quoniam nec febres mouent*, (ſic enim legendum videtur, pro *et*,) *nec vnquam facile matureſcunt; et, ſi ferro, ſiue medicamentis curantur, plerumque iterum iuxta cicatrices ipſas, exſurgunt; multoque poſt medicamenta, ſaepius*, vt vere eleganterque ſcribit CORN. CELSVS, *Lib.* V. *cap.* 28, 7. add. GALEN. *Lib.* I. *de Loc. affect. cap.* 6. *p.* 396. *Tom.* VII. PAVLL. AEGINET. *Lib.* IV. *cap.* 53. ACTVAR. *Lib.* II. *de Cognit. affect. cap.* 37. ORIBAS. *Synopſ.* VII, 29. aliosque plures, iam olim a nobis laudatos, in *Obſſ. crit. Lib.* II. *cap.* 22. *pag.* 135. *ſqq.* vbi hac ipſa de re, plura. Hinc et hic, omnium rectius ſentientium Medicorum vnanimi ſuffragio, *nulla Medicina optima eſſe ſolet*, prout e contrario, innumera fere calamitoſa docent exempla, in Obſeruationum Medicarum Auctoribus paſſim obuia.

§. XX. De *Morbis* etiam *articularibus* contumacioribus, ſpeciatim autem acerbiſſimo illo pedum diſtortorum tormento, *podagra* nempe,

 praeſertim

a) In *Diſſertat.* noſtra, *de nociua Cancri inueterati exſtirpatione nouis Exemplis demonſtrata, Wittebergae,* 1752. quam ſupra meritum, nuperrime vehementer laudauit laudatiſſimus Medicorum et Anatomicorum, illuſtr. MORGAGNVS, in opere praeſtantiſſimo, *de Sedibus et cauſſis Morborum, per Anatomen indagatis, Tom.* II. *Lib.* IV. *Epiſt.* 50. *pag.* 270. vbi et plura, quae huc potiſſimum ſpectant, de pertinaci Cancri natura, et curatione difficillima ac fallaciſſima, ſcitu ſane ac notatu digniſſima.

praesertim inueterata, verissimum adhuc est in hunc vsque diem, istud vel pueris notum, *Ouidianum:*

Tollere nodosam nescit Medicina podagram.

cui geminum plane illud GRATII FALISCI, in *Cynegetico:*

Aut incuratae siqua est tutela Podagrae.

Hinc et ipse HIPPOCRATES noster b) morosi illud et pertinacis morbi genus summo iure ita describit: Ποδάγρη βιαιότατον μὲν τουτέων ἁπάντων, ὁκόσα περὶ τὰ ἄρθρα, καὶ πολυχρονιώτατον καὶ δυσαπαλλακτότατον, *Podagra violentior est omnibus eiusmodi circa articulos morbis, per longissimum tempus durans et difficillime cedens morbus.* Alibi vero c), ipsam suae artis impotentiam in expugnanda Podagra, apertius, more suo candido, fatetur: Γέροντες ποδαγριῶντες, καὶ περὶ τοῖσιν ἄρθροισιν ἐπιπωρώματα ἔχοντες, οὗτοι πάντες ἀδύνατοι ὑγιέες γίνεσθαι ἀνθρωπίνῃ τέχνῃ, ὅσον ἐγὼ οἶδα, *Senes podagrici, et circa ipsos articulos, callos tofaceos concretos iam habentes, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantum ego ipse noui.* Quo et praesertim spectat viua illa spiransque dirae podagrae pictura, apud CASSIODORVM, *Lib.* X. *Variar. sect.* 29. *pag.* 668. *Haec passio insanabilis, et sanitas passibilis, ligat solutos, contrahit neruos, et decrescere facit corpora, quae nulla sunt mutilatione truncata. Constantibus membris proceritatis mensura perit, et minor cernitur, cui nihil subductum esse sentitur. Haec viua mors supra omnia tormenta, sana dicitur. Deserit quidem dolor; sed dimittit reliquias fortiores, et nouo infelicitatis exemplo, passio videtur abscedere, et aeger non desinit aegrotare* etc. vbi vid. si lubet, reliqua, bene multa. Inde et Podagra, ceu dea omnium potentissima et inuictissima, a facetissimo LVCIANO d), in scenam producta, inter alias plures magnificas nimis et gloriosas ostentationes et iactationes, quae ibi per otium, cum voluptate, legi possunt, sese vocat ἀνίκητον δεσπότιν πόνων, ἣν οὔτε Παιὰν φαρμάκοις νικᾷν σθένει, οὔτε πολυμαθὴς Ἀσκληπιός, *Insuperabilem plane morborum Reginam, quam nec ipse* PAEAN, *nec doctissimus* AESCVLAPIVS *medicamentis vincere possit*, et interiectis multis aliis, tandem ita finit:

Γιγνωσκέτω

b) De *Affect. pag.* 180. *Tom.* II. *Opp.* per LINDEN.

c) *Praedict. Lib.* II. *pag.* 498. *Tom.* I.

d) In *Tragopodogra, Tom.* II. *Opp. pag.* 805. *sqq.* item in *Ocypo*, ibidem, *p.* 824. *sqq.* Conf. BYNKERSHOEK *Obss. Iuris Rom. Lib.* III. *Cap.* I. *pag.* 214. et FELTMANN. *de Deapodagra, Cap.* XX. *pag.* 107. *sqq.*

Γιγνωσκέτο δὲ πᾶς τις, ὡς μονὴ Θεῶν
Ἄτεγκτος ἔσα φαρμάκοις ἐ πείθομαι.
At norit vnus quisque, me solam omnium
Illacrimabilem et immedicabilem deam.

§. XXI. Tradunt quidem ARISTOTELES e), et ex eo IVLIVS POLLVX f), item ALEXANDER TRALLIANVS g), DEMETRIVS PEPAGOMENVS h) vt et ex parte CELSVS i), CAELIVS AVRELIANVS k) veterumque alii plures, nullam paene podagram esse insanabilem; inde et ipse PLINIVS l) haud veretur ita scribere: *Insanabilis non est credendus Podagrae morbus, quippe quoniam et in multis sponte desiit, et in pluribus, cura.* De quo remedio antipodagrico certo ac securo, aliquando, feliciore aeuo, adhuc inueniendo, nec ipse dubitat SYDENHAM, a podagra ipsa saeuissime per vitam excruciatus, *Tract. de Podagra*, in fine: quamuis ibi simul ingenue fateatur, illud quidem desideratissimum Remedium specificum in profundo DEMOCRITI puteo adhuc altius demersum latere, atque in abdito Naturae sinu reconditum occultari, adeo, vt ipse inde dubitet, nesciatque, quando, et a quibus, illud tandem, laetioribus auspiciis, in commoda publica, protrahatur: quod et nos optamus magis, quam speramus. Quale tamen re ipsa habuisse dicitur magnus ille diuesque chemicus, IO. BAPTISTA BARTOLVS, de quo mirandam podagrae pertinacissimae, a se perfecte persanatae, historiam, facunde, vt solet, enarrat elegantissimus ille IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, *Pinacothec.* II. *pag.* 75. Quorum splendida auctoritate inductus, idem, recentiore aeuo, affirmare sustinuit Vir eleganter doctus, GERHARD. FELTMANNVS m), ipse tamen tandem in se ipso fallaciam artis expertus, et vana vincendi mali inexpugnabilis spe misere delusus. Sed, siue deteriores nunc facti sint homines, quam olim fuerint; siue Medicina ipsa iam inefficacior depre-

e) *Lib.* VIII. *Hist. Animal. Cap.* 22.
f) *Onomastic. Lib.* V. *Cap.* 8. *pag.* 505. *Tom.* I. vbi vid. variorum Notas. conf. TITII *Obss.* ad GRATII FALISCI *Cyneget.* *pag.* 291. *Edit.* BVRM.
g) *Lib.* XI. *Cap.* I. *pag.* 598. *sqq.*
h) *Lib.* de *Podagra*, a celeb. nobisque amicissimo Viro, IO. STEPH. BERNARDO, cum eruditis Notis, *Lugd. Bat.* 1743. denuo edito.
i) *Lib.* IV. *Cap.* 24.
k) *Lib.* V. de *Morb. Chron. Cap.* 2.
l) *Lib.* XXVI. *Cap.* 10.
m) In lepido et lectu iucundo *Libro, de Dea Podagra, Capp.* XXIII. et XXXII. etc. vbi plura, quae huc spectant.

deprehendatur, quam priſcis fuerit temporibus; hodie certe vix vllum inuenitur remedium, quantum mihi quidem conſtat, quod certam ſalutem in hoc conclamato morbo abigendo et ſuperando, ſpondeat, et ſaeviſſimum hunc pedum tyrannum perfecte expugnet, quidquid etiam pauperculi opulentorum arcanorum antipodagricorum poſſeſſores, et certiſſimorum auxiliorum promiſſores magnifice mendaces temere iactent, dum, vt illae fatidicae et mirificae Gallicenae, apud MELAM [n]), *ſanare audent, quae apud alios, inſanabilia ſunt:* quorum amplum catalogum pertexuerunt LINDENIVS, MERCKLINVS, atque alii: quos inter forſan et referendus nouiſſime fuerit iſte DALE INGRAM, chirurgus Britannus [o]), qui podagram per balnea et fonticulos, eluere, atque per cauteria, exurere ſtuduit; fruſtra omnino, ſi quid rectius iudicem, et inani opera: neque enim podagricis, vt ſic loquar,

ſub gurgite vaſto

Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

§. XXII. Melius ergo ac ſapientius e contrario, in hunc ſenſum ſcripſit olim SENECA [p]): *Non perueni ad ſanitatem, ne perueniam quidem: delinimenta magis, quam remedia, Podagrae meae compono, contentus, ſi rarius accedit, et ſi minus verminatur.* Quod locum inprimis habet in Podagra illa deplorata, quae, vt CAELIVS AVRELIANVS [q]), eleganter ait, *genuino curſu in poſteros migrat cum ſemine, et propterea ſuccedentes inuadit.* Quod ipſum multiplici experientia probe edoctus, grauiſſima ſua auctoritate, praeter ipſum HIPPOCRATEM, iam ſupra laudatum, inumeroſque alios, confirmat ARETAEVS noſter [r]): ἢν δὲ ἐκ πολλῶν μὲν ἤδη χρόνων ἔῃ ἡ ποδάγρη, ἀτὰρ καὶ ἐκ διαδέξιος πατέρων φανῇ, ξυναποθνήσκει ἡ νοῦσος. *Quod ſi a multis iam annis, inueterauit, vel a maioribus, per ſucceſſionem, deſcendit podagra; tunc aegrotum ad mortem vsque comitatur.* Sic ille veriſſime.

§. XXIII.

n) *De ſitu Orbis, Lib.* III. *Cap.* 6.

o) Cuius extat *An Eſſay, on the cauſe, and Seat of the Gout*, h. e. *Exercitatio, de Cauſſa et Sede Podagrae*, de qua vid. ACT. ERVDIT. *de Anno* 1746. *Menſ. Septembr. pag.* 502. *ſqq.*

p) *Lib. de Vita Beata, Cap.* XVII. add. SEREN. SAMMON. *Carm. de Podagra depellenda, pag.* 25. vbi vid. ROBERT. KEVCHEN. in *Notis, pag.* 249. *ſqq.*

q) *Lib.* V. *de Morb. Chron. Cap.* 2. *p.* 558.

r) *Lib.* I. *de Cur. Morb. diuturn. Cap.* 12.

§. XXIII. *Nullam ergo medicinam hic optimam esse*, iam per se, putem, liquet: Ferendum igitur potius taedium ex morbi mora: quum maiora semper pericula ex nimia medelae properantia, immineant. Nec enim infusis, nec affusis medicaminibus, excutitur podagra, vinci quasi indocilis; quin potius intempestiua medicina nimium vexata, vehementius exasperatur, et violenter retro acta, ipsa corporis interiora, vt ventriculum, mesenterium cum intestinis, lienem, hepar, pulmones, cor, immo et cerebrum ipsum insidiose odoritur, vnde saeua illa pestis visceribus et intimis medullis concepta, non solum atrociores morbos, sed et repentinas adeo mortes progenerat, nulla quidem humana arte facile auertendas. Quod ipsum innumeris propemodum funestis exemplis, apud diligentes obseruationum medicarum scriptores, vbique obviis, abunde confirmari hic posset, nisi temporis, spatii, instituti que nostri ratio potissimum esset habenda. Haud tamen illud tacite praetereundum censemus exemplum singulare, a SIMONE PAVLLI s) relatum, de Pastore quodam sacro, qui ab argilla lotio subacta, pedibus ex podagra laborantibus incaute imposita, mox in dyspnoeam, cordis palpitationem atque animi defectionem incidit, ex his vero in epilepsiam, et ex hac denique, in lethalem apoplexiam. Cui geminum plane istud de altero pastore, a RIVINO t) commemoratum, qui pari fatali successu, a spiritu vini, pedibus dolentibus intempestiue applicato, hemiplegia aliquoties tactus, vitam tandem miserrime finiuit. Vbi et plures allegantur auctores, qui similia exempla exitialia frequentius obseruarunt: Conf. HOFFMANNVS u), BRVNO SEIDELIVS x), BONETVS y), SCHENCKIVS et alii multi, inprimis HAGENDORNIVS, *Obs. med.* 28. *Cent.* I. *pag.* 50. PLATERVS, *Obs. med. Lib.* I. *pag.* 15. RIEDLINVS, *Lin. Med. de ann.* 1695. *pag.* 418. *sqq.* item ETTMÜLLERVS, *Prax. med. Lib.* II. *pag.* 364. De infelici vero ipsius Arthritidis curatione, per externa potissimum remedia frigida et humida, vid. eiusdem

s) *Quadripartit. Botan. Class.* III. *p.* 197.

t) Differt. *de Morbo Retrogrado, p.* 743. Syllog. *Differt. Med.*

u) *Medic. Rat. Systemat. Tom.* III. *Sect.* I. *Cap.* 8. *pag.* 191.

v) *Lib. de Morbis incurabil. pag.* 83. *sqq.*

x) *Med. Septent. Part.* II. *Lib.* VI. *Sect.* 3. *Obs.* 40. *p.* 268. et *Lib.* VII. *Obs.* 15. *p.* 574. et alibi.

eiusdem RIEDLINI *Cur. med.* 29. *Cent.* I. *pag.* 15. et *Cur. med.* 659. *Cent.* VII. *pag.* 410. item *Lin. med. de ann.* 1699. *pag.* 1298. vt et de *ann.* 1700. *pag.* 1442. vt alia plura nunc sileam.

§. XXIV. Quibus vnicum tantum hic subiungere liceat exemplum perquam memorabile, licet longe plura suppetant in Aduersariis nostris, viri cuiusdam literatissimi, nobisque, dum viueret, amicissimi, qui, quum per complures annos, a dira podagra, per temporum interualla ac spiramenta, incredibiles cruciatus et indignissima tormenta pateretur, cetera tamen sanus ac vegetus; tandem morbi et morae iusto impatientior, remedia sibi varia vndecunque quam studiosissime conquisiuit, speciosa quidem verbis, re tamen ipsa inania, aut subdola, et magno aere redemta, vt quasi eo certius prodessent pretiosa et charius vendita. Inter quae liquorem praesertim mire laudabat ex Anglia, si recte memini, allatum, colore aureum, suauique sapore perquam gratum, quo scilicet interior remedii noxa sub his externis palati decepti blandimentis, eo facilius velaretur, erat enim, mea certe opinione, ex somnificis, opiatis ac narcoticis confectus: quem quum saeuientibus pedum rubentium doloribus, cochleari mensura, subinde sumeret, mox adeo insigne et praesentissimum veluti leuamen sentiebat, vt acerrimi morbi impetus, quasi potentissimis carminibus Haemoniis incantati, mitescerent ac consopirentur, corpusque ipsum expectatione maturius, pristinum suum vigorem recuperaret, vt nihil vnquam incommodi pertulisse putaretur. Praesertim, vbi simul pedibus exterius adhibitum esset emplastrum quoddam antipodagricum refrigerans leniensque, quod diuinum plane et supra omnes laudes longissime positum credebatur. Haec quum per aliquod tempus, cum fausto quidem, sed subdolo et mox calamitoso successu, ita adhibita frequentius essent; licet ego semper acriter repugnarem, quod velox ista medicina mihi iure fallax et infelix videretur, hincque Virum optimum enixissime subinde rogarem, ne auderet experiri remedium, quod propter nouitatem, posset esse suspectum, et nimia festinatione periculum augeret: Euenit aliquando, post repetitum aliquoties istius ancipitis remedii vsum, vt, quum se aeger lecto mane leuare vellet, omnis quidem pedum sensus, vsque ad genua, adeo penitus sublatus esset, vt ipse Socratis quasi diram gelidae cicutae sorbitionem

hausisse videretur. Aderant vna irriti vomendi conatus, sudores frigidi, praecordiorum anxietates, et respirationes impeditissimae. Concurritur ergo protinus vndique a Medicis, tacito timore mussantibus, frigentia membra mox fricantur, vnguntur, immittuntur balneo ferventi, applicantur tandem vesicantia, cucurbitae, sinapismi, phoenigmi, dropacismi, et omne genus alia remedia validissima, intus et extra: sed omnia, proh dolor! incassum, et bono quidem, sed nihil profuturo conatu, ac meliore voluntate, quam facultate: Cuncta enim, quantumvis efficacissima, remedia anteibat mali ipsius velocitas. Retro acta namque per emplastrum illud admirandum scilicet, podagra, et per liquorem illum anodynum, intimis fibris et visceribus nobilioribus impacta, nullis nunc amplius remediis, etiamsi valentissimis, in externos artus reuocari poterat. Vnde breui post, inter crebros singultus, sonoros stertores, sensuum stupores, animique defectiones, Vir ille doctissimus et longiore vita suo merito dignissimus, saeua morbi intus furentis, vi oppressus, subitaque morte correptus, magno sui desiderio cunctos adfecit mansuetiorum Musarum iustos aestimatores, meque ipsum inter illos potissimum. Similes autem tristissimos casus, ab emplastro praesertim TACHENII, pedibus podagricorum incautius applicato, obseruauit ac descripsit HAGENDORNIVS, *Obs. med.* 27. *Cent.* III. *pag.* 316. item a puluere quodam arcano antipodagrico Empirici cuiusdam chemici, HOFFMANNVS, *Med. rat. systém. Tom.* II. *part.* II. *cap.* 8. *pag.* 292. vbi intempestiuum illius fatalis pulueris vsum internum eadem fere letifera symptomata insequuta fuisse, relatum legitur; qualia hic post vsum illius liquoris anodyni, et emplastri paregorici, oborta demum, cum ipsius aegroti interitu, fuisse, exacte commemorauimus. Cui non dissimilis funestus ille casus, a FELTMANNO commemoratus, *de Dea podagra, cap.* 34. *pag.* 198. de amico quodam, qui ab eiusmodi nociuis remediis antipodagricis, a peregrino empirico sibi commendatis, podagra quidem caruit; sed paullo post, ipso sanae rationis vsu; succedente mox totius corporis tabe, et tandem morte ipsa. FELTMANNVS vero ipse, accepto ab eodem agyrta, vnguento quodam myrrhato, a podagra quidem aliquamdiu immunis fuit; sed grauissimam contra vertiginem per integrum semestre, molestissime pertulit, ceu refert ipse, ibi-

dem *cap.* 24. *pag.* 134. et 131. Eſt ergo, vt ex hiſce liquidiſſime patet, optime monente CAELIO AVRELIANO y), *Paſſio podagrica non facilis curatione, et aliquando magnitudine inſanabilis.* Sed longius profecto, lento quaſi greſſu, nos ſecum abduxit tardigrada podagra: Ideo iam tanto celerius properemus ad alia, ſi lubet quidem, et parciores ſimus, in ſequentibus paucis, adhuc dicendis.

§. XXV. *Haemorrhoides* tam caecae, quam apertae ac fluentes, item ſic dicta Condylomata, Rhagadia, Exochadia et id genus alia obſcenarum extremi ventris partium tubercula, taedii plena, cautiſſime quoque ſemper tractanda ſunt, ne medicina peior ſit ipſo malo, et grauiora periculis ſint remedia, quoniam, ſi inueterauerunt haec mala, non ſine magna mole inſignique diſcrimine, diſcutiuntur. Caecae enim Haemorrhoides et Condylomata remediis acrioribus, ſepticis, rodentibus, reprimentibus, cauſticis, aut admoto etiam ſtridulo cautere, ſubita vi diſcuſſa ac ſedata, ſaepiſſime in vlcera maligna, ſordida, calloſa, depaſcentia et ſerpentia, immo demum, in ſinuoſas fiſtulas, et ipſa adeo carcinomata teterrima abire conſueuerunt, vix vlla amplius arte ſanabilia: vid. huc inprimis LOSSII *Obſ. med. Lib.* 27. *Lib.* III. *p.* 235. *quae enim,* recte indicante SENECA z), *in malum vlcus veterauerunt, difficilius,* immo, *difficillime,* inquam ego, *curantur.*

§. XXVI. Nimius autem Haemorrhoidum fluxus medicamentis adſtringentibus et repellentibus ſubito violenter repreſſus, diriſſimos et tantum non mortiferos morbos ſaepius progenerare ſolet: vnde ſapienter dudum monuit CORNELIVS noſter CELSVS a): *In quibuſdam parum tuto ſupprimitur iſtud vitium, qui ſanguinis profluuio imbecilliores non fiunt: habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidam, quum ſanguis exitum non haberet, inclinata in praecordia ac viſcera, materia, ſubitis*

y) *Lib.* V. *de Morbis Chronicis, Cap.* 2. *pag.* 560. Vide ſingulare huius rei exemplum apud PHILOSTRATVM, *Lib.* I. *de Vitis Sophiſtarum, Sect.* XXV, II. *pag.* 543. vbi de miſerandi POLEMONIS *Sophiſtae* Latomiis artuum, Medicis prorſus inexpugnabilibus, triſtis narratur Hiſtoria. Conf. huc inprimis SVIDAS, in POLEMONE; item IO. PRICAEI *Not.* ad APVLEII *Lib.* V. *Metamorphoſ. pag.* 262. et *poem.* noſtr. *Tom.* IV. *pag.* 35. in *Not.*

z) *Conſolat. ad Marciam, Cap.* I.

a) *Lib.* VI. *Cap.* 18, 9. Conf. huc HOFFMANNI *Opp. Med. Tom.* I. *pag.* 174. vt et ALOYSII MVNDELLAE *Annotat.* in ANTON. MVSAE BRASAVOLAE *ſimpl. Med. Examen, pag.* 200 *ſeqq.*

ſubitis et grauibus morbis correpti ſunt. Quapropter HIPPOCRATE[b]), AEGINETA[c]), GALENO[d]), ACTVARIO[e]), AVICENNA[f]), aliisque prudentiſſime ſuadentibus, at ſolo fere fruſtra contra nitente AETIO[g]), in ſupprimendis Haemorrhoidibus, eo ſemper caute reſpici debet, vt conſuetae purgationis gratia, vna illarum nunquam non aperta maneat. Quod ſi enim omnes ſemel ſimulque obſtruantur, metuendum eſt omnino, ne hydrops, aut tabes, aliaque grauiora mala, HIPPOCRATI, ARETAEO aliisque diligenter commemorata, veluti vertigo, cachexia, aſthma, ſuffocatio, mictio cruenta, ſanguinis ſputum et vomitus, anorexia, aphonia, tormina ventris, podagra, malum hypochondriacum, paralyſis, nephritis, apoplexia, ſcirrhi, ani exulcerationes et fiſtulae, pleuritis, peripneumonia, phagedaena, furunculi, lepra, vitiligines, aliaque tubercula, herpes, epilepſia, delirium, immo mania ipſa, et id genus alia plura atrociſſima ſymptomata, exinde ſuboriantur, de quibus vid. LOSSII *Obſ. med.* 26. *Lib.* III. *pag.* 234. *ſqq.* item RIEDLINI *Obſ. med.* 25. *pag.* 53. *de Ann.* 1682. aliosque plures. Sic enim veriſſime ipſe noſter HIPPOCRATES, laudato modo Aphoriſmo, pronunciauit: Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος, ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι ἢ φθίσιν, *Ex Haemorrhoidibus diuturnis ſanato, ſi non vna venarum ſanguinem fundentium aperta fuerit ſeruata, periculum eſt, Hydropem aut tabem ſuccedere:* ſiue, vt elegantius, pro more, latine id reddidit CELSVS, latinus ille HIPPOCRATES[h]), *Si ora venarum, ſanguinem ſolita fundere, ſubito ſuppreſſa ſunt, aut aqua inter cutem, aut tabes ſequitur.* Cuius oraculi Hippocratici ſolidam veritatem triſtiſſimo ſuo exemplo, quondam abunde confirmauit imperatorum omnium optimus, et meliore hinc fato iure digniſſimus, TRAIANVS, *qui,* narrante e DIONE CASSIO, XIPHILINO *) ἐπισχεθέντος αὐτῷ τοῦ αἵματος, ὃ κατ' ἔτος, κάτω διε-

b) *Aphoriſ.* 12. *Sect.* VI. et *Lib. de Victu Acutor. pag.* 322. *Tom.* II. *opp.*

c) *Lib.* III. *Cap.* 59.

d) *Comment.* in dictum HIPP. *Aph.* 12. *Sect.* VI. *pag.* 254. *Tom.* IX. *opp.* et alibi, *Cap.* nempe 9. *Lib de Venae Sect. contra* ERASIST. et in IV. *de Praeſag. ex pulſibus, etc.* item *Comment.* in *Lib.* HIPP. *de Humorib.* Conf. SEVERIN. *de Abſceſſ. Lib.* IV. *Cap.* 30. *pag* 350. et ZACVT. LVSITAN. *Hiſt. Med.* 110. *Lib.* II.

e) *Lib.* I. *de Method. Medend. Cap.* 20.

f) *Lib.* III. *Fen.* 17. *Tr.* I *Cap.* 4. *p.* 653.

g) *Tetrabibl.* IV. *Serm* II. *Cap.* 5.

h) *Lib.* II. *Cap* 7. *pag.* 62.

*) In *Epitome Hiſtor. pag.* 350. nempe ex

διεχώρει, ἐγένετο ἀπόπληκτος, ὥστε καὶ τοῦ σώματός τι παρεθῆναι, τὸ δὲ ὅλον ὑδρωπίασε, *a repressò subito sanguine, qui quotannis ipsi per inferiora secedebat, in apoplexiam incidit, adeo, vt pars quaedam corporis inde resoluta esset; tandem autem in vniuersum hydropicus factus, periit.* Quali etiam mortis genere, ex haemorrhoidibus nempe intenso frigore subito suppressis, oborto, rapidissime postea extinctum fuisse Imper. VALENTINIANVM, tradiderunt quidam apud AMMIANVM MARCELLINVM *Lib.* XXX. *p.* 427. scilicet *arefactis ideo membris, quod meatus aliqui, quos haemorrhoidas nunc appellamus, obserati sunt gelidis frigoribus concrustati.* Ita nempe ipse AMMIANVS, vbi tamen doctissimus cetera VALESIVS in *Notis* elegantissimis *pag.* 408. *sq.* frustra omnino dubitare videtur de ipsis haemorrhoidibus sensu quidem vulgari et communi vsu recepto, hic sumendis: de quo certe mihi nullum plane relinquitur dubium. Licet alias probe sciam, non vnam eandemque de ipso morbi mortisque genere ipsius VALENTINIANI caussam ac rationem traditam fuisse ab AVREL. VICTOR. EVTROP. HIERONYMO, SOTOMEN. et aliis, de quibus vid. VALES. loc. cit. SALMAS. ad IVL. CAPITOL. M. ANTON. PHIL. *pag.* 346. *T.* I. *Hist. August.* et ANNA FABRI, et praesertim IS. CASAVB. ad AVREL. VICT. *Epitom. cap.* XVI. *pag.* 92. et *cap.* XLV. *pag.* 156. vt et alia iam omittam.

§. XXVII. Hinc igitur nullum quoque nobis est dubium, quin monstrosum illud et horrendum plane steatoma Haemorrhoidibus, etsi blandissime suppressis, funestam suam originem debuerit, quod post acerbissima fata, repertum fuit cum ingenti adstantium visentiumque stupore, in vtroque Thoracis thalamo, illustris quondam *Marchionis de Saint-Auban*, vel *Sancto Albano*, tanta quidem magnitudine ac pondere, vt, compressis et coarctatis vndique pulmonibus, non solum omnem respirationis vsum prorsus interceperit; sed et praegrandi sua mole, septem enim fere Libras pendebat, naturalem nobiliorum pectoris viscerum

ex DIONIS. CASSII *Histor. Rom. Lib.* LXVIII. *pag.* 1147. *Tom.* II. Edit. FABRIC. et REIMAR. V. V. C. C. Alio vero Morbi Mortisque genere extinctum fuisse Traianum, narrant EVTROPIVS, AVRELIVS VICTOR, EVSEBIVS, HIERONYMVS, OROSIVS, et alii: sed cum DIONE CASSIO et XIPHILINO, maximam quidem partem, consentit ZONARAS, cum aliis nonnullis. Verum de his dicendi et disceptandi hic iam non est locus. Sicut nec de ipsius Valentiniani Mortis genere, vt iam paucis monuimus,

rum ſitum adeo vſque peruerterit, vt, quod omnem paene veritatis fidem excedit, turbato rerum ordine, totum diaphragma deorſum preſſum eſſet, intra abdominis cauum, atque mediaſtinum, item pericardium, cum ſuis vaſis ſanguiferis, et corde adeo ipſo, horreſco referens, detruſum verſus inferiora, haereret infra ipſius vmbilici altitudinem. Quam atrocis rariſſimique morbi hiſtoriam nobis nitidiſſime deſcripſit, ſiue viuidiſſime potius depinxit, Vir et arte, et facundia iuxta, inſignis, ſemperque cum cura dicendus, HERMANNVS BOERHAAVE i), qui, ceu oculatus teſtis, omni exceptione maior, haec ipſa dira prodigia non ſolum perſpicaciſſimis ſuis oculis vidit; ſed ipſa quoque admota peritiſſima ſua manu, ipſum defuncti cadauer diſſecuit. Ceterum binas ſimiles prolapſi verſus inferiora cordis hiſtorias mirandas, imo ſtupendas plane, obſeruauit deſcripſitque perquam accurate cel. ANTON. PACCHIONVS, in *Epiſt. phyſ. anat. pag.* 209. *ſqq.* et *pag.* 214. De his vero miſerrimis, quibus cor ita delapſum fuerat, commode ſatis proprieque dici poteſt notiſſimum illud Homericum: παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός, item καρδία, vel γνώμη, *Animus*, ſiue *Cor, decidit in pedes*, de quo vid. ERASMI *Adag.* MENAGIAN. *Tom.* III. *pag.* 124. et *Obſſ. crit.* noſtras *cap.* 28. *Lib.* IV. *pag.* 501. Sed haec obiter, et amoenae tantum varietatis gratia.

§. XXVIII. Sic etiam Haemorrhoides incautius repreſſae impetum aliquando fecerunt in miniſtri cuiuſdam ſacri naſum, ibique tantum ſubito excitarunt tumorem carneum, vt non ſolum ipſius naſi forma demerſa, quaſi euaneſceret; ſed et ipſum adeo os mentumque ſub iſta tuberoſa mole propendula, foediſſimo ſpectaculo, penitus occultatum lateret: donec, ex iuſto ſuffocationis minacis metu, informis illa atque peregrina maſſa, vltimo omnium remedio, nempe ferro, feliciter exſcinderetur. De qua perquam memorabili Hiſtoria, ſingularis extat Cl. ALBERTI Diſſertatio k) vna cum figura aenea teterrimi illius et tuberoſiſſimi

i) In *Atrocis rariſſimique Morbi Hiſtoria altera, Lugd. Bat.* 1728. et deinde ſaepius alibi recuſa, vt omnino merebatur Vbi et ſimul de ipſo infeliciſſimi huius Marchionis patre narratur, ipſum, exſtirpatis prius vrendo ſecandoque, haemorrhoidibus moleſtiſſimis, per annum quidem ſatis bene valuiſſe; poſtea vero per duos menſes, ſpirandi difficultate laboraſſe; deinde autem in enormes ſanguinis vomitus inci- diſſe, qui poſt decem dies, ipſum tandem peremerint. Quae memorabilis oppido Hiſtoria ad hoc noſtrum argumentum apprime facit, vt nemo non ſtatim animaduertit.

k) De *Excreſcentia Naſi, cum Haemorrhoidum Anomaliis connexa, Halae* 1729.

rosissimi Nasi, omnium certe Nasorum Aui et Patriarchae, vt sic iocando loqui liceat, quae licet mortua spirituque carens, sua tamen insigni prorsus foeditate horridum profecto terrorem incutit cunctis viuentibus videntibusque. Vbi et plura simul id genus alia funesta exempla sedulo ex Auctoribus collecta, leguntur, vt et in aliis variis eiusdem, de eodem Argumento, scriptis [l]), quorum scilicet hoc nostrum, quod viuitur, saeculum feracissimum est, vt cuiuis notum: quibus vtique addendi, HILDANVS [m]), FORESTVS [n]), SCHENCKIVS [o]), RIEDLINVS [p]), PARAEVS [q]), ALPHONSVS DE SANTACRVCE [r]), DIETERICHIVS [s]), et quos ibi allegat, Auctores plures, PROSPER ALPINVS [t]), HOLLERIVS [u]), et tandem, vt finem faciam, nec alios plures mihi bene notos, laudem, B. RIVINVS [x]), et quos ibidem citauit Scriptores medicos. Quo et singulare illud spectat exemplum luctuosum, ipsi magno nostro HOFFMANNO [y]), quondam cum stupore, visum, de quodam Viro perquam generoso, qui ex haemorrhoidibus, per Remedia opiata et martialia, intempestiue repressis et cohibitis, protinus vocis ac rationis vsum amisit, et paulo post inter diras conuulsiones, vitam ipsam. Vbi post mortem, sectione instituta, stupen-

l) Nempe in Dissertationibus diuersis, ibidem publicatis, *de Haemorrhoidum Anomaliis, de Haemorrhoidum insolitis Viis, de Haemorrhoidum suppressionibus*, et id genus aliis Scriptis Academicis: Vt vastos illos spatiosos que nimium de eodem immundo et iniucundo Argumento, commentarios in vulgus editos iam taceam.

m) *Cent.* II. *Obss.* XI. et LXXV. Conf. BONETI *Med. Septent. Part.* I. *Lib.* III. *Sect.* II. *Cap.* I. *pag.* 569.

n) *Lib.* XXIII. *Obss.* 5. 6. *sqq.* cum Scholiis doctissimis, ibidem. Conf. SOLENANDER. *Sect.* IV. *Consil. Med.* XX. et exinde VERZASCHA, *Obs. Med.* 29. *Cent.* I. *pag.* 90. item RIVERIVS, *Lib.* X. *Prax. Med. Cap.* 10. *pag.* 375.

o) *Obss. Med.* 158. 159. *sqq. Lib.* III. *Tom.* I. *pag.* 639, *sqq.*

p) *Lin. Med. Ann.* 1696. *pag.* 133.

q) *Opp. Chirurg. Lib.* XII. *Cap.* 24. *p.* 393.

r) *De Dignot. et Cura Affectuum melancholicorum, pag.* 29.

s) *In Iatreo Hippocratico, p.* 141. *sqq.*

t) *Lib.* I. *de praesagienda Vita et Morte, Cap.* XI. *pag.* 53.

u) *Comment. in Aphor.* HIPP. 12. *Sect.* VI. *pag.* 337. *sqq.*

x) In *Dissertat. de Morbo retrogrado, pag.* 745.

y) *Med. Rat. Systhem. Tom.* III. *Sect.* I. *Cap.* 9. *pag.* 208. vbi plura egregia, quae huc inprimis spectant. Cuius et vid. *Med. Consult. Cent.* II. et III. *Cas.* XIV. p. 181. *Tom.* IV. *Opp.* vbi quoque tristissimum huius suppressionis haemorrhoidum intempestiuae exemplum enarratur, vt iam STAHLIVM, ALBERTVM, IVNCKERVM, STORCHIVM, aliosque scriptores taceam, qui vasta spissaque de ipsis haemorrhoidibus, Volumina certatim ediderunt, ceu notissimum, et iam supra notatum.

ſtupentibus cunctis praeſentibus, apparuit, non modo inteſtinum rectum, ſed et totum coli tractum in ſiniſtro latere, ita conſtrictum fuiſſe, vt digiti craſſitiem vix ſuperaret: alia vt taceam funeſta ſigna, quae ibi legi commode poſſunt. Iſto autem aliquanto felicior fuit *Alcippus* ille apud HIPPOCRATEM noſtrum [z]), qui pariter, ex ſuppreſſis praepropere haemorrhoidibus, in atrociſſimum quidem furorem delapſus, mox a ſuperueniente febri acuta ſalutari ac critica, ad mentis corporisque iuxta ſanitatem auſpicato reuerſus eſt. Tanto autem infelicior contra fuit alter ille *Eudemus Lariſſaeus*, apud eundem [a]), cui ex perſanatis pariter ab infauſta manu, haemorrhoidibus, teter edaxque cancer illico ſubnaſcebatur, vna cum febre vehementiſſima, quae ante non deſiit, quam vitam male viuam miſerrimo eripuiſſet. In his ergo cunctis, omnium rectius ſentientium Medicorum vnanimi ſuffragio, *nulla Medicina omnino erat optima.* Sed nolo de re cuiuis, puto, notiſſima et exploratiſſima, plura nunc incaſſum huc congerere exempla ac teſtimonia: Quare haec iam de Haemorrhoidibus, ſufficiant.

§. XXIX. Ex eadem vero ratione, nec tutum ſemper eſt, nec ſalutare ipſas quoque ſordidas *ani fiſtulas*, praeſertim inueteratas, et in corpore potiſſimum ſenili et effoeto, vel acuto ferro exſcindere, vel candenti lamina exurere, vel aliis denique remediis repellentibus, adſtringentibus, aut exſiccantibus, perſanare ac conſolidare. *Veteres enim*, bene monente PARAEO [b]) *et quae per multos annos fluxerunt, fiſtulae, ſi ſubito occludantur, mortem inferunt, in corpore praeſertim ſenili et infirmo.* A cuius vera omnino ſententia haud alienus eſt SCVLTETVS [c]), multo minus autem FORESTVS [d]), qui ſingulari potius exemplo oſtendit, quam atrocia ſymptomata illico inſequuta ſint fiſtulam eiuſmodi ſuppreſſam, et quam ſalutaria e contrario ſigna confeſtim apparuerint, eadem denuo recluſa:

z) *Lib.* IV. *de Morb. Epidem. pag.* 766. *Tom.* I. *Opp. per* LINDEN.

a) *Lib.* V. *de Morbis Epidemicis, p.* 775. *Tom.* I. *Opp.*

b) *Opp. Chirurgicor. Lib.* XII. *Cap.* 21. *pag.* 391.

c) *Armament. Chirurg. Part.* I. *Tab.* XLV. *pag.* 179.

d) *Obſ. Med.* 14. *Lib.* XXIII. *pag.* 493. vbi vid. et inprimis adiecta Scholia. Add. RIEDLINI *Lin. Med. de Ann.* 1696. *Obſ.* 19. *pag.* 131. *ſqq.* et HAGENDORNII *Obſ. med. Cent.* III. *Hiſt.* 60. *pag.* 366. *ſqq.*

recluſa: quod ipſum nouis aliquot exemplis illi prorſus geminis, noſtra quidem aetate, vberius confirmarunt STAHLIVS, HOFFMANNVS, STORCHIVS, DRANIVS, GARENGEOTVS, ipſe HEISTERVS, et alii. Neque ſane id mirum, aut rationi et experientiae contrarium. Sunt enim huiuſmodi fiſtulae canales quaſi ac re vera fiſtulae, per quas omnia totius corporis purgamenta, in vnum veluti alueum ac receptaculum, ibi deriuata et collecta, ſalutari prouidae ac ſolertis naturae conſilio et beneficio, ſenſim corpore eliminantur. Quod licet, pro more, breuiſſime, tamen ſapientiſſime, ita dudum ipſe noſter pronunciauit HIPPOCRATES e), ἄλλαι ἀποστάσιες, οἷον σύριγγες, ἑτέρων ἄκος, *alii abſceſſus, veluti fiſtulae, aliorum abſceſſuum ac morborum medelae ſunt:* quod egregie prorſus et copioſe ibi explicuit GALENVS f). Vnde nunc ſua ſponte ſequitur, illas apertas relictas, et aptis ſubinde lotionibus ac fotibus, ſeu fomentis, frequentius emundatas, ne ſcilicet neglectae, ſordeſcant, aut computreſcant, corpus ipſum a repentino variorum morborum incurſu diutius per vitam, tutum et immune praeſtare; occluſas contra et obſtructas, ob denegatum nempe ſordibus illis conſuetum liberum exitum, hincque in corpus ipſum interius ſubito refluis ac retrogradis, et atrociores morbos, et feſtinatas mortes ſaepius inducere. Inde et probe hanc in rem obſeruauit ſcriptor ille perſonatus, elegantiſſimus et latiniſſimus, IAN. NICIVS ERYTHRAEVS *Pinacothec.* III. c. 135. de infelici iſto GEORGIO PORTIO: *Ex Fiſtula, quum fluere ea deſiiſſet, tandem interiit:* qualia moeſta exempla quam plurima paſſim occurrunt alibi, ceu notum. Immo rurſus apud laudatum ERYTHRAEVM *Pinacothec.* I. *pag.* 224. de IO. MATTH. CARIOPHILO: *Quam diu vlcus, coxendici haerens, vnde, tanquam e fiſtula, noxii corporis humores defluebant, adapertum patuit; tamdiu licuit illi lucis huius vſura frui; ſed ſimulac vlcus idem clauſum, nullum defluenti puri, ad exeundum, aditum praebuit; ſtatim vitae eſt illi vſus ademtus.* Quare, vt ex hactenus dictis manifeſto, opinor, liquet, praeſtat omnino, eiuſmodi perpetuam priuatae quaſi cloacae ſeruitutem, quamuis ingratam et nonnihil moleſtam, patienter

tolerare,

e) *Lib. de Humor. pag.* 326. et *Lib.* VI. *Epidem. Sect.* III. *pag.* 806. qui quidem locus ex iſto priore, emendari debet.

f) In *Comment. in Lib. de Humor.* Conf. huc inprimis MARC. AVREL. SEVERINI, *Lib.* IV. *de recondita Abſceſſuum Natura, Cap.* 30. *pag.* 305. *ſqq.* vbi plura, quae huc ſpectant, lectu digna.

tolerare, ob ſperanda inde vitae ſalutisque commoda; quam eandem impatienter amoliri, ob metuenda exinde inualetudinis et mortis ipſius pericula. *Vidi enim*, recte inquit VALESCVS g), *aliquos eiuſmodi fiſtulam habentes, quam non multum curabant, et parui faciebant, (idque ex conſilio peritorum) per multum tempus viuentes.* Immo, *multos vidimus*, ſcribit HIERONYMVS FABRICIVS ab AQVAPENDENTE h) *qui fiſtulas habuere circa anum, per* XV. *aut plures annos, et ſaluberrime vixerunt.* Quin et nobiſmet ipſis notus quondam fuit Vir illuſtris et literatiſſimus, qui vltra viginti annos, illius modi fiſtulam apertam ſuſtinendo, inoffenſa prorſus ſanitate, inter arduos et continuos variorum ampliſſimorum munerum labores, vltimam vegetae ſenectutis lineam attigit, donec ſenili demum marcore, dormienti propior, quam morienti, placide ſolveretur.

§. XXX. Eodem vero cum illis, fere loco, etiam habenda ſunt *vlcera* iſta annoſa, ſordida, humida, pruriginoſa, calloſa, in pedibus cruribusque maxime enata, *Chironia* vulgo etiam prouerbio, dicta, item *Telephia*, nec non *Luporum* quoque nomine nonnunquam inſignita: quae quippe incurata ſibique relicta, niſi maligna facta fuerint, in corporibus praeſertim ſenilibus, ſanitatem ſaepe diutius praeſtant integram; intempeſtiue autem curata ac conſolidata, grauiſſimis morbis iuxta mortibusque ipſis repentinis funeſtam frequentius praebent originem, quoniam iſti errores irreuocabiles circa eiuſmodi temerarias curationes commiſſi, maximis vitae et ſanitatis detrimentis plerumque expiantur i). Sunt enim iſta vlcera chironia, aeque, ac nonnullae fiſtulae, ſuperius commemoratae, quaedam veluti conceptacula, ſeu emiſſaria, in quae quidquid vitioſi corruptique humoris, corporibus inprimis effoetis et ſenio iam confectis, ineſt, in ſalutarem expurgationem, corriuatum, ſingulari naturae

g) Apud FORESTVM, *in Schol. ad Obſeruat.* XIV. *Lib.* XXIII. *pag.* 496.

h) *Lib.* III. *Pentateuchi Chirurgici, Cap.* XI. ex quo memorabilem iſtum locum denuo retulit IO. SCHENCKIVS, *Obſ. Med.* CCXXV. *Lib.* III. *Tom.* I. *pag.* 692.

i) Conf. huc SEIDELIVS, *de Morb. incurabil. pag.* 88. HILDANI *Obſ.* 39. *Cent.* III. *pag.* 181. TIMAEI A GVLDENKLEE, *Caſ.* 28. *Lib.* I. *pag.* 61. praeſertim autem CRATONIS A KRAFTHEIM *Epiſtol. Medicinal.* et HEISTERI *Inſtitut. Chirurg. Part.* I. *Lib.* V. *Cap.* I. *pag.* 327. et *Cap.* 7. *pag.* 342. *ſqq.* item RHODII *Analecta* in SEPTALII *Caut. Med. Lib.* VIII. *pag.* 611. *ſqq.* vt et RIVINI Diſſ. *de Morbo retrogrado*, *pag.* 744. quibus add. Auctores mox laudandos.

rae sagacis prouidentia, sensim deponitur, ac tandem, per statas temporum vices, exterminatur. Cuius rei illustre inprimis ac memorabile habemus exemplum in celeberrimo illo THEODORO BEZA, de quo haec refert magnus IOSEPH. SCALIGER, in *Scaligeranis* II. *pag.* 31. BEZA *fuit pulcher valde senex. Erat* 86. *annorum et* 114. *dierum. Habebat fontem in pede, qui ipsi Vitam prorogauit. Est genus lupi: habebat a natura, ipse mihi dixit.* Quem praesertim locum singularem eximie huc facere, nemo non, opinor, statim videbit. Ceterum miror, hanc ipsam peculiarem SCALIGERI obseruationem silentio praeteriisse diligentissimum PETRVM BAYLIVM, in *Dictionario Hist. Critic.* vbi tamen accuratissime alias et copiosissime de huius THEODORI BEZAE vita tractauit. Sed haec obiter. Hinc solers prudensque medicus intentissimo cauere debet studio, ne salutares eiusmodi fontes, licet sordidos, remediis praepostere admotis, subito arefaciat, ac cum extremo periculo auersi et retropulsi humoris saniosi, plane exstinguat, sicque cum sero ac nihil profuturo pudore, et inani poenitentia, caussam repentinae mortis ipse subministret euidentissimam. *Nam extrinsecus coepta Medicamenta*, optime monente VEGETIO k), *morbum non eximunt; sed ad interiora compellunt, et hac ratione periculum generant.* Hinc memor potius sit ille istius effati *Ouidiani* prudentissimi l):

Vlceris id genus est, quod, quum sanabile non sit,
Non contrectari, tutius esse puto.

§. XXXI. Innumera enim paene mala atrocia et immedicabilia ex male sedula maleque sana vlcerum id genus vetustorum ac pertinacium, sanatione, illico oborta fuisse, vbiuis, exemplis quam plurimis funestis, luculentissime docent docti industriorum medicorum commentarii, e quibus pauca tantum de permultis, eaque insigniora et attentione digniora, iam quidem in medium adferre animus est. Sic diram protinus successisse maniam, in viro, vidit AMATVS LVSITANVS m), in puella, FORESTVS n), Epilepsiam et conuulsiones, post HIPPOCRATEM ipsum o), PECHLINVS p), zostera, seu zonam, hoc est, teterrimam illam

k) *Lib.* I. *de Mulomed. Cap.* 9.

l) *Lib.* II. *ex Ponto, Eleg.* 2.

m) *Curat.* 67. *Centur.* II. vbi hanc in rem, plura.

n) *Obs. Med.* 24. *Lib.* X. *pag.* 201. *sqq.*

o) *Lib.* VII. *de Morbis Epidem. pag.* 872.

p) *Obs. Physicomed.* 30. *Lib.* II. *pag.* 291.

lam et plerumque letiferam, Eryſipelatis ſpeciem LANGIVS q), intolerabiles prius capitis dolores, deinde mox triſtem ipſius dulciſſimi luminis orbitatem, TIMAEVS A GVLDENKLEE r), ſaeuam pleuritidem, dyſpnoeam et alia grauiora thoracis mala mortifera, poſt ipſum HIPPOCRATEM, BALLONIVS s), et praeſertim HILDANVS t), qui ſimul ibidem, cum ſumma admiratione, obſeruauit, materiam iſtam ab illo miſero aegroto, durante iſto fatali morbo, ore continuo reiectam, eandem plane odore, colore et externa ſpecie formaque fuiſſe, qualis antea, ex aperto cruris ſiniſtri vlcere, inſigni iſtius Viri leuamine, emanauerit. Quale diriſſimum etiam ſymptoma, poſt intempeſtiuam infelicemque vetuſti eiusmodi vlceris cruralis conſolidationem, pariter obtigiſſe narratur u) LEOPOLDO Quarto, Duci Auſtriaco, vulgo ſuperbo ac glorioſo, item et pingui, aut craſſo, dicto, qui vna cum foeda ſanie, atro ſanguine permixta, patente cruris vlcere alias effluere ſolita, indignantem animam per os iuxta naresque, ceu totidem noua oſtia, teterrimo omnium aſpectu, terribili foetore, horreſco referens, flebiliter emiſerit: cuiusmodi ſanioſum foetidumque ſaporem, praeſertim ieiuno adhuc ore, idem ille miſerrimus Caecus percepit, cuius ſupra ex TIMAEO mentio fuit iniecta. Sed forſan ipſi Lectori gratius erit iucundiusque, ipſum illum praeſtantiſſimum Annalium ſcriptorem, fide

q) *Epiſt. Medic.* 32, *Lib.* I. *pag.* 133.

r) *Caſ. medicinal.* 28. *Lib.* I. *p.* 61.

s) *Lib.* II. *Epidemiorum* et *Ephemeridum*, *pag.* 130. Ipſe vero ille ſingularis HIPPOCRATIS locus, quem obiter tantum ibi allegat BALLONIVS, non indicata tamen ipſius ſede propria, extat *Lib.* IV. *de Morb. Epidem.* initio, *pag.* 742. et lectu eſt digniſſimus: Vid. autem alios memorabiles hanc in rem, caſus, apud eundem BALLONIVM, ibidem, *pag.* 209. item *pag.* 247, *p.* 248. et *p.* 249. denique *pag.* 256. item apud SALMVTH. *Obſ. med.* XI. *Cent.* III. *pag.* 117. et HAGENDORN. *Obſ. med.* 64. *Cent.* I. *pag.* 240. et maxime, *Obſ.* 67. *Cent.* III. *pag.* 368. *ſq.* ibique VOLCKAMER in *Ephem. Germ. Ann.* V. *Dec.* II. *Obſ.* 152. *pag.* 317. plurima vero triſtiſſima huius rei exempla inprimis collecta leguntur apud RIEDLINVM, videlicet *Lin. Med. de Ann.* 1695. *Obſ.* 10. *pag.* 238. *ſq.* et *de Ann.* 1696. *Menſ. Ian. Obſ.* 3. *pag.* 5. et *Menſ. Octobr. Obſ.* 8. *pag.* 483. vt et *de Ann.* 1699. *Obſ.* 23. *pag.* 626. *ſqq.* item *Obſ. med.* 77. *Cent.* II. *pag.* 218. praeſertim *Obſ.* 38. *pag.* 84. *ſqq. de Ann.* 1682. et denique *Cur. med.* 167. *Cent.* II. *p.* 97. et inprimis *Cur. med.* 984. *Cent.* X. *pag.* 698. vt plura iam ſtudio taceam loca ſimilia, paſſim in ſcriptis illis Riedlinianis, lectu non inutilibus, et alibi quoque ſaepius, occurrentia.

t) *Obſeruat. Chirurg.* 39. *Centur.* III. *pag.* 182.

u) a GERARDO DE ROO, in *Annalibus Auſtriacis, Lib.* IV. *fol.* 163. *ſqq. Edit.* vero *Halenſ. pag.* 133.

fide facundiaque iuxta infignem, hic loquentem audire. Sic igitur ifte: *Habebat Leopoldus in altero crure fiftulam, quam vocant, fuppurantem, ex vulnere olim arcus difplofi, neruis illato, quam contumacem admodum, exquifitiffimis quibusdam remediis expugnari, fluxumque fifti, omnino volebat. Quanquam vero Medici et Chirurgi, fummum in ea curatione, Vitae periculum effe, dicerent; ille tamen extrema remedia adhiberi iuffit. Obducto itaque vulnere, fanguis et fanies, quae femel eo deriuari adfueuerat, interclufo meatu, per os ac nares, ea vi ebulliit, vt obitum illi, quod Medici praedixerant, ea res maturauerit.* Hactenus ille GERARDVS DE ROO. Qui funeftus admodum cafus in tam fplendida illuftrique fummi Ducis perfona, notatu certe dignisfimus, et ad cauendum abftinendumque, quam diligentisfime eft obferuandus. Denique, vt finem tandem faciam, ADRIANVS narrat SPIGELIVS, apud RHODIVM x), fefe Viennae, quondam vidiffe puellam, cui ex male perfanato pedis vlcere, letiferum fere fanguinis fputum obortum fuerit, quod et alibi notarunt BONETVS, PLATERVS, aliique plures. Ipfum quoque magnum illum Hiftoricum ac Politicum, IOANNEM SLEIDANVM, fimili cruris vlcere vetufto, aut arte, aut fua fponte, arefacto ac perfanato, fubito extinctum fuiffe, tradunt nonnulli Biographorum ac Lexicographorum, licet non defint, fat fcio, qui ipfam mortis cauffam tribuant potius confueto illi Cibo Deorum, aut Regum, fcil. veneno, aut etiam dirae peftilentiae, tum 1556. Argentorati faeuienti. Sed haec obiter.

§. XXXII. Quibus omnibus nunc fubnectere liceat tria tantum exempla recentiora, notatu certe perquam dignu, a nobismet ipfis quondam, non fine animi dolore, obferuata. Ante hos ergo feptemdecim quafi annos, principem quendam vidimus imperii venerabilem, bello olim ftrenuum, qui cetera quidem recte valebat, quantum nempe eius admittebat aetas, in fenium iam decliuis, nihilque ex occidua illa fenectute, fentiebat incommodi, praeter vlcus huiusmodi Chironium, quod per complures iam annos, in dextro crure, animi virtute, fat patienter fuftentauerat. Tandem autem, vt funt morofi plerumque ac difficiles fenes, lentitudinis et continuatae illius exulcerationis prurientis pertaefus, opem pofcebat a Medicis Artis fuae peritisfimis, vt fcilicet inex-

x) *Obf. Med.* 35. *Cent.* II. *pag.* 72.

inexplicabili morbo confeſtim liberaretur: Illis autem *nullam hic Medicinam optimam eſſe*, vti par erat, vere pronunciantibus, ſerioque hinc ſuadentibus, vt nihil deſideraret, quod vel moerore, vel poenitentia nimis ſera, dignum eſſet, ac licet taedium ex mora naſceretur, pericula tamen ſemper maiora ex properantia fore metuenda: Nihilo minus tamen infauſto prorſus conſilio, in nociuum veluti auxilium, accitur Chirurgus quidam temerarius, qui lucro potius ſuo ſordido, quam pretioſae Principis ſaluti, intentus, Remediis valentioribns, ex adſtringentium et exſiccantium claſſe, vlcus illud rebelle et peruicax vtcunque conſolidat, et ad indecoram cicatricem imprudenter perducit: ſed tam ſiniſtro quidem cum euentu, vt paullo poſt, praecordiorum totiusque pectoris grauitas, ſpiritus difficultas, continua vigilia, longum cibi faſtidium, torpidus artuum languor, lenta totius corporis macies, grauis moeſtusque veternus, et mors tandem ipſa, omnibus ſuis perquam luctuoſa, ſubſequerentur; quum tamen antea, omnia fere vitae ſuae tempora, per hoc moleſtum licet, Naturae in ſua commoda vigilacis, beneficium, inoffenſa valetudine, peruixiſſet.

§. XXXIII. Similis autem intempeſtiua vlcerum cruralium curatio, decem nunc fere anni elapſi ſunt, feſtinauit fata celebris cuiusdam per Europam, Bibliopolae. Rogatus ergo ab amicis, ecquid ſpei ad ſalutem tam chari ipſis quoque principibus, capitis, adhuc ſupereſſet? ex lurido vultus pallore, ſpirandi plurima difficultate, tuſſi vehementi et arida, voce obtuſa et rauca, thoracis grauedine, odoris tetri ſpiratione, calore per vices, febrili, hypochondriorum duritie, aqualiculo extante, ciborum faſtidio, aliisque id genus ſignis admodum ſuſpectis praeſentibus, candide tum praedixi, iam ſenſim labi ſpiritum miſero, nec vltra ſex hebdomadas forſan duraturum. Neque ſane poſtea multum fefellit augurium. Quinta enim hebdomade exeunte, in via, ſuffocatione ſubita extinctus fuit, quum ex nundinis Francofurtenſibus redux, exoptatum in patriam reditum meditaretur, repugnantibus tamen fatis, longiſſime ab hac ſua deſtinatione, nequicquam mente, heu futuri ignara! concepta, in terra peregrina tumulatus, et a ſuis domi relictis, laetumque chari mariti ac patris aduentum fruſtra expectantibus, tanto acerbius defletus. *Nempe Hic proxima luce, patrimonii ſui rationes inſpexit;*

nempe

nempe diem etiam, qua venturus esset in patriam, animo suo fixit. Dii Deaeque! quam longe a destinatione sua iacet. Ita hic merito exclamandum cum PETRONIO ARBITRO, *Satyr. Cap.* CXV. Conf. huc, si placet, *poemat. nostr. Tom.* IV. *pag.* 155. *sqq.* vbi alieno quidem nomine, hunc ipsum subitum lugubremque casum enarrauimus atque luximus; sed haec obiter.

§. XXXIV. Circa idem fere denique tempus, morte quasi haud simplici, miserrime periit alius Vir generosus, cui pariter vetustum pedis vlcus infeliciter persanatum fuerat. Quum igitur materia illa vitiosa corruptaque, versus interius corpus reflua, nares eius teterrimo tumore adeo oppleuisset, saxeisque veluti nodis et tofosis humore verrucis protuberantibus, horrendum foedasset, vt tam deforme ingenui oris dehonestamentum diutius placide ferre haud posset; blanda, at inani, pro se sperandi, dulcedine illectus, in sua demum damna, arcessiuit chirurgum, artis suae plane imperitum, qui medicamentis violentissimis, rodentibus nempe et adurentibus, durum illum atque intractabilem tumorem, iam per se malignum, adeo vsque exasperauerat, vt in insanabile prorsus carcinoma tandem degeneraret, quod celeriter serpendo, penetrandoque, vsque ad ipsa ossa, corpus voraret, vnde febre tabifica, et asthmate spastico, aliisque luctuosis malis succedentibus, mors tandem exoptata ineluctabili illi calamitati finem imposuit desideratissimum. Qui diro suo exitio sic deuotus, iure hinc exclamare poterat notum istud poetae, patria pulsi et exulantis y):

Sed vereor, ne me frustra sanare labores:
Nec iuuet admota, perditus aeger, ope.

§. XXXV. Credibile igitur, immo vero etiam probabile videtur, his omnibus aliquamdiu spiritum adhuc prorogari potuisse, nisi intempestiue iuuando, prouidae solertisque naturae officia interrupta fuissent, istis nimirum fontibus salutiferis in pedibus potissimum exortis, praeter vllam rationem, aut necessitatem, obstructis et obturatis. *Nulla enim hic medicina optima potius erat*, et verissimum illud SIRACIDAE effatum z) Μακρὸν ἀῤῥώστημα σκώπτει ἰατρὸν, *Magnus et inueteratus Morbus Medici est ludibrium*, vel, *Medici Artem plane eludit*, vt nos quidem locum

y) *Lib.* I. *ex Ponto, Epist.* III, 321. z) *Cap.* X. *n.* 10.

locum illum controuersum legendum esse, vere forsan censemus: licet in alia opinione versentur Viri magni, HVGO GROTIVS [a]), et IOACHIM. KÜHNIVS [b]). Vidimus tamen postea gaudentes, eandem quoque coniecturam, dudum ante nos, subnatam et approbatam fuisse Viro longe doctissimo IOANNI PRICAEO [c]): Ceterum eiusdem fere sententiae, cum isto sacro loco, est illud DIONIS CHRYSOSTOMI [d]), Νόσημα ἐκ πολλοῦ συμπεφυκὸς οὐ ῥᾴδιον ἀπαλλάξαι τοῦ σώματος, *Morbum a longo iam tempore concretum et inueteratum haud facile sane licet e corpore expellere.* Quo et potissimum pertinet istud CLAVDIANI [e]).

Veteri post obruta morbo
Corpora, paeonias nequicquam admoueris herbas,

Nec non illud quoque alterius poëtae, si recte memini:

Non est in morbo facilis Medicina vetusto.

Sed haec quidem philologica, dulcissima elegantiorum literarum memoria, vti, lectorum pace, hic interponeremus, sola effecit.

§. XXXVI. Verum vnum tantum adhuc allegare nunc liceat *Casum Chirurgicum,* de *Aure fracta,* vbi ipso quidem malo deterior solet esse Medicina: quem in communes humani generis vsus, ad cauendum praecipue, ac vitandum, candide et perspicue ipse exposuit HIPPOCRATES [f]), cuius tamen sententiam verbis potius latinis, quam graecis, referre hic placet, ne scilicet ipsa graeca, locus enim aliquanto longior ac verbosior est, nimia sua copia, fastidium forsan pariant ipsius huius vberrimae et venustissimae Linguae haud satis gnaris, vt nempe sunt perquam rari hodie philograeci. Sed en ipsa nunc HIPPOCRATIS verba: *At vero, si Auris fracta fuerit, deligationes omnes inimicae sunt. Neque enim ita laxam quis circumdare poterit. Si vero magis premat, maius malum operatur. Nam et sana Auris, deligatione compressa, dolore, et pulsatione, et febre afficitur: sed et cataplasmata pessima quidem omnino sunt,* *quae*

a) In *Comment.* ad istum SIRACID. locum, *pag.* 119. *Tom.* III. *Commentar. in Vet. Test.* GROTII autem coniecturam nonnihil iuuat PLVTARCHVS, in *Catone minore. pag.* 789. *Tom.* I. item MAX. TYR.

b) *Quaest. Philol.* IV. *Pentad.* I. *p.* 10 *sqq.*

c) In *Commentario* ad LVCAE *Cap.* VIII, 43. *pag.* 286. operis in N. T.

d) *Orat.* XLI. *pag.* 500.

e) *Lib.* II. in *Eutropium,* v. 11. sqq.

f) *Lib. de Articul.* §. XXXV. *pag.* 791. *Tom.* II. *Opp. per* LINDEN.

quae grauissima fuerunt. Verum et alia pleraque omnia mala sunt, et abscessus inducunt, et mucum largiorem suggerunt, et deinde suppurationes noxias: His autem fracta Auris minime indiget. Proximum tamen locum obtinet, si quid imponi debet, farina viscosa, quam neque ipsam grauem esse oportet. Contingere vero, quam minime conducit. Quibus demum verbis subiungitur saluberrimum illud praeceptum, cuius potissimum occasione, nostram hanc commentationem supra exorsi sumus: Ἀγαθὸν γὰρ ἐνίοτε φάρμακον, τὸ μηδὲν φέρειν φάρμακον, καὶ πρὸς οὖς, καὶ πρὸς ἄλλα πολλά: *Bonum enim aliquando medicamentum est, etiam nullum adhibere Medicamentum, et ad aures, et ad multa alia:* Hactenus quidem ille. Quorsum et respexit PAVLLVS AEGINETA[g]), de eodem tractans argumento: Ὁ μὲν Ἱπποκράτης παραινεῖ, μηδὲν αὐτοῖς προσφέρειν, *Suadet quidem et monet Hippocrates, nihil quidquam remedii auribus fractis applicare.* Quibus consona fere sunt illa notissima OVIDIANA[h]):

Curando, fieri quaedam maiora videmus
Vulnera, quae melius, non tetigisse, fuit.

§. XXXVII. Supersunt quidem nonnulli adhuc morbi, quibus illa HIPPOCRATIS ac poetae commode aptari possunt, quum nempe medendo, grauius inualescant, et cohibendo, latius serpant, dum illos maior quasi armat saeuitia, quam vt tuto feliciterque expugnari possint: Sed ne longior digressio confusionem taediumque magis legentibus, quam instructionem, afferat, illos ipsos nunc quidem intactos relinquere praestat, manumque tandem de tabula tollere placet. Longum enim hic nimis esset, ire per singula: sufficiant igitur haec vel pauca, de plurimis; satisque sit, nos et in praecipuis, non subtraxisse veritatem, et in multis, diligenter vitasse fastidium. Interim ex hactenus commemoratis iam abunde, opinor, liquebit, *Nullam medicinam interdum esse longe optimam ac tutissimam:* praesertim vero in illis morbis, quos, vt cum ipso nostro HIPPOCRATE[i]) loquar, μὴ δεῖ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν, *nec mouere oportet, nec nouare, neque Medicamentis, neque aliis Irritamentis, sed potius intentatos praeterire*: ex quorum nempe classe, quosdam iam supra, cursim recensuimus.

§. XXXVIII.

g) *Lib.* III. *Cap.* 23. *pag.* 37. *Edit.* Graec. *Aldinae.*

h) *Lib.* III. *ex Ponto, Epist.* 7.

i) *Aphoris.* 20. *Sect.* I.

§. XXXVIII. Prudens igitur, pius, probusque medicus, famae atque conscientiae inprimis suae, recte consulturus, videat potissimum, ne noceat, dum prodesse cupit, nec salutis humanae praeside arte, non solum pestem, sed hanc etiam atrocissimam, alicui sua culpa, inferat, ita, vt ea, quae sanare nequit, potius foede exulceret, vetusque malum hinc nouo malo augeat: quin contra, auream illam ingeniosissimi LVCIANI [k]) regulam, ad instar metae praefixae, ad quam enixe contendat, semper irretorto veluti oculo, contempletur, pedeque inoffenso sequatur, quam ille facetiarum et vrbaniorum salium pater, suauissimis quidem verbis, olim, in medicorum vsus, ita proposuit: πάντων πρῶτον διδασκόμεθα συνορᾶν, εἴτε ἰάσιμόν ἐστι τὸ νόσημα, εἴτ' ἀνήκεστον, καὶ ὑπερβεβηκὸς τοὺς ὅρους τῆς τέχνης. Καὶ τηνικαῦτα, ἢν μὲν εὐμεταχείριστον ᾖ, ἐπιχειροῦμεν, καὶ πᾶσαν σπουδὴν ἐσφερόμεθα, σῶσαι τὸν νοσοῦντα· ἢν δὲ κεκρατηκὸς ἤδη καὶ νενικηκὸς τὸ πάθος ἴδωμεν, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν προσαπτόμεθα, νόμον τινὰ παλαιὸν τῶν προπατόρων τῆς τέχνης ἰατρῶν φυλάττοντες, οἵ φασι, μὴ δεῖν ἐπιχειρεῖν τοῖς κεκρατημένοις. *Omnium primum obseruare docemur, sanabilisne sit morbus, an insanabilis, transiliatque ipsos artis terminos? Ac tum, si eiusmodi sit malum, vt commode possimus adgredi, adgredimur, totoque adnitimur studio, vt aegrotum quidem seruemus. Sed si morbum iam inualuisse superasseque viderimus, nec manum omnino admolimur, sic vetustam quandam primorum medicinae parentum legem obseruantes, qui negant, tentandos esse morbos, qui iamiam inualuerint.* Quibus postremis verbis, respicit haud dubie LVCIANVS, vt id obiter hic adiiciamus, ad HIPPOCRATEM ipsum [l]), ex quo, ceu perenni vberique fonte postea eandem sapientissimam sententiam certatim quasi hauserunt, suosque veluti hortulos eadem irrigarunt, ARETAEVS, GALENVS, ALEXANDER TRALLIANVS, BASILIVS MAGNVS, IOANNES CHRYSOSTOMVS, ISIDORVS PELVSIOTA, et ex Latinis, CICERO, et alter Medicorum Cicero, CORNELIVS inquam CELSVS, APVLEIVS, aliique plures: qua de re plenius doctiusque olim iam tractauit CONRADVS RITTERSHVSIVS [m]).

 §. XXXIX.

k) In *Abdicato, pag.* 162. *Tom.* II. Edit. Operum nouissimae et nitidissimae, per Clarissimos Viros, REITZIVM atque GESNERVM, ingenti rei literariae Commodo, curatae ac publicatae.

l) *Lib.* de *Arte* §. XIV. *pag.* 8. *Tom.* I. *Opp. per* LINDENIVM.

m) *Lib.* IV. *Lectionum Sacrarum, Cap.* 22. *pag.* 342.

§. XXXIX. Imitentur ergo, ſerio ſeduloque ſuadeo et hortor, omnes prudentiores Medici nobile illud FABII iſtius CVNCTATORIS exemplum, ſique, vt ille quidem, rem non reſtituant cunctando; at caveant tamen, ne perdant eam feſtinando: ſequanturque hinc potius ſemper, quoties nempe ſumma neceſſitas exegerit, prudentiſſimum ipſius monitum, apud LIVIVM n), quo ipſo nunc huic noſtrae Diſſertationi colophonem tandem imponere placet:

Medicos plus interdum quiete, quam mouendo atque agendo, proficere.

NOBILISSIMO ATQVE DIGNISSIMO
CANDIDATO SVO
PRAESES.

Iam Tibi priuatim teſtatus, quantam animi voluptatem ceperim ex inſtituto Tecum nuper examine, quod, omnium vnanimi ſuffragio, eximia plane cum laude, ſuſtinuiſti; nunc publice quoque lubens gaudensque profiteor, me, inter paucos, Te cenſere omnino digniſſimum, cui ſummi in Arte noſtra ſalutari, honores conferantur. Quare iam ex animo ipſo, et non conſueto inani ac vulgari gratulantium more, gratulor Tibi de noua iſta dignitate, meritis Tuis iure impetrata: Gratulor quoque Venerando Tuo PATRI, de tam bonae indolis et egregiorum in Medicina profectuum Filio: Gratulor pariter, ipſi noſtro Ordini, de tam erudito et Artis perito Candidato: Potiſſimum vero gratulor patriae Tuae, immo omnibus illis locis, in quibus in poſterum facturus es Medicinam, de Medico tam docto, ſolerti et prudenti, ad publica commoda prouehenda, vnice nato ac formato. Neque inde vnquam dubito, licet in hac Tua Diſſertatione Inaugurali ſolide docueris, nullam medicinam interdum eſſe optimam, omnem tamen Tuam medicinam circumſpecte et ſapienter adhibitam, ſemper fore optimam: Adeo, vt, quod certiſſime quidem ominor, nunquam Tibi inpoſterum defutura ſint praemia, ſingulari Tua induſtria ac doctrina digniſſima. Ita vale in publicam ſalutem, quam diutiſſime, quam iucundiſſime, Tuoque Praeſidi, Tui, crede mihi, amantiſſimo, et vniuerſo inprimis ordini noſtro, abſens quoque, fauere, quaeſo, perge! Scribebam raptim Wittembergae, d. XII. Decembr. A. O. R. cIↃIↃCCLIV.

DISSER-

n) *Lib.* XXII. *Cap.* 18. Conf. IO. BENEDICTI SINIBALDI *Antiphon.* HIPPOCRATIS, *Lib.* II *pag.* 53.

DISSERTATIO MEDICA SEXTA.
DE
CORTICIS PERVVIANI VSV SENIBVS, GRAVIDIS ET INFANTIBVS SALVTARI.

§. I.

Ec ipſa Medicamenta ſua habent fata, ſuaque placendi, aut diſplicendi, tempora, quibus nunc commendata, aliquandiu vigeſcunt, nunc vero rurſus contemta, ſubito vileſcunt. Praeſertim, ſi generoſiora fuerint, aut noua, vel compoſitione, vel ortu ac naſcendi origine, ex peregrinis nempe oris ſerius aduecta atque hinc nondum ſatis cognita et explorata.

§. II. Tum enim ex variis praeiudiciis et affectibus, vt ſcilicet diverſa ſunt hominum ingenia et iudicia, vel nimis laudantur et extolluntur; vel ex inuidia, properantia, timiditate, ignorantia, aut foeda obloquendi libidine, viciſſim nimis vituperantur et depriimuntur, quum pauci omnino reperiantur, qui aequitatis aut modeſtiae amantiores, medium, idque tutiſſimum, iter ſectentur.

§. III. Si quis ergo vaſtam illam atque ſpatioſam materiae medicae ſiluam vel obiter tantum peruagetur; tum ſane vbique ſat luculenta deprehendet exempla eiusmodi remediorum, quae a ſplendida nonnullorum medicorum commendatione ſubitam famam indepta, nunc aliquandiu viguerunt; nunc vero ab aliorum obtrectatione, aut ſuſpecta reddita, aut prorſus damnata, ſubitam quoque famae, vix aliquantulum adultae, iacturam rurſus fecerunt: adeo, vt inde Medici, praeſertim Tirones, dubii omnino ſuſpenſique haererent, quasnam in partes tutius concederent: inuitati quippe atque allecti hinc largis promiſſis et opimis laudibus; hinc vero rurſus ſuſpecta fide et iniecto minacium periculorum metu deterriti, maluerunt tandem, ſecurius conſilium eligendo, eiusmodi ſubleſtae fidei Remedia plane non experiri, quam ambiguum ipſorum euentum trepidantes quaſi, praeſtolari. Hinc multa egregia Medicamenta nunc oblita et obtrita, iacent, quae inter ipſa laeta creſcentis famae initia, per tetram inuidiam et diram obtrectandi libidinem, ingenti humani generis damno, oppreſſa fuerunt. Alia contra, praeſertim Chemica vehementiora, qualia multa HARTMANNVM

inprimis, FABRVM et alios, praeparasse constat, ob metuendam inde noxam, iure meruerunt, vt sic opportune perirent, et in ipsa veluti herba adhuc tenera, suffocarentur *).

§. IV. Ex quibus plura nunc exempla nec inutilia, nec iniucunda hic opportne producere possemus, nisi instituti nostri probe memores, intelligeremus, nobis angusto iam limite clausis, conscribendam potius esse Dissertationem breuioris spatii academicam, quam spatiosum Volumen in publicam lucem protrudendum. Quare iam pauca tantum e multis, summis veluti digitis, attingere nobis licebit.

§. V. Sic de *Stibio*, seu *Antimonio* satis, opinor, cognitum est, quam acres internecinae paene lites superiore saeculo, concitatae fuerint Batauorum Medicos inter atque Gallorum, quorum antesignanus potissimum fuit amoeni ingenii et faceti oris Medicus, GVIDO PATINVS [a]), illis inter saluberrima remedia, his contra magna quidem ex parte, inter periculosissima medicamenta, quin et venena ipsa istud referentibus. Quae feruida *Stimmimachia* [b]) multos in vtramque partem peperit libellos et apologias, etiam inter ipsos medicos Parisienses, plurimum dissentientes, tanta quidem animorum contentione et aestu conscriptas, vt ipsa fere olim ecclesia per haereticos, *Nomomachos*, vel *Antinomos*, vulgo dictos, vix vehementius turbata fuerit, quam quidem medicorum inprimis ipsorum Parisiensium, scholae, eo infelici tempore, per istos implacabiles quasi *Antimoniomachos*, vt ita dicam, concussae et in partes distractae fuerunt. Sed, vt ingenue fatear,

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Quorsum et potissimum pertinet istud *Antimonii Vitrum ceratum* dictum, nuperius a medicis Edinburgensibus repertum et impense commendatum, vnde et ipsi eximias plane medendi virtutes larga veluti manu, tribuerunt CHARAS, GMELINVS, BILFINGERVS, BASTERVS, aliique

*) De quibus vid. si placet, quae nuper diximus in *Prolegomenis*, *ad Thesaurum pharmaceuticum vniuersalem*, et in ipso illo laborioso opere, passim data occasione.

a) In *Epistolis* passim: Vid. praesertim *Epist.* 46. *Vol.* I. *pag.* 195. et *Epist.* 96. *pag.* 381. item *Ep.* 310. *pag.* 610. *Vol.* II.

b) Conf. huc inprimis poema illud Gallicum satyricum lepidissimum: *La Stimmimachie, ou le grand Combat des Medicins modernes, touchant l'usage de l'Antimoine, à Paris*, 1656. Add. dicta a nobis in *Thesaur. pharm. part.* I. et II.

que viri clarissimi: dissentientibus licet nouissime, LVDOV. FAKRATO c) et aliis nonnullis. Verum longior dies atque vberior diligentiorque experientia aliquando certius docebit, vtrum tantae expectationi faustus semper constansque respondeat euentus? an vero isti, qui nimium confidit fragili illi Antimonii Vitro Cerato, aptari potius possit istud HORATII:

Ceratis ope daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

§. VI. *Opii* quoque opem frequentissime olim implorabant plerique medicorum, ad pertinaciorum morborum ferociam mitigandam, blandumque somnum prouocandum. Vnde in amplissimas ipsius laudes certatim quasi effusi sunt WEDELIVS, DOERINGIVS, TILINGIVS, HARTMANNVS, SYDENHAMVS, FREYTAGIVS, HEIGELIVS, aliique paene innumeri, a ZORNIO, in Botanologia, diligentissime laudati; quibus nouissime accessit ALEXANDER THOMSON, Britannus et Celeb. TRALLES. Verum per examina accuratiora cum opio instituta, demum patuit, ipsum dolores potius ad tempus aliquod, obtundere, quam penitus tollere; stuporem magis sensibus inducere, quam verum placidumque somnum, praetereaque corpori ipsi plura damna inferre, quam commoda. Inde cautiores Medici rectius censuerunt, ista quidem soporifera rarius esse opifera, frequentius autem mortifera, et non solum partium νάρκωσιν producere, sed et saepius νέκρωσιν. Rarissime enim Medicina velox est felix; frequentissime autem fallax et grauissimorum periculorum ferax; ceu de opio ipso notissimum. De quo plura nos quoque nuper diximus in *Dispensat. pharmaceutico vniuersali, part.* 1. *pag.* 261. *sqq.* quae, si placet, videantur et expendantur.

§. VII. De ambiguo *Mercurialium* vsu, nemini, credo, ignotum erit, quantae a longo iam tempore, agitatae fuerint controuersiae, quae neque in hunc vsque diem, plane compositae sunt. Nihilominus tamen magnus ille Viennensium Aesculapius, seu, vt rectius dicam, BOERHAAVIVS

c) In *Thesibus ex Mat. Med. et Chymia. Basil.* 1757. Conf. si lubet, quae pariter modeste de eodem *Vitro Antimonii cerato*, monuimus in dicto *Thesauro pharmaceutico, part.* II. in fine, *pag.* 854.

HAAVIVS rediuiuus, nuperrime, non formidauit, vt nempe magnos magna et ardua decent, vel ipſum illum formidabilem *Mercurium ſublimatum*, ceu ſummum vnicumque praeſidium atque aſylum, a Venere impura ſaeuiſſime ſauciatis enixius commendare, multisque eam in rem inſtitutis experimentis, ſublimem ipſius ſublimati vſum diligenter oſtendere, licet haud ita pridem contra ipſum inſurgere auſus fuerit MALOVIN, in Chemia medica; vt et POMME, *Traité des affections vaporeuſes*, adeo, vt inde euentus ſit expectandus. Huc vero inprimis pertinent BLASCKE, Viennenſis, et GORDON, Anglus, qui de ipſius eximio in morbis venereis, vſu, diligenter ſcripſerunt. *Veronae* quoque 1758. prodiit IOANNIS BONAE *Hiſtoria aliquot curationum Mercurio ſublimato corrodenti perfectarum*, vbi varia perſonarum illuſtrium exempla recenſentur: quod et pariter luculenter poſtea factum in Libro gallico: *Memoire, pour ſervir à l' hiſtoire de l' uſage interne de Mercure ſublime corroſiv*, par Mr. BEQVE DE PRESLE, *à Paris*, 1764. conferendus quoque huc EHRMANNVS, qui Mercurii huius ſublimati Hiſtoriam, à Rhaze, vſque ad noſtra tempora, perquam accurate ac diligenter deſcripſit. Vid. et Cl. GMELINI, Diſſert. *de ſpecifica methodo recentiore, Cancrum ſanandi, Tubing.* 1757. item, ſi placet, *Theſaur. pharm. vniuerſal.* noſtr. *Part.* II. *pag.* 403. et quae ibi a nobis obſeruata; inprimis autem a Cl. LOCHERO, Medico Viennenſi cel. qui in noſocomio ad ST. MARCVM, intra octo annos, ingentem aegrotorum 4880. cateruam iſto quidem Mercurio ſublimato, feliciter ſanatam et a foeda ſcabie Venerea liberatam vidit. Vide interim Monitum Cl. CARTHEVSERI, in *Pharmacolog. Sect.* 7. *pag.* 447. item Cl. HVNDERTMARK, in *Comment. de Ozaena Venerea, pag.* 18. item WILLIAM BROMFIELD. *Obſſ. de Solano*, Londin. 1757. et Cl. TRALLES, in vexatiſſimo argumento *de Inſit. Variolor. pag.* 233.

§. VIII. *Cinnabarinis medicamentis* multas magnasque medendi virtutes ab omni fere aeuo, tributas vulgo fuiſſe, inter omnes ſane liquido conſtat. Inde ergo *Specificum Cephalicum* MICHAELIS, *Aurum horizontale* ZWINGERI, item *Panacea* KORNMANNI, et *Puluis cordialis Cellenſis*, vt et *epilepticus rubeus Norimbergenſium*, nec non *antilyſſus rubicundus moſchatus, antiſpaſmodicus* denique STAHLII *ruber*, vbique notiſ-

ſimus,

ſimus, aliaque plura eiusmodi remedia e Cinnabari potiſſimum parata, iam dudum magno in pretio haberi et contra atrociores cerebri, cordis et neruorum affectiones enixe commendari coeperunt. Ex quo vero haud ita pridem, ſingulari CARTHEVSERI d), HVNDERTMARKII e), TRALLES f), FAKRATI g), aliorumque clariſſimorum medicorum induſtria et indagine, liquidius innotuit, ipſam quidem Cinnabarim pulchram tantum et ſpecioſam aſpectu maſſam, ceterum autem inertem fere et inutilem eſſe ſarcinam, de qua vix quidquam praeſidii aut virtutis medicae in corpore aegroto, expectari poſſit; tum certe illa plurimum de dignitate ſua priſtina amiſit, ſplendidaque ipſius purpura exinde ſenſim palleſcere quaſi coepit: licet illi nouum veluti colorem inducere tentauerit SCHVLZIVS h): ſcilicet poſt VITVM RIEDLINVM i), CLAVDERVM k), TILINGIVM l), aliosque plures, alibi iam commemoratos, nempe in *Theſauro pharmaceut. vniuerſ. part.* I. *pag.* 29.

§. IX. In eundem quoque cenſum venit *Aethiops* ille *mineralis*, a medicis praeſertim Anglicanis, ſubitae potius, quam manſurae famae traditus: quorum auctoritate inducti etiam nonnulli ex noſtratibus, vti SCHROMMIVS m), SCHVLZIVS n), paucique alii, quos lubens praetereo, neſcio quas ſingulares virtutes in reſoluendis omnis generis inveteratis viſcerum et glandularum obſtructionibus, et morbis praecipue puerorum curandis, ipſi adſcripſerunt. Docuit vero e contrario BOERHAAVIVS o), at quantus vir, duce ratione, et experientia comite, atque vna cum ipſo, CARTHEVSERVS p) et GMELINVS q), vt alios iam taceam,

d) In diſſert. *de Cinnabaris inertia medica*: item in *Pharmacolog. Sect.* VII. *pag.* 457. et in *Fundament. Mat. Med. Part.* II. *Sect.* XVI *p.* 593. *ſqq.* add. *Theſaur. pharm. part.* II. *pag.* 97. et *pag.* 666. et *part.* I. *pag.* 29. vt modo dictum.

e) In Diſſ. *de Mercurii viui cum Salibus mixti ſumma in corpus humanum Vi, eiusque cum Sulphure laxius vel arctius coniuncti Virtute in idem nulla: Lipſ.* 1757.

f) *In Examine Abſorbent. rigoroſo, p.* 81.

g) *Theſ. de Mat. Med.*

h) In *Praelect. ad Diſpenſat. Brand. p.* 62.

i) *Lin. Med. Ann.* 1695. *p.* 428. *ſqq.*

k) Diſſert. *de Cinnabari natiua.*

l) In *Scrutinio Cinnabarino.*

m) In Diſſ. *de Aethiope minerali, Altdorf.* 1725.

n) *Praelect. in Diſpenſat. Brand. p.* 7.

o) *Element. Chem. Tom.* II. *part.* III. *proceſſ.* 101. *pag.* 431.

p) *Fundament. Mat. Med. Part.* II. *Sect.* 16. *cap.* 4. *pag.* 597.

q) Diſſ. *de Botanica et Chemia ad medicam praxin applicata, Tubing.* 1755. quibus laudatis ſupra Auctoribus add. ſi placet, quae diximus ingenue, de hoc inerti et inepto *aethiope*, in *Diſpenſat. pharm. vniuerſal. part.* II. *pag.* 8. *ſq.*

taceam, nulla alia medendi facultate pollere hunc aethiopem; aſpectu triſtem ac tetrum, et effectu ipſo pigrum et imbellem, quam quidem perquam exigua vermes pellendi; quam tamen et ipſi eripere tentauit RIEDLINVS [r]). Quare aethiopem forſan lauabit, quiſquis huius aethiopis defenſionem in poſterum ſuſceperit, eiusque deſperatam veluti cauſſam denuo egerit, quoniam, vt bene poeta:

Qui niger eſt, nulla candorem ſumit ab arte.

§. X. *Magneſiae* illi *albae* olim quoque celeberrimae primam fere medendi palmam detulit COMES DE PALMA, primus ipſius ſi non inventor; tamen commendator, quem, vt nouitas miram habere ſolet gratiam, plures deinde ſequuti laudatores, diligenter a clar. HVNDERTMRRK [s]), enarrati, quibus nuperrime nouus veteris Magneſiae encomiaſtes acceſſit IOSEPHVS BLAK [t]), ſed, vt verum equidem fatear, plus lucri commodique captabant Magneſiam praeparantes ac vendentes; quam quidem eadem vtentes. Namque ex crebro ipſius vſu, ventriculi praeſertim et inteſtinorum querelae non tollebantur, quin potius nonnunquam vehementius inſurgebant, et nouis inſuper malis variis adaugebantur: quod praeter alios multos, inprimis ſolide docuit magnae famae Chemicus, NEVMANNVS [u]), et poſt eum nouiſſime Cl. GMELINVS [w]). Hinc Magneſia iſta magnam potius, quam diuturnam, laudem adepta, ſenſim rurſus euiluit, vt illi inde illud poetae apte conveniat:

Stat magni nominis vmbra.

§. XI. Nouum iſtud *Lithontrypticum Anglicanum*, a Virgine STEPHENS inuentrice, ingenti praemio prius accepto, tandem publicatum, ſplendida illa elogia, quibus per totam fere Europam, ad tempus, inclaruit, haud diu cum dignitate, ſuſtinuit. Poſtquam enim CHARAS [x]), SCHVLZIVS [y]), THIERY [z]), aliique praeſtantiſſimi medici, grauiſſimis rationibus,

r) *Lin. Med. Ann.* 1698. *Obſ.* 2. *pag* 6.

s) In *Exercitat. de Sacchari Saturni Vſu intern. pag* 4. *ſqq.*

t) In *Diſſ. de Humore acido a Cibis orto, et Magneſia alba, Edinburgi,* 1754.

u) In *praelect. Chemic. P. V. Regn. mineral. Cap.* 27. *p.* 1659. *ſqq.*

w) In *Diſſert. de Botan. et Chem. ad praxin med. applicata:* add. *Diſpenſat. Brand. pag.* 100. in *Not.* vbi et vid. *praelect. Schulzii, pag.* 183. vt et *Diſpenſator. noſtrum vniuerſ. part.* II. *pag.* 391. *ſqq.*

x) In *pharmacop. Regia, Part.* II. *p.* 866.

y) In *Diſſert. de Lithontryptico, nuper in Britannia iuris publici facto, Halae,* 1739. Conf. *Diſpenſat. pharm. vniuerſ.* noſtr. *part.* II. *pag.* 517.

z) In *Medicina extemporali.*

nibus, et multis experimentis male ſuccedentibus, conuicti, fidem ipſius, vtpote ſaepiſſime fallacem, merito ſuſpectam reddiderunt; nunc inter alia id genus *Lithontryptica* quam plurima, quae plus nempe promittunt, quam praeſtant, neglectum fere et illaudatum iacet, fruſtra licet fragilis huius et teſtacei quaſi praeſidii lithontryptici defenſionem amplisſimam nuperrime denuo ſuſcipiente Anglo quodam Anonymo [a]).

§. XII. *Puluis* ille *Palmarii* notiſſimus, qui tamen rectius auctorem habet IAC. SYLVANVM, DOMINVM DE PYROV, pro palmario olim remedio habebatur contra diram hydrophobiam: ſed nunc nemo credit medicorum peritiorum, tantas ineſſe virtutes pulueri illi, non malo quidem; ſed ad hos magnos tamen vſus haud ſatis idoneo, generoſo atque efficaci [b]). Sicut nec *Vermes*, ſeu *ſcarabaeos maiales*, pretioſa licet mellis conditura propemodum regie ſepultos, nec *lichenem terreſtrem cinereum* cum pipere mixtum, nec *Anagallidem*, nec *Acetum antilyſſicum* HANNEMANNI, nec *puluerem antilyſſum rubrum* ex duplici Cinnabari atque Moſcho compoſitum, cuius iam ſupra facta fuit mentio, nec denique turpiſſimum illud *Turpethum minerale*, aliaue remedia plura, vulgo quidem iactantius laudata, rabiem illam caninam ferociſſimam, et terribilem aquae fruſtra appetitae metum vllo modo compeſcere potuiſſe, magno medentium dolore, ac moerore, hodie compertum eſt [c]).

§. XIII. *Aurum fulminans*, *Antihecticum* POTERII, *Tincturam antiphthiſicam* GRAMANNI, *Aquam benedictam* RVLANDI, et *puluerem* denique CORNACHINI, in vnam nunc claſſem coniiciam ſimul, quoniam haec omnia eiuſdem paene ſunt vſus, id eſt, nullius, aut certe ambigui; certioris autem damni atque periculi: Et mirum profecto eſt, tanta quidem cum fiducia ac ſecuritate, diutius commendari potuiſſe haec ipſa medicamenta, quae tamen in perniciem potius, quam ſalutem generis humani, reperta eſſe videntur. *Aurum* enim *fulminans* ob atroces, quos edit in tenellis praeſertim infantum corporibus, effectus, vt alia iam ma-

 la,

a) *Londini*, 1755.

b) Vid. HERM. BOERHAAVE, *prax. Med.* T. v. *p. ſqq.* ill. VAN SWIETEN, *Comment. Tom.* III. *pag.* 586. *ſqq. Commerc. litt. med. Norimb. Ann.* 1735. *pag.* 83. et *Theſaur. pharm. vniuerſ. part.* II. *p.* 551. *ſq.*

c) Vid. CHARAS *Pharm. Reg. Tom.* I. *pag.* 210. VAN SWIETEN, *Comment. Tom.* III. *pag.* 588. MEAD, *de Venen. Eſſoy* III. *of the Mad Dog. pag.* 165. *ſqq.* LOESEKE, *Mat. Med. pag.* 199. et alios pluros. add. *Theſaur. pharm. part.* I. et II.

la, ab ipſo metuenda, taceam, fulmine omnino et execratione merito dignum a peritioribus quidem et cautioribus medicis, cenſetur d). Videtur namque eſſe doloſum illud aurum Tholoſanum, de quo ita pronunciat AVL. GELLIVS e): *Quisquis illud Aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periit.*

§. XIV. *Antihecticum* vero POTERII licet nouiſſime a CAROLO ALSTON Anglo, denuo in lucem deſuetam reductum, et forſan ob Iouem, vt ita loquar, indigenam, ſeu ſtannum patrium Anglicanum, impenſius commendatum, tantum abeſt, vt febres hecticas tollat, vt potius faciat, aut iam factas augeat, plerumque enim tabidi pereunt, *quos malus hic Iupiter vrget* f). Sicut et *Tinctura antiphthiſica* GRAMANNI, quae phthiſin tamen perfectiſſime ſanat, nempe per beatam mortem, quae ex lento illo ſacchari Saturni Veneno, ipſi copioſe adiecto, certiſſime tandem expectari debet g).

§. XV. *Aqua benedicta* RVLANDI in omnibus paene morbis, immo in ipſa quoque pleuritide, quod vero mirandum potius, quam imitandum,

d) Vid. DAN. LVDOVICI *Pharmac. pag.* 182. et *pag.* 288. HOFFMANN. *Med. Rat. Syſt. Tom.* II. *pag.* 290. *ſqq.* et *Tom.* III. *pag.* 487. RIVIN. *Med. Officin. Cenſur. p.* 115. BOERHAAVE, *Elem. Chem. Tom.* II. *pag.* 436. et *Conſult. Med. p.* 365. SCHVLZ. in *Praelect. p.* 46. CARTHEVSER. *Pharmacol. p.* 480. BVCHNER. *Fund. Mat. Med. pag.* 180. GEOFFROY *Mat. Med. Tom.* I. *p.* 318. LOESEKE, *Mat. Med. pag.* 146. VALENTINI, *Nouell Med. Leg. pag.* 482. *ſqq.* EWALDT et STAHL, item ALBERTI, Diſſ. *de Auro fulminante, Diſpenſat. Prag. p.* 86. vt alia plura ſcripta taceam, laudata iam a nobis in *Theſaur. pharmaceut. vniuerſali, Part.* II. *pag.* 93. *ſqq.* vbi et ipſi iuſtiſſimum indignationis fulmen haud plane imbelli, vt opinamur, dextra, in hoc ipſum dirum *Aurum fulminans* merito emiſimus, vt inde nempe ſibi caueant prudentiores Medici, ne fulminante veluti manu, crudeliſſime perimant miſerrimos aegrotos, praeſertim autem teneros innocentesque infantes.

e) *Noct. Att. Lib.* III. *cap.* 9. De quo notiſſimo prouerbio, plura videſis collecta apud ERASMVM *Roterodam. Chil.* II. *Cent.* I. *Adag.* 98 *pag.* 384.

f) Vid. STAHLII *Mat. Med. Part.* I. *pag.* 83. et *p.* 92. GOETZ. *Obſ. Med. pract. Stahl. p.* 162. LVDOVICI *Pharm. pag.* 285. BOERHAAVE, *Elem. Chem. Tom.* II. *p.* 414. SCHVLZ. *Praelect. p.* 12. CARTHEVS. *Pharmacol. p.* 517. BVCHNER. *Fund. Mat. Med. pag.* 155. *Diſpenſ. Brand. p.* 6. in *Not.* et *Pragenſ. p.* 21. THIERY *Med. extemp.* et alios plures, laudatos iam a nobis, in *Theſaur. pharm. vniuerſ. part.* II. vbi plura de hoc ipſo *Antihectico*, ſiue rectius *Hectico Poterii, p.* II. *ſqq.*

g) Vid. HOFFMANN. *Med. rat. Syſtem. Tom.* II. *p.* 296. et *Tom.* IV. *pag.* 574. item *Diſſ. de Laeſion. extern. pag.* 30. CARTHEVSER. *Pharm. p* 314. BVCHNER. *Mat. Med. p.* 195. SCHVLZ. *Praelect. p.* 382. STAHL. *Mat. Med. Part.* I. *p.* 91. GOETZ. in *Recenſ. Script. Stahl. pag.* 162. et nouiſſime *Baron.*

tandum, ab auctore dilaudata, et in vsum vocata, diu benedicta fuit, dum inuentori plurimum lucri et aureae quasi benedictionis attulit. Sed vbi eam ventriculo inprimis multum officere, variosque inde sinistros effectus suscitare, tandem deprehensum fuit: ista quidem aqua benedicta maledictis potius aquis, vt ita dicam, sensim accenseri coepit. Vid. *Thesaur. pharmaceut. vniuers. Part.* II. *pag.* 30. et Libell. *de pleuritide.*

§. XVI. Par fere fatum habuit *Puluis* CORNACHINI, per totam Italiam, immo et Europam ipsam, quondam celeberrimus: nunc vero non nisi rarius timidiusque in vsum aduocatus. Quum enim ob *Antimonium* praesertim *diaphoreticum*, cum reliquis purgantibus adiectis arctius vnitum, iustoque diutius simul asseruatum, saeuissima tormina, acerrimas cardialgias, vehementiores vomitus et diarrhoeas paene lethales saepissime concitaret [h]): factum inde est, vt anceps praecepsque ipsius vsus vel sub grauissima damnationis ad triremes, poena, Romae, quondam interdiceretur [i]). Quin etiam ex eadem ratione, quod scilicet

 multi

ron. in *Addit.* ad LEMERII *Curs. Chym.* qui omnes Tincturam hanc antiphthisicam toties licet a multis magnis quoque Medicis, et recentissime a WRIGTHO Scoto, laudatam, prudentius tamen, inter lenta et tabifica Venena, quam secura remedia, retulerunt, quod et nos merito nuper fecimus, in citato iam saepius *Thesauro pharm. vniuersali, part.* II. *p.* 765. *sqq.* vbi exactius egimus de hac ipsa *Tinctura antiphthisica*, siue rectius, *antiphysica* et *antipsychica*, vt ita serio quasi ioco, loqui liceat. De qua merito ita grauissime exclamat laudatus supra HOFFMANNVS: *Vitanda cane peius et angue est Tinctura antiphtphisica Gramanni, quae magis procurat phthisin et maturat.* Sic ille Vir maximus, per Deum! verissime, in *Consultat.* et *Respons. Med. Cent.* I. *Sect.* II. *Cas.* 99. *pag.* 147. *Tom.* IV. *Opp. Med.*

h) Vid. huc potissimum ZWELFERI *Pharmcop. Reg. pag.* 96. THOM. BARTHOLINI *Acta med. Hafn. Vol.* V. *p.* 25. DOLAEI *Encyclopaed. Med. Lib.* IV. *cap* 6. *p.* 120. RIVINI *Diss. de dubio Medicament. effectu, pag.* 61. SCHVLZII *Diss. de Antimon. diaph.* et *Diss. de inexpectato Medicament. effectu, p.* 23. *sqq.* item *Praelect. ad Dispens. Brand. pag.* 15. BOERHAAVE, *Elem. Chem. Tom.* II. *p.* 452. et praesertim VIT. RIEDLINI *Lin.* et *Obss. med.* locis diuersis, mox laudandis, quibus add. si placet, quae nosmet ipsi de feroci huius pulueris indole et funesto saepius effectu, nuperrime sat diligenter copioseque diximus atque seuere monuimus, in citato iam aliquoties *Thesauro pharmaceutico, Part.* II. *p.* 529. *sqq.*

i) Vid. WELSCHII *Obss. med. Episagm.* 98. *p.* 65. RIEDLINI *Obss. med.* 61. *p.* 212. *sqq.* eiusdem *Curat. med.* 665. *Cent.* VII. *pag.* 414. et *Lin. med.* de *Ann.* 1695. *pag.* 191. *sqq.* maxime autem ZWELFER. loco iam supra e *Pharmacop. Regia*, allegato, et nos in *Thesaur. pharm.* modo allegato.

multi ex nimio et intempestiuo ipsius vsu, male perirent; terribile illud nomen *tricipitis Cerberi*, vt et *pulueris trium diabolorum*, non sine omine, obtinuisse meruisseque videtur: Quasi vero non vnus, vt ita dicam, diabolus sufficeret, ad integrum humanum genus perdendum.

§. XVII. Quantam famam consequutae sint *peregrinae* illae *radices Ginseng*, seu, *Ninzin*, atque *Parreira braua*, vna cum stipitibus foliisque *Apalachines*, seu *Paragoae*, adeo, vt propter mirandas prorsus medendi virtutes, vulgo quidem iactatas, in omnis generis morbis feliciter profligandis, par fere ipsi auro pretium illis statueretur, cuiuis medicorum doctiorum notissimum esse arbitror, quisquis immensas paene *Rad. Ginseng* laudes legerit in NEVHOFIO, HALDE, PISONE, DEKKERO, VALENTINI, et aliis, a ZORNIO in *Botanol.* diligenter adnotatis; splendida vero *Parreirae brauae* praeconia, a LOCHNERO, integro libello elegantissimo comprehensa, vt alios illo recentiores iam taceam eiusdem laudatores; et *Paragoae* denique elogia magnifica apud KAEMPFERVM, CHARLEVOIX et alios. Sed vbi ad ipsa experimenta ventum fuit; sensim luculenter patuit, faustum quidem euentum haud vbique respondere magnae illi et securae nimis expectationi: Hinc illis ipsis radicibus exoticis, stipitibusque, seu foliis istis, nec tantum praemium, nec tantum praeconium tribuendum esse, seuere vereque pronunciarunt ATHANAS. KIRCHERVS[k]), THOM. BARTHOLINVS[l]), BOERHAAVIVS[m]) HOFFMANNVS[n]), AMMANNVS[o]), CARTHEVSERVS[p]), LOESEKE[q]), et alii plures, laudati iam a nobis, in citato saepius *Dispensatorio pharm. vniuersali, part.* I. *de Mat. med.*

§. XVIII. Illud denique famosum fumosumque *Picis liquidae Infusum* ab aliquo tempore, tantopere vbiuis expetitum, et omnibus fere remediis, etiam praestantissimis, longissime praelatum, cui, quaeso, vel ex infima plebe, ignotum amplius fuerit? Ex America enim primum in Hiberniam delatum, deinde vero episcopali auctoritate, sanctius scilicet ac

religio-

k) *Chin. illustrat. Part.* IV. *cap.* 6.

l) *Act. Med. Hafn. Vol.* V. *obs.* 10.

m) In *Consultat. Med. pag.* 332. et praesertim, *pag.* 360. *sqq.*

n) In *Differt. de vera Medicamentorum, in Morbis, virtute et efficacia, rite dignoscenda.*

o) In *Irenico* HIPPOCRATIS et IVM. POMPIL. *p.* 267 *sqq.*

p) *Fundament. Mat. Med. Part.* II. *p.* 420.

q) de *Mat. Med. p.* 269.

religiosius, commendatum, piceo quasi cataclysmo, totam inundauit Britanniam, qui deinceps in vniuersam paene Europam sese latius diffudit, adeo, vt omnis fere suae salutis aliquanto incuriosior negligentiorque esse crederetur, quisquis de saluberrima illa, si Dis placet, pice, nihil quidquam gustasset: ita, vt fere cum poeta hic exclamandum sit:

Fluit agmen aquarum
Turbine confusum piceo.

Postquam vero ista *Pissomania*, vt ita loquar, plusquam epidemica, sensim deferbuisset, et languidior indies affectus ad sanius iustiusque iudicium rediisset, crebrisque experimentis manifestius constituisset, isti picis liquidae infuso nullam paene medendi virtutem competere aliam, nisi forte exiguam antiscorbuticam, aut antinephriticam [r]; tum stygium illud, vt ita dicam, Nectar, tanto cum desiderio olim quaesitum, tantaque cum voluptate haustum, fastiditum ac reiectum, et orco veluti suo, (si iocari quidem liceat,) vnde seuero nonnullorum medicorum iudicio, forte venerat, remissum fuit, vbi, vt poeta ait:

Verbera, Carnifices, Robur, Pix, Lamina, Taedae.

§. XIX. Sed haec iam pauca, ex innumeris paene, sufficiant de *diuersis Remediorum Fatis.* Plura autem cognoscere si quis forsan aueat, is, quaeso, diligenter euoluat ZWELFERI *Animaduers. ad pharmacop. Augustan.* eiusdemque *pharmacopoeiam Regiam,* item ETTMÜLLERVM et HOFFMANNVM patrem, ad SCHROEDERVM, et HOFFMANNVM Fil. ad *Poterium,* CHARAS. *Pharmac. Regiam,* SCHVLZII *Praelect. ad Dispensat. Brand.* inprimis autem DAN. LVDOVICI *Pharmaciam,* rerum sane praestantia, quam stili elegantia, commendabiliorem, et RIVINI denique, quo adhuc in senectute, praeceptore olim, gloriamur, *Dissertat. de Medicamentorum officinalium Censura:* Praesertim vero multos

r) Conf. huc. CHARAS *Pharmacop. Reg. Tom. II. pag.* 860. *sqq.* CARTHEVSERI *Fundament. Mat. Med. Part. II. c.* 36. *p.* 281. *sq.* BVCHNERI *Fundament. Mat. Med. p.* 615. *sq.* et LOESEKE, *de Mat. Med. pag.* 280. qui praesertim parcus admodum est laudator nauseosae illius et ingratae picis aquae, vt alios plures, qui cum ipso faciunt, iam praetermittam, quos inter et nomen nostrum publice nuper professi sumus, in *Dispensatorio pharmaceut. vniuers. part. I. pag.* 245. *sq.* vbi fusius exactiusque de hac ipsa picea panacea, et sordido Rusticorum Nectare, egimus, ipsiusque longam historiam, et perquam exiguum vsum satis diligenter, ni fallor, enarrauimus.

multos variosque illos Materiae Med. ſcriptores, v. g. VALENTINI, in Muſeo Muſeor. HERMANNVM, eiusque commentatores et amplificatores, HENNINGERVM atque BOECLERVM, amicum quondam noſtrum ſuauiſſimum, item GEOFFROY, CARTHEVSERVM, BÜCHNERVM, LOESEKE, aliosque plures, quorum hoc ſaeculum in primis noſtrum feraciſſimum eſt: quo et ipſum inprimis pertinet opus noſtrum maius pharmaceuticum, vi quaſi a nobis demum extortum, in quo et paſſim, praeſertim autem Parte II. de diuerſis diuerſorum Remediorum fatis, data occaſione, tractauimus. Ceterum vero de his diuerſis aduerſisque variorum Remediorum fatis, commode ſatis, opinor, dici poteſt iſtud quidem HORATIANVM:

Multa renaſcentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc ſunt in honore.

§. XX. Vt autem nunc ad noſtrum argumentum, nobis hic maxime tractandum, propius accedamus, ex omnibus fere remediis, tam hactenus commemoratis, quam breuitatis ſtudio, praeteritis, nullum certe noui, quod nunc clementiora, nunc vero rurſus aſperiora fata viciſſim habuiſſet, quam *Corticem* quidem *Peruuianum, Chinae Chinae* vulgo dictum. Ex quo enim ille, diuino beneficio, feliciore ſidere, ex orbe nouo, ob hunc ſolum fere Corticem, digno, qui detegeretur, veteri noſtro orbi innotuit, (anni iam centum et vltra, dudum effluxere s); dici credique vix poteſt, quam contraria diſſonaque Medicorum iudicia expertus fuerit, nunc nonnullis ipſum ad ſumma quaſi ſidera euehentibus;

s) Annus, quo *Cortex peruv.* primum Europaeis innotuerit, vulgo quidem habetur circiter, 1649. tam triſtis et paene infamis atrociſſimo illo Regicidio Angl. quam laetus contra, et illuſtris inuentione feliciſſima praeſtantiſſimi huius Remedii, in communem generis humani ſalutem reperti: Inde longe profecto dignior, ob tot millia ciuium, per iſtud iam ſeruatorum, et in poſterum, vſque ad finem Mundi, adhuc, vt ſpes eſt, ſeruandorum, qui faſtis aeternum manſuris, minio quin etiam auro, inſcribatur; quam omnes alii anni, cruentis tantum victoriis nobilitati dicam, an notati? in quibus quippe inhumanae gentis perniciem, tot hominum millia, ante diem, crudeliſſime caeſi ſunt. Ceterum de hac *Chinae Chinae hiſtoria* et *inuentione prima*, vid. VALENTINI *Polychreſt. exot.* Diſſ. IV. item *Muſ. Muſeor.* NIGRISOLI *Febris China Chinae expugnat.* ibique BLEGNY *Monginot*, et alii BARTHOLIN. *Hiſt. anat. rar. Cent.* V. *hiſt.* 50. et *Act. Hafn.* MORTON. in *Opp. Tom.* II. *pag.* 68. STVRM. *in Vindic. febrifugi peruuiani*, HERMANN. *Cynoſ. Mat. Met. Tom.* I. *p.* 205. GEOFFROY, *Mat. Med.*

tibus; nunc vero rurſus aliis eundem ad infima veluti tartara detrudentibus, atque diriſſimis quoque venenis, pudet profecto pigetque commemorare, accenſentibus, quos omnes diligentiſſime, pro more, enarrat ZORNIVS [t]), ſed vicit tandem virtus veritasque, et longior dies, vberiorque ac conſtantior vbiuis experientia euidentiſſime docuit, contra omnes vanas illas atque inanes obtrectatorum minas, technas machinasque, Corticem illum remedium eſſe non ſolum plane innoxium; ſed et inſuper ſaluberrimum, tutiſſimum et certiſſimum, in omnibus praeſertim febribus intermittentibus profligandis et radicitus exſtirpandis, praecipue, ſi opportuno tempore, iuſtaque et largiore doſi, exhibitum fuerit, ipſeque potiſſimum cortex optimas recentioris aetatis notas, colore, odore atque ſapore, prae ſe tulerit: quas poſt alios, diligenter enarrat Cel. WERLHOFIVS, *p.* 82. *ſqq.* alias enim non mirum, ſi, deficientibus his quidem proprietatibus neceſſariis, et medici expectationem eludat, et aegroti ipſius ſpem fallat. Inter omnia enim ſic dicta ſpecifica, vulgo quidem iactata, nullum certe occurrit, quantum mihi vere conſtat, et laudato WERLHOFIO, *pag.* 263. *ſqq.* et in *praefat.* quod tam ſpecioſum et auguſtum nomen potiore iure, mereri ac tueri poſſit, niſi ſolus ille Cortex febrifugus.

Vnde nil maius generatur ipſo,
Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum.

§. XXI. Sed nolo iam in diuini huius remedii laudes ampliſſimas latius excurrere, ne poſt tot clariſſimorum auctorum infra allegandorum, praeclaras operas, certatim hac in re impenſas, actum agere videar; praeſertim, quum iam alibi, meritas ipſius laudes, tenui licet auena, decantauerim [u]). Neque ſane hoc ipſum argumentum, quod multis forſan

Med. Tom. II. *pag.* 182. TORTI *de Curat. Febr. per Chin. Chin* CARTHEVSER. *Fund. Mat. Med. part.* II. *p.* 488. *ſqq* BARBEYRAC, de *Formul. Medicament. pag.* 232. *ſqq.* aliique plures, laudati Cel. WERLHOFIO *pag.* 82. et aliis: nouiſſime vero CONDAMINIVS, in *Memor. Acad. ſcientiar. pariſ.* exactiſſime. Conf. et, ſi placet, *Tom.* III. *Poem. noſtr. pag.* 280. *ſqq.* In *Not.* praeſertim vero *Theſaur. pharm. vniuerſ. part.* I. *pag.* 215. *ſqq.* vbi plura hanc in rem, a nobis diligenter et exacte commemorata et obſeruata fuerunt.

s) In *Botanologia Med. pag.* 201. *ſqq.* et *Not.* eiusdem ad PANCOVII *Herbarium.*

u) *Tom.* III. *Poemat. noſtrar. phyſico-eth.* iam citat. *pag.* 280. *ſqq.* niſi forſan graue lectori fuerit.

ſan lectoribus, in tanta quidem Scriptorum turba, ſuperuacaneum videbitur, tractandum ſuſcepiſſem, niſi ſubinde occurriſſent mihi olim medici, etiam non vulgares, qui neſcio, quibus rationibus, aut praeiudiciis, inducti, ſubdubitarent, num *Cortex Peruuianus Senibus, praeſertim autem foeminis grauidis, tenerisque infantibus, ſine metu ac periculo, exhiberi poſſet* w)?

§. XXII, Hinc, vt graue illud praeiudicium, ob metuendum inprimis abortum auertendum et praecauendum, penitus tollerem, nihilque plane hic formidandum, aut cunctandum eſſe, liquidius oſtenderem; *Quatuor* praeſertim *Hiſtorias* ſingulares, ex perquam multis aliis ſelectas, hic ſumma fide proponere, viſum fuit, ex quibus vberius, ſpero, patebit, quam feliciter et opportune datus ſit Cortex *Senibus, Grauidis* atque *Infantibus*: Quas nunc ipſe beneuolus Lector patienter quaeſo, et attente conſideret, atque candide expendat.

HISTORIA PRIMA.

DE

CORTICIS PERVVIANI VTILITATE IN TENERIS INFANTIBVS.

Anno CIↃ IↃCCXXXIV. aduocabar ego a Viro per quam illuſtri, et arduis ſplendidisque muneribus in Republica praeclare geſtis, maxime inſigni, vt curarem, ſi pote, ipſius filiolam, natu minimam, VII. fere annorum, puellam lepidam ſane, argutulam ac dicaculam; quae per nouam iam menſes integros, a febre tertiana, ex aëre frigidiore

w) Quum tamen iſti fruſtra dubitantes iam meliora ac rectiora doceri potuiſſent ac debuiſſent, ex praeſtantiſſimis Auctoribus. Exempli cauſſa; quod ad *Senes* quidem ſpectat, ex VIT. RIEDLINI *Lin. Med. Ann.* 1695. *p.* 427. et inprimis Cel. WERLHOFII *Obſſ. de Febr. Sect.* III. *pag.* 107. et paſſim in ſeqq. qui et pariter de ipſis *Infantibus*, per chinam chinae feliciter curatis, agit, *Sect.* II. *p.* 57. et *Sect.* V. *p.* 251. vt et WEDELIVS *de Morbis Infant. c.* 34. LENTILIVS, *Eteodrom. p.* 292. 302. 1349. et apud laudat. WERLHOF. et, vt alios praeteream, IO. AEG. EVTH, in *Anatom. vmbilici, Obſ.* II. *pag.* 79. fruſtra obloquente GOELIKIO, paucisque aliis. De *foeminis* denique *grauidis*, Corticis ope, a febribus perfecte et feliciter liberatis, aliquot memorabilia exempla dudum produxit Artis obſtetriciae facile princeps, FRANCISC. MAVRICEAV. *Obſeruat. circa grauiditatem et partum Mulierum, Obſeruat.*

diore et diaetae inprimis errore, contracta, excruciata, et e variis insuper Medicis, in diuersas opiniones delapsis, et de iusta medendi ratione dubiis, adhuc magis diuexata fuerat; qui tandem exhaustis longo tempore, lecythis suis et nartheciis pharmaceuticis paene omnibus, perquam exigua vitae salutisque spe interim relicta, indignantes et pudore sero paene confecti, discesserant.

Vidi ergo puellam illam misellam lecto affixam, noua cera pallidiorem, et ligno ante longa iam tempora, caeso paene aridiorem, viribusque omnibus adeo vsque viduatam et desertam, vt laxa cutis exsuccam ossium male cohaerentium cratem aegre contineret. Ad haec, febris ipsa, tam tempore nimium extracto; quam peruersa inprimis et praeter necessitatem, saepius immutata medendi methodo, ex ordinata tertiana, in inordinatam adeo degenerauerat, vt nullo amplius stato typo, decurreret; sed remitteret potius interdum, quam plane intermitteret, et subdolam hinc lentae febris indolem induisse videretur. Sub ipso autem introitu, statim ego grauiter admonebar, a matronis praesertim praesentibus, et altum scilicet vel in ipsa medendi arte, sapientibus, ne ad febrem hanc contumacem debellandam, in vsum temere aduocarem detestabilem illum Corticem Peruuianum; cuius nempe manifestas nocendi vires, vnanimi consensu, summo quidem iure, iamiam damnassent priores Medici, tantum non omnes. Addebantur quoque, ne quid scenae, aut mimo deesset, peremtorum ex letiferi scilicet istius Corticis vsu, exempla haud pauca, sed prolata scilicet potius, quam probata.

Ego tamen aliqua rerum cognitione et experientia, meliora longe atque saniora edoctus, nec vana haec et veri prorsus inania dicteria multum

Aa 2

seruat. 272. et nostro aeuo, toties iam laudatus WERLHOFIVS, cuius recordatio nobis semper iucundissima, Vid. et inprimis RIEDLINI *Lin. Med. Ann.* 1695. *pag.* 207. conf. eiusdem *Obs. med.* 7. et 27. item DEODATI *Valetudinar. p.* 227. *sqq.* nec non SYDENHAM, TORTVM et LENTIL. *Miscell. Med. pract. Tom.* II. *pag.* 246. praesertim vero huc conf. Cl. FRANC. IOS. LAVTTER, in *Hist. Med. biennal. Morborum ruralium, Vindob.* 1761. *Cap.* I. *pag.* 35. *sqq.* et *Cap.* II. *Cas.* 8. *pag.* 74. *sqq.* vbi complura exempla grauidarum, item puerperarum et infantum denique, fidelissime et facundissime enarrantur; quibus opportunus ipsius Corticis peruuiani vsus in febribus saeuissimis et periculosissimis feliciter profligandis, praesentissimum praestitit auxilium. Qui eximius Liber proinde dignus omnino est, qui sedulo legatur, et cum his ipsis nostris exemplis diligenter comparetur.

tum curans, praemissis paucis remediis temperantibus et praeparantibus, intrepide puellae sanitatis cupidissimae praescripsi illum ipsum formidabilem, si Diis placet, Corticem, ad semunciam tantum, in commodo Electuario, singulis ternis horis, sumendum; tam fausto quidem cum successu, vt febris mox consopita quiesceret, decolores hactenus genae sensim viuido colore laete reflorescerent, noctes hucusque exsomnes, placido somno traducerentur, ciborumque appetentia sera ventriculo rediret vacuo, et alimentorum solidiorum ad hoc vsque tempus inconsueto; sicque demum plena perfectaque sanitas redderetur puellae tunc paene conclamatae; nunc vero proceritatis succulentae et floridae venustate insigni Virgini, in spem laetitiamque Matris, multis iam procis petitae, et tandem quoque digno marito, felici connubio, iunctae.

HISTORIA SECVNDA.

DE SINGVLARI CORTICIS VSV IN FOEMINIS GRAVIDIS.

Serenissimi cuiusdam Principis Coniux, omnis mentis cultu et veneratione dignissima, teneri et macilenti corporis habitus, ingenii acris, subtilis, facileque irritabilis, formae venustae et maiestatis plurimum prae se ferentis, annorum XXVIII. sextum vltra mensem, iam dulce ventris foecundi onus portans, quum anno CIↃ IↃ CCXXXVII. Mense Maio, a tepido lecto adhuc calens, ad salubrem primuli veris auram captandam, matutina erraret per rigui adhuc horti quadrua compita, in iucundissimo suo praedio, prope ambitiosum Rheni flumen sito; futurique mali ignara, horridulo sese aëri parum cauta, exponeret, vt corpus tenerum, tenui saltim veste nocturna, seu vento quasi textili, circumamictum, matutina frigora morderent; protinus atrocissimo capitis dolore, totiusque corporis horrore tremulo corripiebatur. Lectum ergo vix relictum aegra repetit: applicantur mox exterius fomenta et frictiones; interius autem potiones calidae, exiguo tamen vtrinque cum fructu; quin potius nausea, singultu, tandem et vomitu, acerrimisque

dorsi,

dorſi, imique ventris doloribus ſubſequentibus. Sed periculoſo iſto horrore vix ſedato, tanto quidem aeſtu mox eo vſque incaluit vniuerſum corpus, vt vel leuiſſima ſtragula ſuperiecta aegerrime ſuſtineret: Hinc ergo perpetua inquies membrorum iactatio, ſuſpirioſa praecordiorum anxietas, oculi ardentes et rubentes, temporum continuus pulſus, arteriarum ictus iuſto citatiores, frontis, manuumque cutis tenta aridaque, vrinae flammeae, pellucidae, et ſpumoſae, lingua ſicca et ſiticuloſa, ita tamen, vt omnia potu ingeſta, mox nauſeoſo vomitu, cum ſummo capitis pectorisque dolore, affatim redderentur; donec grauiſſima haec ſymptomata omnia, largo quidem, ſed tractuoſo ſimul et olido ſudore, vtcunque ſoluerentur. Nox inſequuta, praeter ſpem, nihil quidquam leuaminis attulit; inſomnis enim prorſus traducebatur; quin potius mala plurimum auxit, et attritas iam vires moleſtiſſimo ex variis imaginoſis terriculamentis, peruigilio, vehementius adhuc infregit ac debilitauit.

Altero igitur die, eadem ſcena tragica agebatur, ſed nouo lugubri veluti ſyrmate auctior. Namque circa meridiem, flagrantius recanduit febris male ſoporata, exorto prius per integram fere horam, horrore rigidiſſimo, qui miſeram aegrotantem tanta quidem vehementia, conquaſſabat, vt ipſa commota ſimul ſponda contremiſceret; vterus autem ipſe vna in conſenſum abreptus, adeo conuelleretur et agitaretur, vt intenſiores foetus ibidem concluſi, veluti ſaltus per ſuperimpoſita ſtragula, non ſolum tactu; ſed etiam viſu paene ipſo, facile percipi poſſent: idque tanta aegrotae cum moleſtia, et intolerabili fere dolore, vt propter hos ipſos violentiores foetus intus luctantis agitationes, et quaſi calcitratus, acerbiſſimi et ferme inſuſtentabilis ſenſus cauſſa, in flebiles ac vocales queſtus erumperet. Accedebat his, ne quid nempe ad malorum complementum deeſſet, Tuſſis inſuper pertinaciſſima, arida et inanis, nulloque fere momento, per omne horroris febrilis ſpatium, interquieſcens; vnde acres iam capitis, dorſique et infimi denique ventris dolores tanto acrius accendebantur.

Tam horrido autem frigore vix mitigato, mox vniuerſum corpus eo aeſtuoſius inarſit, ſuborta ſimul flagrantiſſima ſiti, potum quidem continuo repoſcente, ſed et potum eundem continuo reuomente; vti

 antea

antea iam factum. Finito tandem, post septem fere horas, paroxysmo, sudatio quidem, vt febrium fert natura, successit; sed suspectae prorsus indolis, licet satis larga esset. Neque enim sudor per omnia aequaliter membra diffundebatur; quin potius circa frontem, ac potissimum, pectus, atque dorsum, ingenti copia prorumpebat, relictis interim, pessimo quidem omine, brachiis, cruribus pedibusque siccis plane, nulloque salutari madore perfusis.

Adhibita igitur tum varia fuerunt Remedia salutifera, et ad aestum temperandum, et ad saeuam adultae iam febris impotentiam compescendam, alias vel maxime idonea; sed exiguo adhuc, fatendum enim ingenue, cum successu. Aluus quoque sub vesperam, leni lotione refrigeratoria, ducta fuit, vnde paullo post, multa faeculenta, spumosa, foetidaque, flatibus copiosis comitantibus, reiecta sunt, cum nonnullo aegrotae alleuamento. Nox enim successit aliquanto pacatior, nec somni omnis exsors, peruigilatis licet plerisque longioribus eiusdem horis.

Sequenti autem die maximo potissimum in luctu metuque versabamur: post atrocissimos nempe aliquot horarum, capitis, et inprimis frontis, dolores, paucis cruoris nigri guttis, e nare dextra, sensim, malo indicio, elapsis, et longe peiore adhuc signo, raris notis sanguineis, e natura muliebri, occulto itinere, redditis, et in substratis linteis, praeter spem votumque nostrum, conspicuis. Inde enim moesti coniiciebamus, secundum iustas artis regulas, et consuetas naturae leges, vel ipsius aegrotantis salutem in summum discrimen nunc esse adductam, vel tenerum vteri, iam non nihil hiantis, hospitem, violentiore nixu, cum sui, Matrisque infelicissimae ineluctabili pernicie, proxime elapsurum, et in ipso securo veluti portu, triste naufragium facturum.

Nobis ergo sic spem inter metumque, mediis, nihil amplius cunctandum, quin generosum potius consilium in ipsa quasi arena, extemplo capiendum esse, merito videbatur, quo matri iuxta foetuique pro virili, succurrentes, vtriusque capiti iam imminens extremum periculum feliciter auerteremus. Natura igitur ipsa sic nobis duplicem monstrante viam, sanguineis notis signatam, saeuaque in primis necessitate vrgente, ad iustam aestuantis sanguinis missionem nos intrepide accinximus,

mus, nullaque interpoſita diutius mora, e vena brachii dextri, cruoris atri, grumoſi, lentaque per effugia elapſi, detractae ſunt vnciae plus minus octo, aut nouem; tam ſecundo quidem cum ſucceſſu, vt effrenata ſanguinis excandeſcentia mox deferueſceret, ſanguineaeque tumentis vteri minae placidae ſubſiderent, ita vt nulla amplius nota ſuſpecta, aut funeſta, in linteis, conſpiceretur.

Ipſa denique febris, ex vaga hactenus et inordinata, ſalutari mutatione, paullo poſt, in ordinatam tertianam tranſiit, typumque ſuum intercalarem, conſueto Naturae iuſtae ordine, conſtanter exinde ſeruavit; vnde protinus in vſum a nobis aduocatum fuit Herculeum illud diuini Corticis Peruuiani remedium febrifugum; cuius larga copia, et ad vncias paene quatuor, in Electuario, ſenſim, iuſto tempore, ſtatisque interuallis, aſſumta, expugnata tandem penitus fuit, fauente Deo, febris huius perquam atrocis peruicacia hactenus fere intractabilis: ſeruatis ſic, atque e mediis paene orci capacis faucibus auſpicato ereptis matre celſiſſima, atque foetu ipſo in ſummum vitae ſalutisque diſcrimen antea coniectis. Sereniſſima enim illa princeps haud longo poſt tempore, ſtatis menſibus exactis, fauſto facilique partu, enixa eſt filiolum, vegetum, ſanum, toroſum ac venuſtum, qui in tenera iam aetate, in ſpem patris patriaeque laetiſſimam, multa praeclara minatus, nunc et aetate et viribus validior factus, glorioſis et memorabilibus factis hucuſque per orbem ſplendide enituit: extincta interim, ante paucos iam annos, in ipſo aetatis flore, ex letali vteri haemorrhagia, ipſa illa veneranda matre, ob egregias prorſus animi excelſi virtutes, eximiasque erecti ingenii dotes, mihi ſatis quidem cognitas, longiore vita omnino digniſſima.

Diligenter hactenus fideliterque enarratae huic hiſtoriae ſingulari nunc quidem ſubiungi commode poſſent ſex ſeptemue ſimilia prorſus exempla eiusmodi foeminarum grauidarum, febre correptarum, interque illa ipſius noſtrae vxoris quondam dilectiſſimae, nunc eheu! deſideratiſſimae, quibus incomparabilis ille virtute, Cortex Peruuianus ſummo in anguſtiis extremis, praeſidio fuit, ne inſtante iam fere fatali abortu, foetus immaturos, maleque adhuc formatos, intempeſtiue effunderent. Conf. huc *Theſaur. noſtr. pharmaceut. vniuerſal. part.* II. *pag.* 155. Sed quoniam mihi nunc eadem paene repetenda forent,

quae

quae hactenus a me relata fuerant; metuendo hinc vtique lectorum fastidio consulturus, nolo crambem iam semel bene, opinor, positam bis male coquere; inprimis, quum in illis ipsis historiis, nihil singulare occurrat, quod peculiarem tractationem omnino mereatur.

Discant autem interea exinde medici, arte nondum satis exercitati, vsuque confirmati, ne in posterum inani metu trepident, vbi curandas susceperint foeminas grauidas febricitantes, nec temere reformident, ipsos illos febrium acrius insurgentium vehementes insultus, in ipsis statim primordiis, potentissimo Corticis praesidio, animose ac fortiter reprimere: Quin potius sciant, generosissimum illud remedium non solum tum febres fugare, foetasque foeminas ab acerbo abortu ita defendere, vt lubricos quidem partus ad maturitatem continere possint: sed etiam nouis insuper viribus induere matres aeque ac teneros foetus, quo illae exacto demum tempore, arduos partus labores eo melius adire, ac fortius perferre, hi autem robore quasi aucti, tanto facilius feliciusque materna claustra perrumpere, et in dias luminis oras euadere valeant. Ceterum has ipsas cunctas maximi quidem momenti rationes, eodem tempore, quo amantissimam nostram vxorem febre atroci tum conflictantem, simulque grauidam, tractabamus, diligenter quoque obseruandas strenueque exequendas, serio ac fideliter commendabamus medico cuidam timido, fluctuanti, anxio, et expectanti potius, quam expedienti, qui pariter tum curabat nobilem in vicinia foeminam praegnantem, graui febre decumbentem, et de abortu metuentem. Sed omnia eheu! incassum. Ille enim mori sui moris nimium tenax, et nescio quae funesta pericula ex ipsius corticis vsu, frustra timens, solisque suis pulueribus antifebrilibus salinis, essentiis amaris, aliisque id genus inaniis vulgo consuetis, praeter omnem rationem, nimis fidens, id tandem insanienti hac sua sapientia effecit, quod iam antea praeuideramus, immo praedixeramus, vt misella ista foemina, teneri admodum et delicati natura, corpusculi, cum summo quidem vitae periculo, tristem abortum faceret, mea interim vxore, vna cum foetu ipso, insigni diuini corticis beneficio, Deique auxilio, feliciter seruata. Maluit ergo male sanus ille et pertinax medicus cunctator, foetum potius innocentem per febrim expellere, quam febrim nocentem per corticem: turpi pro-

fecto

fecto et pudendo lucro, ac cum famae iactura, et, quod maximum, cum graui ipsius conscientiae vulnere. Lugubri ergo hoc exemplo admoniti, nunc intelligant medici ipsi, in curandis grauidarum febribus, haud diu esse cunctandum; sed potius ad illas tempestiue supprimendas, properandum. Celerrimae enim et acutissimae omnino hic sunt occasiones, et, nisi ipsae febres citius iugulentur, ipsi teneri foetus saepius iugulantur. Quae autem, obsecro, tum maior esse potest calamitas infelici matri, quae foetum sic misere perdidit, aut medico infeliciori, qui sola sua culpa effecit, vt eum sic misere perderet? Huc enim vel maxime spectat prudens illud CETHEGI apud SALLVSTIVM, monitum; *Dubitando, et in dies prolatando, magnas opportunitates corrumpi; facto, non consulto, in tali periculo, opus esse.* Conf. et HIPPOCRATIS *Epist. ad Crateuam, pag.* 930. *Tom.* II. *Opp.*

HISTORIA TERTIA.

DE
CORDICIS PRAESTANTIA IN FEBRIBVS, DIVERSIS DIRIS SYMPTOMATIBVS COMITATIS.

Virgo honesta, nec inuenusta, aetatis XIX annorum, eo ipso iam commemorato anno, febre correpta, grauiter decubuit; non tam ob febrem ipsam, quippe quae ordine consueto seruato, exacte satis decurrebat; sed propter dira inprimis, atque suspecta illa symptomata, quae ipsam semper comitabantur, aut potius praecedebant. Ingruente enim horrore febrili, post praeuias enormes totius corporis pandiculationes, deformesque oris hiantis oscitationes, in tantam animi defectionem incidebat miseranda illa virgo, vt iamiam exspiratura videretur. Iacebat quippe supina, per lectum extenta, frigentibus rigentibusque artubus, pulsu vix sensibili, facie decolore, et lurido pallore suffusa, ore exsangui, oculis clausis, nare acuta, frigida et quasi pendula, genis collapsis et flaccidis, collo inflato, stertente, et sonoros veluti rhonchos ducente, ventre denique praetumido et commurmurante. Quae horrenda symptomata maximam quidem partem, ex consensu vteri commoti, haud dubie

ortum ducentia, eo vsque immota prorsus perstabant; donec fatiscente illo horrore, per stata interualla, incalesceret rursus corpus: tunc enim sua sponte expergefacta, ad sese sensim redibat, et in nouam quasi vitam reuocabatur, de capitis tantum, colli atque abdominis intenso dolore, totiusque corporis lassitudine, flebile conquesta: quum antea, durante nempe adhuc horrore febrili, nulla prorsus arte, nullis fomentis corpori largiter admotis, nullis spiritibus odoriferis volatilibus naribus oblatis, ex graui illo atque veternoso lethargo excitari potuisset: quin potius obseruatum a nobis fuit, quoties in subsidium tunc aduocata fuissent generosiora illa remedia excitantia ac reficientia, toties peius sese habuisse aegrotam, toto corpore horrendum in modum, intremuisse, et tolerato diutius paroxysmo febrili, iusto serius, in vitam hactenus veluti desertam, rediisse.

Quum igitur atrociora haec symptomata, temporis processu, sinistrum vtique euentum portenderent, repurgato prius atque emollito sufficienter ventre, nulla interiecta mora, statim ad sacram illam veluti anchoram, Corticem nempe Peruuianum, confugimus, cuius duabus tantum vnciis, in Electuario, cum nonnullis medicamentis antihystericis, iusta dosi, remixtis, per certa dimensaque interualla, absumtis, et ipsa pertinax febris feliciter per Dei gratiam, profligata, et ille inexcitabilis paene sopor simul excussus fuit, elatusque ventris murmurantis tumor sensim placide subsedit. Ex quo per complures adhuc annos, perbelle valuit illa ipsa Virgo, a mortuis quasi resuscitata; donec nuper admodum, Sororem suam, rarissimi exempli foeminam, cuius iam supra, cum luctuosa recordatione, facta fuit mentio, beata morte soluta, sequeretur.

HISTORIA QVARTA.

DE CORTICIS EFFICACIA IN FEBRIBVS SENVM SOPOROSIS.

Simili fere alto sopore, stertoreque rhonchisono, excepta tamen animae defectione sola, oppressus iacuit per omnem febris decursum, venerandus quidam senex annorum LXVIII. anno CIↃ IↃ CCXXXIX.

Quoties

Quoties enim ille algore febrili inhorrefceret; toties ipfi inexpugnabilis paene dormiendi neceffitas adeo vfque impofita videbatur, vt nec illis remediis, naribus admotis, per quae fternutamenta alias euocantur, tametfi validiffimis, languidus marcor, torporque fomniculofus vllo modo, excuti poffet. Quum igitur trifte hinc augurium merito caperemus, ne fufpectus ille fomnus, vbi iufto longius extenderetur, bonum iftum fenem, viribus iam defectum, aliquando confeftim traditurus effet fuo fratri, fomno nempe inexcitabili et aeterno, vt acute ille aiebat philofophus, iamiam moriturus; varia inde a nobis tum tentata funt remedia, ad indomitam iftam dormiendi cupidinem oculis marcidis prorfus euellendam. Adhibita ergo funt ampla furis veficantia, capiti frontique impofitum Sinapi, plurimis quoque corporis locis aliquando, fine ferro, cucurbitae admotae, quo fic nempe fatalem illum veternum per potentiores reuulfiones, expugnaremus: fed omnia, fateor, incaffum, et fine fperato fucceffu; donec imas ipfius mali fibras fortiter exfcinderemus, infidiofamque iftam febrim foporiferam in ipfo quafi fomite, fubito extingueremus, ingeftis tantum per interualla, binis Corticis febrifugi vnciis, fub liquidi Electuarii forma, more noftro, per plures iam annos, confueto, praeparati; cuius accuratam defcriptionem fideliter exhibuimus in *Difpenfat. pharm. vniuerf. part.* II. *pag.* 155. idque tam faufto fane cum effectu euentuque, vt nobilis ille fenex mox lecto letoque laetus affurgeret, atque fine vlla fanitatis offenfa, aut querela, eo vfque fofpes prouiueret, donec aliquot annis poft, feptuagenario maior, iam abire paratus, plenusque vita, onerofis corporis vinculis placide tandem exfolueretur.

Plura quidem nunc his fubnectere poffem huiusmodi febrium fomniculofarum exempla; nifi actum agere, Iliademque quafi poft HOMERVM, temere fcribere, maximopere difpliceret. Pofteaquam enim Cel. per orbem WERLHOFIVS, Vir arte, facundia et doctrina, iuxta infignis, et, de quo iure gloriamur, amicus quoque atque fautor nofter beneuolentiffimus, tanto quidem eruditionis apparatu, tantaque selectiffimorum exemplorum copia, nobile hoc arduumque argumentum perfequutus eft; nullus certe nunc facile reperiundus, credo, erit PARRHASIVS, qui perfectae huic omnibusque paene numeris abfolutae

Tabulae Apelleae aliquid, quod ad complementum adhuc desit, adiicere iure possit. Auctor igitur suasorque ingenue omnibus sum medicis solertioribus, veritatisque cupidis, vt legant saepe, saepiusque relegant aureas illas, ingentisque frugis plenissimas *Obseruationes* WERLHOFIANAS, *de Febribus, praesertim soporosis*, quo sedulo liquidoque exinde, in publica humani generis commoda, addiscant tam subdolam et internecivam istarum febrium naturam et indolem; quam opportunum et securum Corticis triumphatoris quasi, vsum, ad easdem potenter debellandas, atque penitus prosternendas, vt ipsi saepius laeto cum successu, per Dei gratiam, experti fuimus. Conf. interim huc *Dissertat. de Febre tertiana intermittente, epidemia soporosa, apoplexiam mentiente*, etc. sub cel. BÜCHNERI praesidio, Halae 1763. habita, vbi perquam similis huic nostro casus notatu dignissimus, enarratur.

EPILOGVS.

Sed haec nunc hactenus, de singularibus istis Febrium intermittentium Historiis: Non, quod hae solae sint, quas in Aduersaria medica olim fideliter et diligenter relatas, huc candide transcriberemus; sed, quod hae solae e plurimis aliis, dignae inprimis visae fuerint, quae in publica emolumenta, opportuna hac occasione, expromerentur, et prae reliquis, adnotari mererentur. Sexcentos enim fere noui aegrotos, quibus febri pertinaci diu detentis, saluti et praesidio, post Deum, vnice fuit diuinus ille Cortex Peruuianus, et mihimet ipsi bis, per vitam, praesentissimum praestitit auxilium, vt grati laetique fassi sumus in *poem.* nostror. *Tom.* I. *pag.* 127. *sqq.* et *Tom.* III. *pag.* 272. *sqq.* praecipue *pag.* 280. *sqq.*

Medici ergo rationales et in professione salutari longo rerum vsu probe exercitati, his nostris selectis exemplis validius confirmati, intrepide inposterum pergant, Corticem illum salutiferum tempestiue et circumspecte, in vsum aduocare, vt hucusque praeclare ac feliciter, cum singulari multorum aegrotorum emolumento et solatio fecerunt.

Reliqui autem medici, vt ita per iocum dicere liceat, *Antichinchinarii*, si qui forsan etiamnum supersint, inani adhuc metu trepidantes, et praeter rationem dubitantes et titubantes, quique hinc ab vsu Corticis incon-

inconſiderate negligenterque abſtinentes, veluti *ſine Cortice natare volunt*, in febribus cito, tuto et iucunde curandis; nunc demum cum rubore diſcant, quantum fallantur, quantumque, quod pace tamen ipſorum dictum ſit, non tam meis, quam potius grauiſſimis SYDENHAMI, TORTI et RAMAZZINI verbis, apud laudatum ſaepius WERLHOF. *pag.* 240. et *pag.* 326. in Naturam, Homines et Deum denique ipſum, peccare videantur, dum vel ex vago praeiudicio, vel vano timore, vel experientia obſtinato animo inexplorata ac neglecta, vel ſolo tandem peruicaci obloquendi et contranitendi ſtudio, hoc ipſo Dei miſericordis munere incomparabili clementiſſime conceſſo, in ſalutem quidem publicam, vti detrectant: Sed potius illud, omni licet longa fidaque experientia vbiuis locorum, magna et canora quaſi voce reclamante, ceu atrociſſimum venenum, omnibus Theſſalis philtris, plantisque letiferis, *quas Iolcos atque Iberia mittit, venenorum ferax*, longe nocentius et deteſtabilius, poſt CHIFLETIVM, PLEMPIVM, GOELIKIVM, eiusque inprimis magnum duri nominis magiſtrum notiſſimum, improbiſſimis rumoribus, per vrbes ac circulos differunt, ac dira imprecatione deuouent. Quin potius legant, ſaepiusque relegant Corticarii iſti, vt ita dicam, Corticis aduerſarii maximorum medicinae luminum ſcripta hanc in rem, aeternum victura, nempe STVRMII, BRVNACII, BADI, BARTHOLINI, SYDENHAMI, LISTERI, MORTONI, MVRALTI, BLEGNY, WILLISII, BONETI, MONGINOTI, PECHLIMI, SCHELHAMMERI, RAMAZZINI, LANCISII, FREINDI, MEADI, HERMANNI, BOERHAAVII, HOFFMANNI, WEDELII, BOHNII, BERGERI, TORTI, NIGROSOLI, COCCHII, COHAVSENII, BOECLERI, GEVDERI, ALBINI, BRVNNERI, DAVINII, HELVETII, LENTILII, VALENTINI, SWIETENII, MEIBOMI, GEOFFROY, LEMERI, CHARASII, et aliorum ingenti quidem copia, poſt ZORNIVM, iam laudatorum a cel. WERLHOFIO, *pag.* 182. *ſqq.* qui ipſe ſolus fere ad inſtar omnium, hac in re eſſe poteſt: Praeter iſtum enim ipſum, vix quemquam noui alium, qui iniuſtiſſime vndique impugnati Corticis iuſtiſſimam defenſionem vel prudentiore conſilio et erectiore animo, ſuſceperit, vel meliore fortuna ac maiore gloria, peregerit. Interim tamen nec reliqui ſtrenui eiuſdem defenſores merita ſua laude defraudandi ſunt, qui nempe

omnes, ceu totidem pugnaces et lacertosi Hectores, pro optima Chinae chinae pessime lacessitae, caussa, confertis veluti viribus, acerrime depugnarunt, vanasque hostiles minas, et inanes nocendi impetus manu, veluti tot inexpugnabilibus experimentis argumentisque armata, fortissime ac felicissime represserunt. Conf. et huc, si placet, *Thesauri* nostri *pharmaceut. uniuersal. part.* I. *pag.* 217. et *poem.* nostr. *Tom.* III. *pag.* 285. *sqq.* praecipue vero clar. LAVTTERI *Hist. Med. Morborum ruralium, cap.* V. *pag.* 195. *sqq.* et per totum istum librum egregium, item cel. DE HAEN, in *Rat. medendi, part.* II. *cap.* 6. *pag.* 91. *sqq.* et *part.* III. *cap.* I. *pag.* 36. *sqq.* item *cap.* 5. *pag.* 179. *sqq.* denique et *part.* IV. *cap.* I. *pag.* 5. *sqq.* et passim alibi, in opere isto praestantissimo et lectu dignissimo.

Sed nolo iam tinnulum quasi ac clamosum declamatorem superuacanea quidem et ingloria opera, agere: quin illud potius sub finem, candide, moneo, crebra nempe certaque experientia edoctus: *Illum praesertim Medicum in rationali Medicina plurimum iam profecisse, cui tempestiuus et circumspectus Corticis Peruuiani vsus, in febribus praecipue intermittentibus, multum placuerit.*

DISSERTATIO MEDICA SEPTIMA.

DE

TVMORIBVS SINGVLARIBVS A MENSIVM SVPPRESSIONE OBORTIS.

§. I.

Quam multa grauiaque mala, quin et incredibilia paene symptomata oriri subinde soleant, nunc ex subita, nunc vero diuturna, Mensium suppressione; praeter quotidianam experientiam, omnes illi Auctores Medici abunde docuerunt, qui post HIPPOCRATEM ipsum, GALENVM, AETIVM, MOSCHIONEM, THEODORVM PRISCIANVM, paucosque ex Veteribus, alios, data opera, certatim quasi, commentati sunt de *Mulierum Morbis.* Quorum potiora scripta, sua quidem tempestate, obuia et publice exposita, profuturo posteritati consilio, vno Corpore, vel Volumine spatioso, complexus quondam fuit ISRAEL

SPACHIVS,

SPACHIVS, Argentinenſis a). Poſt cuius tamen vberrimam veluti meſſem, nec huic noſtrae aetati laetum, aut foecundum defuit ſpicilegium, ceu liquidius patet ex ampliſſimo illo recentiorum Auctorum, qui poſt iſtum SPACHIVM, prodierunt, Catalago, quem ſingulari cura atque diligentia pertexuit clariſſimus et arduae artis obſtetriciae peritiſſimus Medicus, IOANNES GOTHOFREDVS SCHEID, pariter Argentinenſis b).

§. II. Actum igitur omnino ageremus, opusque inanis plane laboris, moleſti taedii, et intempeſtiuae non minus, quam ingloriae ſimul induſtriae plenum ſuſciperemus; ſi nunc quidem de illo ipſo argumento, toties iam cocto quaſi, atque recocto, hincque penitus fere exhauſto, operoſam tractationem inſtituere conaremur; quippe quod ab indole atque conſuetudine Diſſertationis academicae quam maxime eſſet alienum.

§. III. De ſolis ergo *Tumoribus ſingularibus poſt Menſium ſuppreſſionem, in variis partibus corporis externis, paſſim obortis,* in praeſenti quidem, paucis tractare nobis animus eſt: ideo inprimis, quod in omnibus illis ſcriptoribus medicis, qui vel generatim, de *Mulierum affectionibus*, vel ſpeciatim, de *Emmenologia*, quidquam commentati fuerunt, quin et in multis iſtis Auctoribus, qui data quidem opera, de *omnis generis Tumoribus*, ſcripſerunt c); aut nulla prorſus, aut perquam parca ac rara facta fuit mentio, de illis ipſis tumoribus peculiaribus, de quibus hic nobis ſermo futurus, qualesque noſmet ipſi bis quondam conſpeximus, vti vel hae

a) Titulus Operis huius hodie rarioris eſt: *Gynaeciorum, ſiue de Mulierum, tum communibus, tum Grauidarum, Parientium, et Puerperarum affectibus et Morbis, Libri. Argentin.* 1597. fol. quod XXI. Auctores complectitur. De quo vid. FABRICII, heu! quondam noſtri, *Bibliothec. Graec. Vol.* XII. *pag.* 700. *ſqq.* et KESTNERI *Bibliothec. Med. Cap.* VII. *pag.* 360.

b) In *Prolegomenis*, ad eximium Dn. DE LA MOTTE *Tractatum de grauidarum et parturientium foeminarum Morbis*, e ſermone gallico, quo prius conſcriptus fuit, in linguam germanicam ab illo ipſo celeb. SCHEIDIO fideliter conuerſum et vtiliſſimis Obſeruationibus paſſim adiectis, locupletatum. Argentinae, 1743. form. 4ta.

c) Quorum nempe praecipui et exactiſſimi ſunt SAPORTA, RVDIVS, ERASTVS, LIMANVS, INGRASSIAS, BALDVTIVS, PECCETTIVS, CRASSVS, FALLOPIVS, CORTESIVS, SCHELHAMMERVS, et alii, qui tamen, quantum recordamur, de iſtis quidem Tumoribus menſtrualibus, vt ſic loqui liceat, prorſus ſilent. Forſan et in reliquis, nobis nondum viſis, idem defectus fuerit obſeruandus.

hae ipſae Hiſtoriae ſingulares, ex Aduerſariis noſtris medicis, ſumma fide, ſtatim hic infra, ſubiiciendae, luculentius, vt ſpes eſt, declarabunt.

HISTORIA PRIMA.

Anno CIↃ IↃ CCXXV. apud Matronam illuſtrem, vidimus Nutricem grandem, toroſam, obeſam, ruſticam, ſolibusque aduſtam, quales nempe Sabinae olim erant, lactis, ſucci, ſanguinisque pleniſſimam, et ſimul edaciſſimam: Quae quoties tempus inſtaret, vt conſuetum Menſium tributum per naturalia penderet; praeuiis acerbis capitis doloribus, pectoris oppreſſionibus, et faciei intenſo rubore ac tumore, intra brachii dextri flexuram, aut commiſſuram, tumorem durum, rubrum et dolentem concipiebat, qui ſenſim in mucronem, aut Verticem eleuatus, tandem ſua ſponte, tenui fiſſura dehiſcebat, ſanguinisque floridi ac rubicundi ſeptem, aut aliquanto plures, praeter propter, vncias, per lenta, quaſi effugia, ſpatio duorum triumue dierum, ſtillatim egerebat. Quo facto, et dira iſta ſymptomata omnia leuabantur, et ipſe tumor ille ſubitus et inſolitus iterum euaneſcebat, nullo ſui veſtigio, aut cicatrice, quod vtique mirum, relicta, et perfecte poſtea rurſus valente Nutrice ipſa. Huic vero vicariae, vt ita dicam, matri, ſeu Nutrici, nec crebra ſanguinis miſſio, in pede dextro adminiſtrata, nec alia remedia commoda opis quidquam adferebant, vt inuerſus ille Naturae aberrantis impetus in iuſtum ordinem et conſuetum iter placide reduceretur; donec tandem illa Infantem, ſtato nutricatus tempore exacto, lacte depelleret, victuque tenuiore iterum ex more priſtino ruſtico, frueretur. Quo vix peracto, Natura ſeſe ad conſuetas leges rurſus, morigera, componebat, ſanguineusque iſte fluxus, relicto illo peregrino et inſolito brachii dextri diuerticulo, per inferius illud oſtium pudore conſeptum, ſingulis ſtatis menſibus, iterum recte iuſteque emittebatur.

HISTORIA SECVNDA.

Anno CIↃ IↃ CCXXXVI. vocabamur ad puellam, non ſceleſta de plebe, ſed nobili potius ſtirpe, editam, XV. quidem annorum; ſed pro aetatis ratione, ſatis robuſtam ac proceram; quae a menſtruis adhuc

adhuc defecta, ſingulis quoque menſibus, eadem ſuſpecta Naturae reluctantis molimina experiebatur. Poſt ſaeuiſſimos enim capitis, colli, pectoris atque ventriculi dolores, cum nauſea coniunctos, tumor ſemper durus, rubicundus, et quaſi acuminatus, pariter in dextro brachio, haud procul a manus carpo, ſubito aſſurgebat, cui plerumque obſcurus quidam pulſationis inerat ſenſus; qui tamen poſt aliquot dierum decurſum, ſine ruptura, aut ſanguinis profuſione, iterum ſua ſponte, ſenſim ſubſidebat, et euaneſcebat.

Parentibus igitur ea de re inſolita admodum ſolicitis, candide tum praediximus, priore nempe exemplo iam edocti, fore aliquando, vt ex eo ipſo tumore menſes turbati, et a iuſta ſua ſemita peruerſe deflexi, tandem ſubito prorumperent; niſi generoſioribus remediis naturae laboranti, conſuetisque legibus praefracte renitenti in tempore, ſubueniretur, ambiguumque iter temere ſectanti certior ſecuriorque via monſtraretur.

Enixe ergo ea de cauſſa ab ipſis rogati, nulla interpoſita mora, negotium illud arduum adgreſſi ſumus, tandemque poſt aliquot tempeſtiuas venae ſectiones, in pedibus potiſſimum inſtitutas, frictiones, cucurbitarum leuium et incruentarum raptus, genibus praeſertim, atque ſuris admotos, tepida pedum balnea, et thermarum inprimis Wisbadenſium vſum, vt alia remedia plura iam taceamus, id per Dei gratiam effectum fuit, vt Menſes, hucuſque quaſi deuii, in rectiorem viam reuocarentur, iuſtoque tempore, ordine, et copia quoque iuſta, recluſis nunc arcanis illis foribus, antea occluſis, magno cum puellae leuamento, commode elaberentur; relicto interea intacto prorſus brachio, in quo quippe, ex eo quidem tempore, nihil plane eiuſmodi monſtroſi tumoris amplius animaduertebatur.

ILLVSTRATIO HISTORIARVM CVM EPICRISI.

§. I.

Ex his igitur binis Hiſtoriis ſingularibus nunc perſpicue, opinor, patebit, quam ſubita, violenta, mirandaque prorſus ſit metaſtaſis, vt ita loquar, aut metaptoſis Menſium, ex diuerſis cauſſis, interceptorum,

et naturali ſuo exitu prohibitorum. Quae tamen maiorem forſan admirationem adhuc excitatura eſſet; niſi intemerata fide compluriũm auctorum claſſicorum, abunde conſtaret, longe inſolentiores et periculoſiores adhuc vias per omnes fere corporis partes, ad horrorem formidinemque viſentium, ſibi, vi quaſi rapida, quaeſiuiſſe menſtrua, ſubito cohibita ac repreſſa. Qua de re prorſus portentoſa, quum huius ipſius diſſertationis occaſione, alibi iam nonnulla a me in medium allata fuerint d); nunc haud placet, ibi iam ſemel dicta, hic bis rurſus dicere, multo vero minus prouinciam ab aliis iam cum laude, occupatam nimis ſero, incaſſum inuadere.

§. II. Interea vero caſum ſingularem his noſtris hiſtoriis, in nonnullis fere ſimilem, commemorat PETRVS FORESTVS e), his quidem verbis, a nobis tamen amicae breuitatis ſtudio hic in compendium miſſis: *Puella quaedam ruſtica Defgaia, menſe Maio, quum chirurgum accederet, anno* MDLXII. *vt vena in brachio dextro eidem tunderetur: nam ſingulis annis idem facere conſueuerat. Quum autem eo tempore menſes fluerent, quod quidem ſubticuit, vena media in brachio dextro ſecta fuit: vnde et menſes ſtatim retracti ad ſuperiora, reſtricti fuere. Quum tamen fortis et robuſta et valida eſſet; nihil mali tunc temporis, ſenſit. Poſtea vero, ſingulis menſibus, minus profluebant menſtruae et conſuetae purgationes; et, quod dictu mirum eſt, eodem tempore, quo ſoliti erant menſes profluere, haec ipſa puella palpitationem experiebatur in brachio eodem, tum loco ipſo, vbi vena prius ſecta fuerat, non ſine moleſtia, et magno dolore. Atque haec ipſa ſingulis lunaribus periodis puella patiebatur.* Hactenus quidem FORESTVS, qui ibidem pluribus tractat et de hoc ipſo caſu, et de eiuſdem cura per opportunam ſolius venae cruralis notiſſimae, Saphenae vulgo dictae, ſectionem feliciter peracta. Adhuc tamen propius ad hanc noſtram *primam Hiſtoriam* accedit iſta a THOMA BARTHOLINO, *Hiſt. anat. rar.* 19. *Cent.* V. *pag.* 34. ſequentibus fideliter deſcripta: *Nutrix Iacobi filioli viri clar. M.* PAVLI

d) Nempe in *Programmate* huic ipſi Diſſertationi inaugurali praemiſſo, *de Menſibus per nares Leonidae Filiae erumpentibus, ab imprudenti vero Medico, cum ipſius interitu, infeliciter repreſſis.*

e) *Obſeruat. med.* 101. *Lib.* X. *p.* 725. *ſqq.* Add. omnino *Obſeruat.* 3. *Lib.* XXVIII. *pag.* 20. *ſq.* vbi ſimillima de puella quadam ruſtica, Hiſtoria recurrit, niſi potius, quod haud praeter veri ſpeciem ſuſpicamur, ſit prorſus eadem.

PAVLI VINDINGII, *Regii Prof. lactis vbertate per triennium mensibus destituta, cetera sana, quum mense Octobr.* 1657. *commissum sibi puellulum tractaret, animaduertit, sanguinem ex dextrae manus saluatella, sponte exilientem, quasi acu puncta. Testabatur vero, nullam vim venae quocunque modo, a se illatam, seu acu, seu alio instrumento; sed sponte apertam esse venam, vt vinculo necesse fuerit cohibere.* Quo et apprime facit altera illa historia, ab eodem BARTHOLINO, ibidem enarrata, *Cent.* I. *Hist.* 13. *pag.* 26. *Honestissima et speciosae formae foemina, mihi nota, habitu plethorico, et a copia sanguinis, doloribus capitis saepius afflicta, quia ordinatus subinde mensium fluxus parcior iusto est, saepius facto experimento, obseruauit, se menstruorum tempore, leuiter cutem sinistrae manus, aut dextrae genae, fricet, guttulas sanguineas cum impetu saltuque prolici.* Sic et FRID. HOFFMANNVS, parens, in *Analectis suis practicis*, in foemina grauida Hallensi, binis vicibus, in colli latere dextro, *spontaneam Venae iugularis rupturam* obseruavit, quae si fuit suppressa, incidit in tumorem oedematosum et erysipelaceum, referente ipsius filio, FRIDERICO, ipso longe maiore, in *Annotat.* ad POTERII *Obseruat. med. singulares*, *Cap.* 56. *Centur.* II. *pag.* 157. vbi et plura, quae huc potissimum spectant. Quibus bina alia exempla hanc in rem singularia et obseruatu dignissima, addi omnino merentur, quae ipse diligentissimus SCHVRIGIVS quondam Dresdae vidit, et visa accurate descripsit in *Parthenologia, Sect.* II. *cap.* 8. *pag.* 270. Conf huc et ill. van SWIETEN *Comment. in Aphorismos* BOERHAAV. *Tom.* IV. *pag.* 421. *sqq.* quem ipsius generosae munificentiae gratissimus debeo, quod publice hic praedicare fas est.

§. III. Sed in aliis etiam corporis partibus eiusmodi tumores insolitos, post suppressa subito menstrua, exsurrexisse, in medicorum obseruationibus passim adnotatum legitur. Ita AMATVS LVSITANVS f), et ex eo MARCELLVS DONATVS g), foeminae meminit, *quae ob mensium retentionem, incidit in linguae crassitiem, vt vix loqui posset:* quem molestum linguae tumorem et alia atrociora adhuc symptomata mox insequuta sunt, quae ibi potius legi possunt, quoniam ad nostrum institu-

 tum

f) *Curat. medicinal.* 41. *Centur.* I. Conf. RVYSCHII *Aduersar. Anat.* 3. *Decad.* III. *pag.* 14. *Tom.* I. *Opp.*

g) *Histor. med. mirab. Lib.* IV. *Cap.* 19. *pag.* 410. vbi et alia, quae huc spectant.

tum huc proprie haud pertinent. Magis vero huc ſpectat ſingularis illa RIVERII *Obſeru. Lib.* XV. *prax. med. cap.* 2. *pag.* 439. *opp. vidi*, inquit, *puellam, puſtulam habentem in capite, quae ſingulis menſibus aperiebatur, et ſatis copioſum ſanguinem fundebat.* Quam memorabilem obſeruationem inſeruit quoque merito BONETVS *Theſauro ſuo Med. pract. Polyalth.* dicto, *Tom.* III. *Lib.* V. *cap.* 14. *pag.* 88. *Not.* 14.

§. IV. Sic et virgini gibboſae, nunquam menſtruam purgationem expertae, ſingulis menſibus, ſuperius labium immane quantum intumuiſſe, ſequentibus refert VITVS RIEDLINVS [h]), *Viuit hic virgo quaedam, nouendecim fere annorum, cetera ſana: at per infortunium quoddam, gibboſa: Haec a decimo quarto aetatis anno, ſingulis menſibus, eo tempore, quo aliae tributum lunare ſoluunt, tumore in labio, praeſertim ſuperiore, tantum deformatur, vt et propterea domi ſe continere, opus habeat, quum praeſertim hic tumor nulli medicamento cedat; ſed iiſdem potius exaſperetur* etc. vbi vid. in ſequentibus plura.

§. V. Quorſum et potiſſimum ſpectat ſimile exemplum a CASP. THEOPHIL. BIERLINGIO [i]), quondam obſeruatum atque ita deſcriptum; *Mihi virgo quaedam nobiliſſima nota eſt, quindecim annorum, quae inſtante menſium fluxu, per tres dies quendam perſenſit horrorem; deinde ipſi ſuperius labrum intumuit: hinc prima vice, praeterlapſis aliquot diebus, purulenta materia per gingiuas exiuit, tumorque labii remiſit. Reliquis vero menſibus, ſuperius labium in tumorem quendam elatum eſt; ſed materia in vno latere collecta, puris inſtar, non amplius ex gingiuis: ſed ex ipſo labio effluxit.* Haec BIERLINGIVS.

§. VI. Digna quoque omnino iſta eſt hiſtoria, quae huc transferatur ex THOMA BARTHOLINO [k]): *Nobilis in Dania foemina miro quodam implicabatur affectu. Nam per inordinata dierum interualla erumpebant in cute corporis nodi parui, iuglandium inſtar; facies intumuit, praeſertim oculi et collum, fuereque nodi iſti rubri. Cauſſa videbatur ſuppreſſus menſium fluxus*

h) In *Lin. Med. Ann.* 1700. *Menſ. Dec. Obſ.* IV. *pag.* 1371. *ſqq.*

i) *Aduerſar. Curioſ. Obſ.* 50. *Cent.* I. *p.* 93. in *Schol* Conf. SCHVRIGII *Parthenolog. Sect.* II. *Cap.* 9. *p.* 214.

k) *Hiſtor. anatom. rar.* 72. *Centur.* III. *pag.* 146. Conf. et *Hiſt.* 15. *Cent.* I. *p.* 30. et inprimis eiusdem *Act. med. Hafn. Vol.* II. *Sect.* 5. *pag.* 7. vbi poſt ſubitam quoque Lochiorum ſuppreſſionem, totum puerperae corpus ſimilibus tuberculis hinc inde obſitum fuit et foedatum.

fluxus, quatuor subinde mensibus subsistens, nec satis bene lien et hepar calidum valebant. Sed post sectam in malleolo venam, propinatamque menstrua cientem potionem Quercetani, post paulo, subductae ex facie maculae, et cum menstruo sanguine sanitas postliminio rediit. Hactenus BARTHOLINVS.

§. VII. Quin et circa aures ipsas mammasque eiusmodi menstruales, vt ita dicam, tumores exortos, tandemque in materiam purulentam resolutos fuisse, iam olim adnotauit ipse noster HIPPOCRATES [l]). Sed singularis ipsius ea de re miranda, locus, haud dubie vitiosus, atque hinc obscure et imperite conuersus atque interpretatus, effecit, vt hucvsque vel a nemine, vel certe a paucissimis, recte intelligeretur. Producam igitur hic, lectorum quidem pace, nouam meam versionem, ex facillima et verisimillima, vt mihi certe videtur, ipsius deprauati loci emendatione, hic infra subiuncta, concinnatam; *Ancillae asthmaticae malum inde enatum: Quum angusta nimis vteri vasa sanguinem parcius effunderent, mensibus prodituris; tum fiebant ipsi asthmata. Quibus cessantibus, febris superueniebat: tumque mamma sinistra superne, in tumorem eleuata, suppurata est, et ab initio, etiam auris* [m]).

§. VIII. Ad

l) *Lib.* IV. *de Morb. Epidem.* §. XXI. *pag.* 757. *Opp. Tom.* I. *per* LINDANVM.

m) Ipse hic HIPPOCR. locus in omnibus Codd. MStis, quondam a nobis inspectis, vt et impressis, (excepta vna *Edit. Linden.* quae semper fere mala in peiora mutat, et dum vetera sanare vult vulnera, noua infert,) sic legitur: Ἀσθματώδει οἰκέτιδι, ἔνθα ὅταν ἐταγγεία ἡμοῤῥάγησε. τοῖσιν ἐπιμηνίεισιν ἐγένετο δὲ ἄσθματα ἐκεῖνα ἐπαύσατο· πυρετὸς ἐγένετο μαζὸς ἐνεπύησεν ἀριστερὸς ὕπερθεν· καὶ ἀπ' ἀρχῆς καὶ οὖς. Vbi, vt quiuis videt, illud ἐταγγεῖα, monstrum vocis est, quod proinde FOESIVS in ἔτ' ἀγγεῖα, mutabat, addita perquam dubia et obscura ipsius loci interpretatione: quae tamen ipsa in multis, adhuc melior est *Vallesiana, p.* 395. in *Comment.* Nouissime denique Celeb. ADRIAN. HERINGA, *Cap.* XIV. *Obseruat. Crit. pag.* 115. sic emendandum censebat, ingeniosa magis, quam felici, audacia: Ἐπάνω τῶν ὤτων, κατὰ στλεγγίδα, ἡμοῤῥάγησε, κ. τ. λ. vel et in hunc modum alium: ἔνθα τὴν στλεγγίδα εἶχεν, ἡμοῤῥάγησε. Sed dudum, ante ipsum, vetus hoc foedumque quasi vlcus mitiore medela ita persanare tentauerat B. SAM. BATTIERIVS, amicus heu! quondam noster, in *Specim. philol. pag.* 24. legendo et distinguendo: Τὰ ἀγγεῖα ἡμοῤῥάγησε τοῖσιν ἐπιμήν· ἐγένετο ἄσθματα· κ. τ. λ. Nos autem isthaec omnia Auctoribus suis sine censura, relinquentes, leuissima quidem mutatione, locum hunc difficillimum ita constituendum ac restituendum arbitramur. Ἀσθματώδει οἰκέτιδι ἔνθα· ὅταν στενὰ (vel στεγνὰ, sed praestat alterum, ἀγγεῖα ἡμοῤῥάγησε, τοῖσιν ἐπιμηνίοισιν, ἐγένετο δὲ ἄσθματα· Ἐκεῖνα (scil. ἄσθματα) ἐπαύσατο· κ. λ. Ex quibus nunc sensus iste commodus ac perspicuus illico emergit, quem supra, in versione nostra, expreisimus. Sed loco τῶν στενὰ ἀγγεῖα, posset et elegantius

§. VIII. Ad hanc vero rationem HIPPOCRATIS obſeruationem de auris mammaeque tumore ac ſuppuratione facilius intelligendam, magisque confirmandam, apprime facere videtur illud, quod SIMON SCHVLTZIVS

elegantius, vnica voce, iunctim legi στεναγγέη, quemadmodum ſic κενεαγγέη, ſaepius legitur apud ipſum HIPPOCRATEM; quomodo ad eandem formam normamque, apud optimos auctores, frequentius occurrunt: στενοχωρία, στενοστομία, στενοδία, στενοπία, στενοπορία, στενοφωνία, στενοχετεία, στενοθύρα, et ſimilia plura, quae graece doctis notiſſima. Fuit vero etiam, quum hic ſimpliciſſime legerem: ὅταν στάγδην ἡμοῤῥάγησε τοῖσιν ἐπιμήνι. ſcil. ἡ οἰκέτις, quomodo poſt ipſum HIPPOC. loquuntur de re ſimili, ARETAEVS, *Lib.* II. *de Cauſſ. et Sign. acut. morb. cap.* 2. *pag.* 12. et alibi. Niſi forte magis placuerit, eodem ſenſu, legere: στράγγα ἡμοῤῥάγησε. h. e. κατὰ στράγγα: quemadmodum DIONYSIVS *Hal.* Tract. *de miranda* DEMOSTHENIS *eloquentia*, dixit, *pag.* 180. κατὰ στράγγα ῥέει, *guttatim fluit*, vt et ATHENAEVS, et ARISTOTELES, aliique. Huc DIDYMVS ad HOMER. *Od.* M. 351. κατὰ στράγγα, ὅ ἐστι κατ' ὀλίγον ὑποῤῥεῖν: Sic etiam EVSTATHIVS. Denique nec inepta, aut inſcita, me quidem iudice, ſequens foret lectio: ἐπ' ἀναγωγῇ, vel ἐξ ἀναγωγῆς ἡμοῤῥάγησε, ſcil. ἡ οἰκέτις· Eſt vero ἀναγωγή, ceu notum, ſanguinis ad ſuperiora, veluti pulmones, fauces etc. adſcenſus ſubitus, eiusdemque per eadem, violenta eruptio. Inde bene, vt ſolet, ARETAEVS l. c. ἡ δὲ ἀπὸ θώρηκος, καὶ τῶν νέρθεν σπλάγχνων, αἵματος φορὴ ἀναγωγὴ καλέεται. Quibus ſtatim ibidem, *pag.* 13. ſubiungit, quod potiſſimum huc facit, foeminas praeſertim menſtrua purgatione diutius carentes, obnoxias eſſe eiusmodi metuendae αἵματος ἀναγωγῆ: de qua praeterea videantur, ſi opus, praeter GALENVM, PAVLLVS AEGINETA, *Lib.* III. *cap.* 31. *pag.* 40. 6. AETIVS, *Lib.* VIII. *cap.* 65 *pag.* 170. *ſqq.* ALEXANDER TRALLIANVS *Lib.* VII. *cap.* I. *pag.* 286. *ſqq.* et alii; item FOESIVS, in *Oecon. Hipp.* DIETERICVS, in *Iatr. Hipp.* PETITVS ad ARET. *p.* 156. et alii plures. Cunctis tamen hiſce coniecturis, licet forſan haud plane ſpernendis, merito praetulerim priorem, qua nempe στενὰ ἀγγεῖα, vel στεναγγέη, legendum eſſe, exiſtimabam. Ceu potiſſimam enim ſuppreſſorum menſtruorum cauſſam, στενὰ ἀγγεῖα, et στενὰς διόδους allegant ARETAEVS, AETIVS et HIPPOCRATES ipſe, qui etiam de primis laborioſis plerumque virginum menſibus, *Lib. de Genitura, pag.* 126. dixit. διὰ στενῶν ὁδὸς καὶ δίοδος γίγνεται, et *Lib. de Virgin. Morb. pag.* 356. τὸ στόμα τῆς ἐξόδου μὴ ἀνεστομωμένον: item *Lib.* I. *de Morb. Mul. pag.* 456. et alibi in ſeqq. meminit μητρέων στενοστόμων, quibus mox *pag.* 457. opponuntur ab ipſo μῆτραι εὐρύστομοι: quomodo etiam στενότητας et στεινώματα τῆς μήτρας, pariter dixerunt GALENVS, AETIVS, MOSCHION et alii. Vbi vero talis eſt viarum occultarum anguſtia, et vaſorum vterinorum arctior contractio; tum ſane ſanguis menſtrualis perparce tantum et ſtillatim magno cum labore et dolore, e natura deſcendere poteſt, maiore et craſſiore ipſius parte interim intus relicta; et ad caput, pectus et alia loca, cum periculo, delata. Quem ſingularem affectum AETIVS, forſan primus, non ſine elegantia, vocauit τὴν τῶν καταμηνίων στραγγουρίαν, *Tetrabib.* IV. *Serm.* 4. *Cap.* 63. *pag.* 797. et MOSCHION quoque de. *Paſſ. Mul. cap.* 126. *pag.* II. ἐνίοτε σὺν ὀδύνῃ στραγγοειδῶς φέρονται τὰ ἔμμηνα: de quo vid. TRINCAVELL. apud SCHENCKIVM, *Obſ.* 255. *Lib.* IV. *p.* 354. *ſqq.* et TIMAE. A GVLDENKLEE, *Caſ. med.* X. *Lib.* IV. *pag.* 208. item CAPIVACC. *Med.*

pract.

SCHVLTZIVS [n]) retulit de foemina, *quae mensibus aegre parceque admodum fluentibus, binas semper vesiculas, post singulas aures, praeuio capitis dolore, leuique vertigine, percipiebat, quae sponte aperiebantur, et effussa serosi humoris, coloris citrini, exigua copia, iterum euanescebant.*

§. IX. Quale quid vel nosmet ipsi olim conspeximus in puella nobis agnata: cui pubertatis annos iam ingressurae auris dextra semper tumebat, rubebat, dolebat, atque acri mordacique humore madebat. Quo vel sua sponte, vel admotis etiam externis quibusdam remediis, (nam impatiens saepe erat puella molesti doloris) siccato ac represso; vehemens protinus subsequebatur dextri oculi ophthalmia, ita, vt ad maius periculum auertendum, per applicata statim pone aurem, vesicatoria, humor iste auersus reuocandus esset. Simul ac vero ex consueta naturae lege, stato tempore, menstrua ipsi ferebantur, tum saeua ista symptomata omnia illico remittebant, ita vt et auris et oculus salui intactique inposterum manerent.

§. X. De simili autem mammae tumore, huc potissimum conferri meretur sequens singularis obseruatio magni quondam OLAI BORRICHII [o]). *Ancilla Dn.* IAC. van HAM, *nescio, qua febricula languens, aduocato*

pract. Lib. IV. *cap.* 3. *pag.* 784. *sqq. opp.* praesertim vero ALBERTINI BOTTONI *de Morb. Muliebr. Cap.* LV. *pag.* 384. apud SPACH. Sensus igitur huius loci, hactenus diligenter illustrati, vt tandem finiam, hic esse videtur: *Menstrua nempe perparce et stillatim tantum processisse; vnde maior potiorque ipsius copia, ostio inferiore obstructo, versus pectus et caput subito adscenderit, ibique inerti suo pondere, molesta asthmata induxerit: donec febre, ceu medico, opportune accedente, collecta illa effoeti putridique sanguinis quantitas tandem in maturum pus excoqueretur, et aure, mammaque vel sua sponte ruptis, vel arte apertis, summo cum aegrotae alleuamento, et pertinaci illo asthmate penitus sublato, salutariter effunderetur.* Sed satis iam, nisi forte nimium, quod equidem vereor, de huius obscuri et perplexi loci Hippocratici explicatione, quam interim aequo lectorum humaniorum arbitrio lubens submitto. Ceterum huc referenda omnino illa singularis est Historia, in *Commerc. litter. med. Norimb. de Ann.* 1738. *pag.* 282. de foemina quadam iuuencula coelibe, quae per integrum annum, mensibus defecta, asthmate, raucedine et tumore pedum oedematoso inuadebatur, quibus malis subito obruta, paullo post misere periit; longe quidem infelicior suo fato, Ancilla illa Hippocratica, melioris naturae beneficio seruata.

n) *Miscell. Natur. Curios. Decad.* I. *Ann.* 6. *et* 7. *Obs.* CCXXXIII. *pag.* 342. *sqq.* Conf. SCHVRIGII *parthenolog. Sect.* II. *cap.* 9. *pag.* 215.

o) Apud THEOPHIL. BONETVM, in *Medicin. Septentrional. Tom.* II. *Lib.* IV. *Sect.* 2. *Obs.* 25. *pag.* 37. Conf. BALLONII *Lib.*

cato chirurgo, venam bracchii incidendam offert, durante menstruo fluxu; et ex febre quidem conualescit; sed intercepto mox sanguinis per inferiora procursu sentit paullatim praecordia sibi aggrauari, et in mamilla sinistra pullulare nodosum quiddam, quod aliquot mensium spatio ita ad augeri, liuescere, et punctiunculis molestum esse perrexit; vt, nisi mature cum PHILIPPO HACQVARTO *occurrissem malo; haud dubie in desperatum erupisset carcinoma* p). Hactenus laudatissimus BORRICHIVS: qui statim ibidem binas pares fere historias, sed multo luctuosiores, subiungit, quae isto quidem loco legi commodius possunt a quouis harum rerum curioso. Ceterum autem hanc ipsam obseruationem Borrichianam in multis conuenire cum ista, ex FORESTO superius allata, (§. II.) lector facile deprehendet.

§. XI. Verum et sub Hypochondriis eiusmodi tumores insolitos subinde enatos fuisse, compertum est. Ita HIPPOCRATES ipse q) in serua, recens emta, quam ex more antiquo diligenter inspexit r), vt de ambi-

Lib. II. *Epidem.* et *Ephemerid. pag.* 261. et IDONIS WOLFII *Obs. Chir.* 20. *Lib.* I. *pag.* 66.

p) Iam dudum ipse HIPPOCRATES suspectos eiusmodi et in tetros cancros facile transituros tumores post suppressa menstrua, obseruauit in mammis, *Lib.* II. *de Morb. Mul. pag.* 553. et alibi (ἐν τοῖσι τιτθοῖσι φυμάτια γίνονται σκληρὰ, τὰ μὲν μείζω, τὰ δὲ ἐλάσσω· εἶτα ἐξ αὐτέων φύονται καρκῖνοι κρυπτοί.) Qualibus funestis exemplis quam plurimis omnes fere Chirurgorum Commentarii abundant: vid. VESAL. PARAE. HILDAN, FOREST. FALLOP. SCVLTET. DIONIS. PLATER. et alios plures; item ill. VAN SWIETEN, *Comment. Tom.* I. *pag.* 854. et *pag.* 877. et BOERHAAVE *prax. Med. Tom.* II. *p.* 244. *sqq.* Multa quoque hanc in rem, ipsi quondam attulimus exempla, in diss. *de nociua Cancri inueterati Extiratione*, quae, si tanti, ibi plegantur.

q) *Lib.* IV. *de Morb. Epidem.* §. XXII. *pag.* 759. *Tom.* I. *opp.*

r) Vsu nempe olim receptum erat apud Graecos, Romanos, aliasque cultiores gentes, vt in Mancipiorum Venditione et Emtione, periti simul Medici interdum adhiberentur, qui ipsorum corpora nuda, aut deuestita, vt eleganter ait APVLEIVS, diligenter inspicerent, et simul vbique contrectarent; posteaque ex arte, atque fide, iudicarent, vtrum sana essent ac integra; an vero contra vitiosa, aut morbosa? vt inde Redhibitioni locus esse posset. De quo singulari ritu, vid. inprimis BARTH. ad CLAVDIAN. *Lib.* I. *in Eutrop. v.* 35. vbi insignis de hoc more, extat locus, in istis praecipue verbis: *Nudatus quoties, Medicum dum consulit Emptor*, item interpretes ad APVLEII *Apolog. pag.* 303. es BRITANNICVS, ad IVVENAL. *Sat.* XI. *pag.* 622. nec non DES. HERALDVS, ad MARTIAL. *Epigr.* 82. *Lib.* VI. *p.* 131. PIGNORIVS, *de Seruis, pag.* 53. MERCVRIAL. *Var. Lect. Lib.* II. *cap.* I. *p.* 26. praesertim autem RADVLPH. FORNERIVS, *Lib.* II. *Rer. quotid. c.* 26. *p.* 74 *sqq.* item

ambigua eius sanitate iudicaret; nam per septem integros annos, quod sane mirandum, menstrua ipsam defecerant, *tumorem magnum durumque in dextra corporis parte obseruauit* s): qui tamen postea, singulari naturae beneficio, accedente dysenteria ac febre, quasi medico, et redeuntibus exinde auspicato mensibus, tam diu interceptis, tandem perfecte resolutus ac dissipatus fuit.

§. XII.

item BRISSONIVS, *Lib.* VI. *de Formulis, pag.* 492. IO. LANGIVS, *Epist. med.* 75. *Lib.* I. *pag.* 411. et IO. RVDOLPH. CAMERARIVS, *Memorabil. med. cap.* 15. *Centur.* XVI. *pag.* 1301. *Tom.* II. denique etiam SCIPIO GENTILIS, *Origin. ad Pandectas, pag.* 282. Attigit quoque nouissime eundem hunc morem Cl. IVGLERVS, amicus quondam noster in aula Weissenfels. in eleganti Libello, *de Nundinatione Seruorum, cap.* V. *pag.* 52. *sqq.* Sed haec obiter: Sunt enim alterius loci. Plura vero de hac singulari consuetudine, in Venalitiis olim vsitata, neque tamen in hunc vsque diem, penitus abolita, vt praeclare docet RODER. A CASTRO, *Med. polit. Lib.* IV. *cap.* 13. *pag.* 263. aliquando, si Deo ita visum fuerit, dicturi sumus, in *Comment.* nostro ad *Edictum aedilitium.* Conf. interim, si placet, *Obs. nostr. Crit. Lib.* IV. *cap.* 13. *pag.* 373. *sqq.*

s) Ipsa HIPPOCRATIS verba hic sic fluunt: τῇ οἰκέτιδι, ἥν νεώνητον εἶχαν κατεῖδον, σκλήρωμα ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν ἐνῆν μέγα, κ. τ. λ. vbi contra omnium Codd. fidem, quin et ipsius GALENI auctoritatem, *Lib.* III. *de Respirat. difficil. cap.* 12. *pag.* 289. *Tom.* VII. LINDANVS more solito, de suo, infeliciter intrusit ἧπατος, scil. σκλήρωμα, ita, vt VALLESIVM, *Comment.* in h. l. *pag.* 402. male sequutus, intelligat Hepatis scirrhum. Quod si vero adeo inueteratus, per septem nempe annos, in ipso hepate, scirrhus fuisset; tam facile profecto, et sua quasi sponte, nunquam dissolui potuisset, quin potius δύσλυτος et δυσίατος, vt GALENVS ait, h. e. indissolubilis et immedicabilis, mansisset, adeo, vt hinc, haec recens emta serua, ob hoc insanabile corporis vitium, redhiberi omnino debuisset. Sic enim manifesto ipse VLPIANVS, *l.* 12. §. 4. *ff. de aedilit. Edict. Si ex corporis vitio id accidit;* (scil. *quod male oleat os,* quod praecessit,) *veluti quod iecur, quod pulmo, aut aliud quid similiter, dolet, morbosus est.* Vbi *τὸ dolet,* contra ipsam Cod. Florent. fidem, male in *olet,* mutabat ampl. BYNKERSHOEK, *Obseruat. Iur. Rom. Lib.* III. *cap.* 23. *pag.* 321. veteres quasdam Editt. perperam sequutus. Ipsum enim vetustissimum illud pandectarum Florentin. exemplar graecum, literis capitalibus quadratis, et sine accentibus, scriptum, tum non viderat BYNKERSHOEK, nec quisquam alius Ictorum omnium, imo hominum omnium, vidit illud, quoniam nusquam gentium, aut locorum, extat. Vnus tamen homo, reliquis omnibus oculatior ac felicior, quod vtique mirum, illud venerandae antiquitatis exemplum graecum, tanquam a se ipso visum, accuratissime descripsit. Risum teneatis amici. Sed haec obiter, honesti ioci gratia. Namque, *si iecur dolet,* pariter aperte dixit CORN. CELSVS, *Lib.* V. *cap.* 18. *pag.* 251. conf. et *Lib.* IV. *cap.* 8. *pag.* 213. quomodo nempe ipse HIPPOCRATES: τὸ ἧπαρ ἀλγέει, πονέει, καὶ νοσέει, vt *praedict.* I. *p.* 475. *de Intern. Aff. p.* 228. 233.

 et

§. XII. Cui geminum plane ſequens eſt exemplum, a ſummo quondam viro, THOMA BARTHOLINO [t]) ita relatum: *Suppreſſis mulieri Malmogianae menſtruis euacuationibus, ingens ſub coſtis ſpuriis, dextri lateris, oriebatur tumor, circa hepatis regionem, de cuius dolore ſaepius antea fuerat conqueſta. Aperto abſceſſu maturo, pus effluxit cruentum, percuratoque vlcere, ſana vixit, ex voto deinceps menſibus fluentibus.* Haec ille.

§. XIII. A quo haud longe abit iſtud a PHILIPPO HOECHSTETTERO [u]) commemoratum, de foemina, cui ex menſtruis nec iuſto ordine, nec ſufficienti copia, decurrentibus, ſub hypochondrio ſiniſtro, iuxta coſtam inferiorem ſpuriam, ingens ac renitens tumor, inſtar tomaculi, intolerabili fere cum dolore, enatus fuit: fruſtra licet tum dubitantibus et inter ſeſe diſceptantibus medicis concurrentibus, cuinam potiſſimum cauſſae tumor iſte inſolitus originem ſuam veram deberet.

§. XIV. Nec ſilentio praeterire hic decet ſingularem illam Obſeruationem, ab ill. GERARDO VAN SWIETEN, Commentariis ſuis, omne in aeuum victuris, ſequenti quidem modo inſertam [x]): *Ruſtica quinqua-*

et 235. et alibi ſaepius. Illis autem, qui iecur diutius male affectum, ſcirrhoſum, aut corruptum habent, anima ſemper fere foetet, ſeu olet, vt notum: vid. huc CAEL. AVREL. *Lib.* III. de *Morb. Chron. cap.* 4. *pag.* 449. ideo longe minore emphaſi, *olet*, hic legebat BYNKERSKOEK, pro *dolet*, quod vnice verum. Quod ipſi tamen, ceu ἀνιάτρῳ, ob reliqua ingentia merita, facile condonandum. Ceterum conf. huc. CLAVD. MVSAMBERT. in RAMIRES, *hypomnem.* in MARTIAL. *pag.* 150. Sed haec hic ſeueriorum Lectorum pace, amoenae forſan varietatis et condimenti quaſi gratia, oblata ſponte occaſione, interiecta ſunto. Praeſtat igitur, vt ad ipſum HIPPOCR. locum regrediamur, potius ſtatuere, forſan circa vteri regionem, iſti Seruae Tumorem illum enatum fuiſſe; quam cum LINDANO, temere credere, ex vitiato, ſcirrhoque immedicabili indurato hepate originem ſuam traxiſſe: praeſertim quum ipſe ſileat HIPPOCRATES.

t) *Hiſt. Anat. rar.* 87. *Centur.* II. *p.* 327. Conf. AVGVSTIN. THONERI, *Obſ. Med.* 5. *Lib* IV. *pag.* 214. Quae Hiſtoria, ibi deſcripta, forſan huc etiam faciat. Ita et poſt ſuppreſſa ſubito lochia, ſimilem ſub hypochondrio ſiniſtro, tumorem, multam demum ſaniem effundentem, in puerpera obſeruauit, curauit ac deſcripſit HAGENDORNIVS, *Obſ. med.* 18. *Cent.* III. *pag.* 303. *ſqq.* vbi etiam ſimul ad SENNERTVM noſtrum prouocat, in *Prax. med. Lib.* IV. *part* I. *ſect.* 2. *c.* XI. *p.* 73.

u) *Obſeruat. Med. Caſ.* 2. *Decad.* IX. *pag.* 310.

x) *Tom.* I. *Comment. in* BOERHAAV. *Aphoriſ. pag.* 849. Conf. huc etiam VALLERIOLAE *Enarrat. med.* 6. *Lib.* V. *pag.* 694.

quinquaginta et vnum annos nata, numerosae prolis mater, sana satis vixerat: Ante quinquennium aegrotare inceperat, menstruis subito suppressis, et crebro vomitu, simulque tumore abdominis sensim increscente, qui totum hypochondrium dextrum occupans, manubus palpari poterat, et versus sinistram corporis partem dimoueri: Tandem post insignes cruciatus periit. Aperto cadauere, praeter alia mala, omnes glandulae mesenterii scirrhosae inuentae fuerunt; et simul apparuit, tumorem illum, qui exterius palpari potuit, fuisse pancreas tumidum et scirrhosum. Hactenus magnus ille Viennensium Aesculapius.

§. XV. Quorsum et apposite spectat miranda illa historia, quam fuse et exacte perscriptam, ad IO. IAC. HARDERVM quondam misit cel. CAROLVS SPONIVS y); de quadam scilicet foemina, cui, mensibus propter effoetam iam aetatem non amplius respondentibus, in hypogastrio monstruosus et immensus paene tumor obortus erat, sero copioso cruento, quod post cadaueris sectionem, demum patuit, repletus.

§. XVI. Quo et altera omnino pertinet historia, apud eundem HARDERVM, in antecedentibus quam diligentissime consignata z), de alia quadam ornatissima matrona, quae corpus tenerum ac delicatum frigentibus vndis intempestiue immittendo, sua culpa menstrua repente perdiderat, cuique inde tumor ingens in sinistro hypogastrio sensim subnatus fuit, qui postea versus hypogastrium dextrum late extensus, totum fere illud spatium, quod ab vmbilici regione deorsum exporrigitur, foede occupauit, et, vt post mortem pariter manifesto apparuit, simili plane tabo, sanie et sanguine atro, ad stuporem fastidiumque visentium, turgidus fuit. Simile vero post frigidum balneum accidit puellae menstruatae, cui, mensibus inde frigore suppressis, glandulae colli ita subito intumescebant, vt paene suffocaretur, nisi opportuna venae sectio in pede prudenter instituta illam imminenti vitae periculo feliciter tandem eripuisset: de quo memorabili casu vid. *Commerc. litterar. medic. Norimb. de anno* 1738. *pag.* 36.

Dd 2 §. XVII.

y) In *Apiario* HARDERI *Obseruat.* LXXXVIII. *pag.* 330. *sqq.* Conf. POTERII *Obs. Cent.* III. *cap.* 47. *pag.* 240. et ibi HOFFMANN.

z) Ibidem, *Obseruat.* LXXV. *p.* 286. *sqq.*

§. XVII. Neque vero crura ab eiusmodi insolitis tumoribus prorsus immunia esse, vel sequens GEORGII FRANCI obseruatio luculentius testabitur [a]); *Virgo rustica annorum viginti, temperamenti melancholico-sanguinei, iam a duobus annis menses rite fluentes non habuit; sed saltim paucos: Quare in cruribus, et prope malleolos, aliquoties tumores in venis, liuidos et subcoeruleos obseruauit ad mori vel vuae magnitudinem: quos nodos neglexit. Accidit autem quinquies, vt sponte sua rumperentur.* Vbi reliqua, si lubet, videantur. Cui commode iungatur ista IO. PETRI LOTICHII obseruatio de puella quadam, quae a subita mensium suppressione, tumorem, acuto dolore perquam molestum, in vtroque pede conceperat [b]). Quo et inprimis pertinet illa historia, priori quidem simillima, a THOM. BARTHOLINO relata [c]), de ancilla quadam, cui mensibus instantibus, sed non satis iuste fluentibus, tumores in pedibus exorti sunt, qui sua sponte demum disrupti, sanguinem copiose profuderunt; quod saepius sic accidisse, ibidem liquido affirmat laudatissimus auctor.

§. XVIII. Aliquanto tamen frequentius ipsa molliora inguina ab huiusmodi tumoribus occupari, pridem obseruatum fuit. Ita ipse IAC. HOLLERIVS [d]) candide testatur: *se vno tantum anno vidisse plusquam ducentas puellas, quibus medio vere, non satis exeunte sanguine menstruo, tumores in inguinibus nascerentur.* Quod sane fidem paene omnem excedere videretur, nisi grauissima tanti viri auctoritas et dudum alibi testata saepius fides omnem statim dubitationem penitus tolleret.

§. XIX. Sed nec id ipsum olim ipsi nostro HIPPOCRATI, pro mira sua solertia, inobseruatum fuit. Non enim solum post suppressa

diutius

a) In *Miscell. Nat. Cur. Dec.* I. *Ann.* 6. et 7. *obs.* XXII. *pag.* 51. Conf. SCHVRIGII *Parthenolog. Sect.* II. *cap.* 6. *p.* 184.

b) *Obs. Med.* 23. *Cap.* I. *Lib.* V. *p.* 482. Conf. BALLONII *Lib.* II. *Epid. p.* 261. item RIVERII *Obs. med* 13. *Cent.* III. *pag.* 615. et ibid. PASCHEQVI *Obs.* 13. *pag.* 657.

c) *Hist. Anat. rar.* 16. *Cent.* I. *p.* 31 *sqq.* Conf. VERZASCHAE *Obs. med.* XIII. *pag.* 35.

d) In *Lib.* III. *Coac. Hippocr.* No. 40. *pag.* 346. Conf. huc ill. VAN SWIETEN, *Comment.* in *Aphoris.* BOERHAAV. *Tom.* I. *pag.* 854. et SEVERINI *Lib.* IV. de *Abscessibus, cap.* 26. *pag.* 297. item BALLONII *Lib.* II. *Epidem.* et *Ephemerid. pag.* 260. et SCHVRIGII *Muliebr. Sect.* III. *cap.* 2. *p.* 268. et 269.

e) *Lib.* nempe, *de Nat. Mul. pag.* 374. et *Lib.* II. *de Morb. Mul. pag.* 580. et alibi saepius,

diutius menstrua, duritiem inguinum saepius adnotauit e)): sed et hos ipsos tumores circa eandem regionem frequentius exsurgentes ita accurate descripsit, immo, vt rectius dicam, viuis quasi coloribus depinxit f); adiecto simul grauissimo et omnibus chirurgis saluberrimo monito: *Quibusdam mulieribus vbi bimestres, aut trimestres, aut diuturniores fuerint menses, et ad lateris mollitudinem allapsi videantur; quum non suppurati sint menses; veluti tuberculum fit supra inguen, sine capite, magnum, rubrum: et vulgus medicorum ignarum, quid hoc esset, iam saepe secuerunt, et sic in periculum induxerunt:* Vbi videnda et diligenter ponderanda sunt reliqua, quae ibidem sequuntur.

§. XX. Ad quem notabilem HIPPOCRATIS locum GALENVS omnino respexisse videtur, sequentibus quidem verbis g)): *Quod si longiori tempore supprimantur menstrua, nullamque medicus mulieri vacuationem promoueat; tumor aliquis praeter naturam in ilibus interdum exoritur, ostendens, ex internis partibus quandam esse inflammatam. Nonnullis panus in extrema ilium parte, excitatur, qui nonnunquam suppuratus, secari debet.* Haec quidem GALENVS, ad mentem scilicet ipsius HIPPOCRATIS.

§. XXI. Licet igitur omnes isti tumores hactenus diligenter enarrati, triplici plerumque modo soluantur: quum nempe vel naturae im-

 petu:

saepius, vocantur βυβῶνες σκληροὶ, vbi et occurrit σκληρότης βυβώνων. Conf. ill. VAN SWIETEN, *Comment. Tom* I. *p.* 850. item FOREST. *Obs.* 7. *Lib.* XXVIII. *pag.* 51. et SCHENCK. *Obs.* 242. *Lib.* IV. *p.* 250. *Tom.* II.

f) *Lib.* I. *de Morb. Mul. pag.* 421. vbi HIPPOCRATES ipse sic elegantius loquitur: ἔστιν ᾗσιν, ἐπὴν δίμηνα, ἢ τρίμηνα, ἢ χρονιώτερα, ἢ τὰ ἐπιμήνια, καὶ προσπέσῃ πρὸς τὴν λαπάρην, μὴ διαπυῶν τῶν καταμηνίων ἐόντων, ὡς φῦμα γίνεται ὑπὲρ τοῦ βουβῶνος, ἀκέφαλον, μέγα, ἐρυθρόν. Καὶ τῶν ἰητρῶν πολλοὶ ἤδη, οὐκ εἰδότες τοῦτο, οἷόν ἐστιν, ἔταμον, καὶ ἐς κίνδυνον ἤγαγον οὕτως. Ad quem singularem et perquam notabilem HIPPOCR. locum, vid. quae docte commentatus est MAVRIT. CORDAEVS, apud SPACH. in *Sylloge Gynaec. p.* 522. *sqq.* nec non MARTIN. AKAKIA, *Lib.* I. *de Morb. Mul. cap.* 22. *pag.* 771. ibidem, in eodem opere: quibus add. MARC. AVREL. SEVERINI *Lib.* IV. *de Abscess. cap.* 26. *pag.* 298. et, qui ibi laudatur, IVL. CAES. ARANTIVS, *Lib. de Tumoribus, P.* II. *cap.* 46.

g) *Lib.* VI. de *Loc. affect cap.* 5. *p.* 524. *Tom.* VII. *Opp.* per CHARTER. Vbi Auctor ipse sic sua lingua, scribit: κἂν πολλῷ χρόνῳ τὰ καταμήνια κρυφθῇ, καὶ μηδεμίαν κένωσιν ὁ ἰατρὸς τῇ γυναικὶ προσαγάγῃ, φαίνεταί τις ἐνίοτε κατὰ τὸν κενεῶνα, παρὰ φύσιν, ὄγκος, ἐνδεικνύμενος, διὰ βάθους εἶναι τὸ φλεγμαῖνον. Ἐνίαις δὲ καὶ φυματώδης ὄγκος ἐγείρεται κατὰ τὸ πέρας τοῦ κενεῶνος, καὶ τισι διεπύησε, καὶ τομῆς ἐδεήθη. Vbi vid. si placet, reliqua.

petu rumpantur, et sanguinem intus collectum effundant h); vel sua sponte rursus euanescant i); vel denique in suppurationem transeant k); prout exempla varia superius allata affatim testantur: frequentius tamen illi praesertim tumores, qui in inguine subinde attolluntur, propter loci nempe istius opportunitatem et mollitudinem, in suppurationem tendere consueuerunt; quod nec ipsum HIPPOCRATEM ignorasse, luculenter constat ex sequenti ipsius sententia l): *Sunt etiam foeminae, quibus circa inguen, velut tuberculum, fit, illicque suppuratum exit*: quam ipsam suppurationem alibi saepius idem vocauit *menses suppuratos* ac *putridos*, seu *putrefactos* m).

§. XXII. Non tamen semper expectanda, multo minus violenter ibi cogenda est suppuratio; quum redeuntibus in iustum ordinem mensibus, isti elati inguinum tumores saepius sua sponte, rursus subsidere, atque sine vllo collecto aut emisso pure, detumescere soleant. Nisi ergo manifesta ibi adsint puris ad maturitatem iam percocti indicia; qualia nempe chirurgis vulgo cognita sunt, potissimum sequentia: partis ipsius mollities, pressi tumoris fluctuatio, cutis albedo, doloris, caloris, ruboris, tensionisque remissio; item vertex tumoris mucronatus, et quaedam denique ipsi dolori succedens grauidas, vt post CELSVM n), aliosque prudenter monuit BOERHAAVIVS o), tum istos quidem tumores, propter ambiguum adhuc euentum, intactos plane praeterire,

h) Vid. supra, *Historia prima*, item §. XVII.

i) Vid. *Historia secunda*, et §. §. IV. VI. X. XI. XIII. et XVIII.

k) Conf. §. §. V. VII. VIII. XII. XX. et hic ipse §. XXI. in fine.

l) *Lib. de Natura Pueri*, *p.* 138. *Tom* I. *Opp.* vbi verba ipsa haec sunt: ἔστι δὲ, ᾗσι καὶ κατὰ βουβῶνα, ὡς φῦμα, γίνεται, κἀκεῖ πύον γενόμενον, ἐξῆλθε.

m) Scilicet ἐπιμήνια διάπυα καὶ σεσηπότα, *Lib.* I. *de Morb. Mul. pag.* 420. et *p.* 423. saepiusque alibi, in istis *de Morb. Mulier.* Libris. Vid. huc inprimis, MARTIN. AKAKIA, *Lib.* I. *de Morb. Mul. cap.* 22. *pag.* 771. apud SPACHIVM, vbi de his Mensibus suppuratis, plenius ac diligentius tractatur. Apud reliquos autem Auctores, numero certe haud paucos, qui in eo ipso argumento illustrando, versati sunt, tetri huius ac periculosi simul affectus aut parca admodum facta est mentio, aut prorsus nulla, ceu ex MERCVRIALI, RODERICO A CASTRO, BOTTONO, PARAEO, MONTANO, VARANDAEO, et aliis patet.

n) *Lib.* V. *cap.* 28. *Sect.* II. *pag* 326. *sqq.* et *Lib.* VII. *cap.* 2. *pag.* 409. *etc.*

o) *Aphoris. de Cognoscend. et Curand.* §. 405. *p.* 58. vbi maxime vid. ill. VAN SWIETEN, *Comment. Tom.* I. *p.* 701. *sqq.* add. AKAKIA, loco modo allegato.

praeterire, ipſique naturae ſoli committere praeſtabit, quam medicina externa, plus nocitura, minus autem profutura, eoſdem adoriri.

§. XXIII. Caueant igitur ſibi in poſterum medici ac chirurgi quam diligentiſſime, ne eiuſmodi tumores in inguine exortos protinus pro furunculis, aliisue abſceſſibus, aut, quod longe adhuc deterius, pro venereis adeo bubonibus, imprudenter habeant, eosque inde variis remediis et epithematis diſcutientibus, emollientibus, digerentibus, reſoluentibus, maturantibus et pus denique mouentibus, temerario prorſus ac funeſto plerumque conſilio, adgrediantur; aut, quod longe adhuc peius ac deteſtabilius eſt, ſaeuo ſcalpello aperire crudeliter audeant: Quin potius, vbi foeminas aut puellas ex tumoribus inguinum, aut aliarum etiam corporis partium laborantes, curandas ſuſceperint; prius ante omnia quam ſolicitiſſime inquirant, quomodo ipſum menſtruorum negotium ſit comparatum, vtrum nempe recto liberoque curſu, ſtatis temporibus, iſta ferantur; an vero contra ſolito parcius lentiusque elabantur, aut in anguſtis vteri clauſtris prorſus intercepta haereant, fruſtraque ibi luctando exitum moliantur?

§. XXIV. Quum igitur vel minima ſuborta fuerit ſuſpicio, a menſtruis, aut diutius retardatis, aut plane ſuppreſſis, repetendam eſſe horum quidem tumorum originem; tunc ab omni externa medicatione, praeſertim chirurgica, penitus abſtineant, ne grauiſſimam ſimulque iuſtiſſimam HIPPOCRATIS cenſuram, ſuperius iam adnotatam p); ſuo merito incurrant: Sed ſecuriorem potius tentantes viam, per opportunas ſanguinis miſſiones, et blandiora remedia menſes ducentia, vulgo emmenagoga dicta, ſupra iam ſtrictim indicata q); turbatos, deuiosque a recta via, menſes in iuſtum rurſus ordinem redigere ſtudeant; tum ſane iſti tumores, praeſertim ſi nondum inueterauerint, et ex diu-

turniore

p) §. ſcilicet XIX. τῶν ἰητρῶν πολλοὶ ἤδη, οὐκ εἰδότες τοῦτο, οἷόν ἐστιν, ἔταμον, καὶ ἐς κίνδυνον ἤγαγον οὕτως. *Multi medicorum, ignari, quid hoc Tuberculum eſſet, illud audacter ſecuerunt, et ſic miſerandas foeminas in ſummum vitae diſcrimen adduxerunt.* Conf. hunc B. HEVCHERI *Opp. Med. p. 316. ſqq.*

q) Vid. *Hiſtoria Secunda:* Add. IO. HELLWIGII *Obſ. Med.* LVI, *pag.* 190. et TIMAEI GÜLDENKLEE, *Caſ. Med.* 9. *Lib.* IV, *pag.* 207.

turniore temporis mora, pertinacem duritiem contraxerint, beneficio ipsius naturae vel sua sponte discutientur.

§. XXV. Quam funestum enim plerumque euentum sortiantur eiusmodi intempestiue adhibita remedia chirurgica generosiora, aut re-ctius, crudeliora, in cogendis, vel natura ipsa inuita, ad suppurationem huius generis tumoribus; vel vnicum illud, sed perquam flebile, ex-emplum, ab EBERHARDO GOCKELIO r), diligenter enarratum, abunde, opinor, testabitur: quod, etsi aliquanto longius; tamen huc, propter vtilitatem publicam exinde forsan sperandam, transcribere haud grauabimur.

§. XXVI. MARGARETHA GLASERIA, *aetatis* XXI. *annorum, temperamenti pituitosi, habitus corporis gracilis, anno* MDCLXXVIII. *mense Augusto, in dextro pede, quum prius menses defecissent, imbecillitatem faculta-tis motricis cum dolore pedem percurrente, ex qua caussa per* XIV. *dies claudi-cauit, nullo signo in exteriori parte se manifestante, sensit. Die solis dum sca-las aedium suarum ascendere volebat, motu humoris, ad inferiora ruentis, ve-loci ac repentino, maximos et lancinantes dolores in inguine dextro sensit, qua de caussa aliter non, nisi in brachiis, ab aliis ducta et suffulta, ambulare potuit. Vrina tum temporis fuit sanorum similis. Progressu temporis doloribus quo-tidie crescentibus, tumor seu bubo insignis, cum alio minore, in dextro inguine apparuit, qui primo discutientibus, post modum emollientibus ac maturanti-bus tractati, cooperante natura tandem aperti sunt; per quorum multos ac va-rios cuniculos plurima ac copiosa sanies, per temporum vicissitudines, se exo-nerauit. A quo tempore patiens indesinenter lecto affixa mansit. Post exo-nerationem materiae purulentae, semper melius habuit; sed, dum nouum pus generaretur, de magnis cruciatibus conquesta est. Interim etiam semper de-fecerunt et emanserunt menses, ac pes dexter in tantum contractus fuit, vt eum minime extendere valeret. Cibi, quos assumsit, per foramina vlceris in ingui-ne, tali forma et figura, quali ingesti erant, per annum et semestre non altera-ti, crudi, et incocti, rursus egesti sunt: interdum etiam alui excrementa per dictas vias eructauit. Quibus interim accessit atrophia, seu tabes totius cor-poris, cum dolore ferme intolerabili, ac horrore febrili, alternatiue inuadenti-bus,*

r) *Consil. Medicinal.* XLIII. *pag.* 450. *sqq.*

bus, nec non vomitibus biliosis; donec die lunae, XIX *Iun. ann.* MDCLXXX. *vesperi, hora nona, animam tandem exhalauit.* Hucusque laudatus supra GOCKELIVS. Haec ipsa vero memorabilis historia luculentus quidam, imo viuus quasi commentarius esse potest locorum istorum HIPPOCRATIS, perquam obscurorum et a paucis intellectorum, de inguinum nempe tumoribus, pus tandem effundentibus, de quibus supra actum §. §. XVIIII. et XXI. atque simul perspicue docet, quid proprie sint apud eundem HIPPOCRATEM ἐπιμήνια διάπυα καὶ σεσηπότα, seu *menses suppurati, putridi* ac *putrefacti*, de quibus pariter supra tractatum. Isti autem lugubri historiae Gockelianae perquam similis profecto est sequens historia notabilis, a cl. BVRGHARTO accurate commemorata in *Satyr. Medicor. Siles. Specim.* V. *Obs.* 3. *pag.* 19: *sqq.* de puella nempe gibbosa, menstruis per omnem fere vitam defecta, quae male a medentibus tractata, nec per opportunam venae sectionem in tempore adiuta, primum pedum erysipelate, deinde vero glandularum axillarum et mammarum tumoribus infestabatur, qui per ineptam et intempestiuam medicinam subito repressi, in tetrum tandem carcinoma degenerabant: vnde sensim emaciata miserrime demum periit infelix ista, nisi felix potius, puella, cuius nempe immedicabilibus arte humana malis sola tandem mors opportuna perfecte mederi poterat, sed ibidem et alia narratur historia, quae etiam huc nonnihil spectat. Ceterum addam hic nunc denique simillimum casum tristissimum, nouissime ad me e Lusatia, d. 24 Oct. 1761. perscriptum a fratre quodam theologo, ob miserandam plane charissimae suae sororis sortem merito afflictissimo, qui perlecta hac ipsa nostra dissertatione, quidquam a nobis auxilii expectari ac sperari posse, heu! frustra credidit. En vero ipsa illius verba, a me hic Latine reddita: *Soror mea dilectissima, iam* XVIII *annorum, menstruis semper caruit; inde vero multis variisque symptomatibus grauissimis per omnem fere vitam correpta fuit. A septem enim iam annis oculos lippientes, rubentes et dolentes habuit, ita vt lucem aegerrime ferre possit: aliquoties etiam in ipsa pupilla magnae quaedam papulae subito exortae fuerunt, quae tandem sua sponte ruptae sunt summis cum doloribus, relictis quoque adhuc manifestis sui signis atque*

 vestigiis.

vestigiis. In collo vero perpetuo habet ingentem durumque tumorem, qui ipse ex multis paruis tuberculis compositus esse videtur; semper vero in eodem statu permanet. Ante mensem quidem iste apertus fuit; sed materia lenta nimis ac tenaci intus oppletus, nec resolui potuit, nec emolliri, vt pus nempe liquidum et attenuatum effluerет. Denique in dextro pede, a longo iam tempore, vetus vlcus sua sponte ipsi subnatum fuit, quod nunc siccum est, nunc humidum, nunc apertum, nunc vero rursus occlusum: quo facto, peius semper habent oculi; aperto vero et fluente, aliquanto melius, aut tolerabilius. Haec quidem ille. Ego autem ex cunctis his symptomatibus deterrimis, ceu totidem diris ominibus, augurium merito cepi tristissimum, candideque statim atque aperte rescripsi fratri illi moestissimo, me quidem istius ineluctabilis mali caussam melius nosse, quam curam: omnia enim iam conclamata videri, et longiore temporis tractu malum ipsum omni arte humana potentius esse factum. Interim tamen ipsi quaedam indicaui blanda remedia paregorica et mitigatoria, quae si ipsum illum atrocissimum affectum haud plane tollerent, quod nempe vix vnquam sperandum esset; eundem tamen aliquantisper lenirent et tolerabiliorem redderent. Quid vero interea factum aut effectum fuerit, de eo quidem nihil certi mihi amplius constitit. Sed reuertamur iam ad ipsam illam GOCKELII *Historiam* superius propositam, nondum vero satis explicatam aut illustratam.

§. XXVII. Illis igitur supra commemoratis, statim, ibidem, Auctor ipsius cadaueris inspectionem ac sectionem, a se ipso diligenter administratam, subiungit: in quo omnia paene viscera et intestina tabe taboque corrupta ac consumta inuenta fuerunt. His mox ipsam medendi methodum subnectit, in qua tamen ad solam Cacochymiam corrigendam, Tumoremque ipsum exinde, vt ipse quidem putat, enatum, vel discutiendum, vel maturandum, respicit; sed praeterita plane, quod mirum, ipsa venae sectione, hic tamen ante omnia, maxime necessaria: Ceterum parum, vt videtur, solicitus de Menstruis suppressis, confestim, quantum pote, reducendis; quibus tamen ipsam istius Cacochymiae, diraeque calamitatis exinde obortae, originem recte adiudicat. Ex illis enim potissimum, ceu primo fonte ac fomite, exitiosam

exitiofam iftam cladem, quae tandem per tumidum vlcerofumque inguen foede erupit, deriuandam effe; facile nunc fpero, intelligent omnes, qui hactenus a nobis difputata cum cura, perlegere haud dedignati fuerint.

§. XXVIII. Quare exinde liquido iam patet, in hoc quidem lugubri cafu, miferandae illi puellae ifta quidem medicatione chirurgica externa peffime confultum fuiffe. Quod fi enim mox ab initio, vt nobis certe videtur, dolenti ifti claudicantique pedi dextro, in quem nempe Menfis fubito fuppreffi, primum impetum fecerant, larga inprimis Venae fectione, auxilium allatum, blandioribusque fimul Remediis, iam fupra laudatis, ad menftrua reuocanda commodis, Naturae laboranti et exitum acriter molienti fuccurfum in tempore, fuiffet: Tum, vt perquam probabile videtur, ille forfan in inguine Tumor vel plane non ortus fuiffet, vel, fi etiam exfurrexiffet, tamen fortaffis fua fponte, prouidae Naturae beneficio, rurfus euanuiffet.

§. XXIX. Quae quum ita fint, nos hinc, nifi fallimur, aliquam forfan gratiam ab aequis placidisque rerum medicarum ac chirurgicarum aeftimatoribus inituros, fere confidimus: quod hoc quidem Argumentum haud exigui profecto momenti, *de Tumoribus a Menfium fuppreffione obortis*, paullo diligentius hactenus pertractauimus: praefertim, quum id ipfum, vt fupra iam monitum, nefcio quare, neglectum nimis et intractatum hucvfque relictum fuerit cum ab iis fcriptoribus, qui *de Virginum Mulierumque Morbis*, tum etiam ab illis, qui *de omnis generis Tumoribus*, vaftos quoque commentarios condiderunt. Quum tamen falutis, quin et ipfius adeo Vitae venuftioris fexus, quam maxime interfit, hos quidem Tumores frequenter obuios, ob fummum periculum, exinde metuendum, non rudi quafi brachio, temere contrectaffe, fed potius, prudentiffima cum circumfpectione, ac fufpenfa, et oculata veluti manu, blandiffime attigiffe.



DISSERTATIO MEDICA OCTAVA.

DE TABACI PTARMICI ABVSV CEV ATROCIS AFFECTVS VENTRICVLI ALIORVMQVE MORBORVM CAVSSA.

PROOEMIVM.

Quum nuper e diariis publicis innotuiſſet, per omnem Hiſpaniam grauiſſimo Edicto regio de d. 17 Dec. anni proxime elapſi 1760. interdictum fuiſſe omnem Tabaci illius ptarmici, vulgo *Rappé* dicti, vſum, ſine vllius perſonae aut dignitatis reſpectu vel diſtinctione, et quidem ſub certiſſima poena irreparabilis iacturae omnium munerum, dignitatum et honorum: Multi tum fuerunt nimii illius pulueris ptarmici amatores, qui perquam indigne ferrent, et vehementer dolerent, quod tam laetum iucundumque ſcilicet pabulum naribus auidis et hiantibus ſubtractum eſſet. Mihi vero contra mirum in modum placebat iſtud prudentiſſimum maximi regis conſilium et iudicium: licet enim nec tam curioſus, nec tam temerarius ſim, vt in ipſas huius mandati regii cauſſas inquiram, ſiue eae ſint politicae, ſiue oeconomicae, ſiue ethicae, ſiue denique aliae, nobis prorſus abſconditae: quid enim hoc ad me, aut quemuis alium meae ſortis ac conditionis? iuſtiſſimas tamen atque aequiſſimas illas omnino eſſe, vt certiſſime credamus, ſuadet profecto, immo imperat, potentiſſimi et ſapientiſſimi illius Regis per vtrumque, qua patet, orbem habitabilem celebratiſſima prudentia, aequitas et iuſtitia. Mihi certe, ceu medico, nihil vmquam iuſtius et in vniuerſam humanam gentem ſalutarius viſum fuit eo ipſo interdicto regio, prudentiſſime ſcilicet, ſimulque opportuniſſime promulgato, ad tollendum tandem Tabaci illius ſternutatorii vulgo, ſed non bene, ſic dicti abuſum, cum tot ſanitatis, quin et ſaepius vitae ipſius, periculis coniunctum, adeo, vt publicae ſalutis cauſſa, mecum tacite optarem, vt eſſent plures, e potentiorum numero, qui laudatiſſimum hoc regis incomparabilis exemplum ſedulo imitarentur; quod et eodem anno, immo et eodem menſe iamiam factum fuiſſe a Sereniſſimo Daniae Re-

ge,

ge, illo inquam Rege, *cui pudor, et iustitiae soror, incorrupta fides, nudaque veritas, quando vllum inuenient parem?* ex ephemeridibus publicis nuperrime nobis gaudentibus et gratulantibus innotescere coepit.

Quae quum mecum aliquanto diligentius considerarem; tum protinus recurrebant memoriae meae varia funesta exempla, quae ex abusu pulueris illius ptarmici ortum duxissent, interque ea, illud potissimum memorabile nobis videbatur, quod iamiam, ceu ipse testis oculatus, atque hinc omni fide haud dubie dignus, candide enarraturus, ac deinde vberius illustraturus sum; tanquam argumentum, nec a nostro instituto, nec ab ipso hoc tempore prorsus alienum, quo publicata scilicet fuerunt sapientissima illa mandata vtriusque maximorum istorum Regum, in rarissimum praesentis saeculi exemplum, et perpetuam admirationem, natorum.

HISTORIA MORBI.

Vir quidam splendidi muneris, splendidaeque vitae, *Comis blandusque et mensa commodus vncta*, vt Poëta ait, ingenii amoeni atque liberalis, temperamenti, vt videbatur, cholerico sanguinei, lati pectoris, et obesioris corporis, aetatis XLVI annorum, notissimi illius pulueris ptarmici Hispanici frequentissimo vsui, siue rectius abusui, eo vsque, insanum, adsuefactus erat, vt non solum per singulas fere diei horas, ingentem illius copiam naribus hiantibus auidissime ingereret, totusque quasi nasus hinc fieri optaret; sed et insuper thecam nitidam, foedo eiusmodi puluere foetam semper prope lectum collocatam haberet, ne scilicet per longa noctis concubiae spatia, quoties euigilaret, quod nempe saepius accidebat, gulosus quasi nasus vilissimo illo putidoque pabulo defraudaretur. Nimirum sic haud multum absimilis illi immodico Tabaci amatori, qui teste MAGNENO autopta *), tantam huius pulueris copiam absumebat, vt die vnico, vncias tres integras, heu! quanta dementia! naso suo luxurioso perderet. Quum igitur prauae huic consuetudini ita per complures annos, impune indulsisset, nihilque prorsus damni exinde reportasset; factum

*) *Exercitat.* VIII. *de Tabaco, pag.* 105.

demum est, sine vlla praeuia caussa, vt anno CIↃIↃCCXXVIII. pristinus ille robustae sanitatis status subito concuteretur, omniaque huc vsque placida et tranquilla, inuerso confestim rerum ordine, mirum in modum conturbarentur. Namque ille mox languorem insolitum contrahere, sensim macrescere, corpus amittere, longa ciborum fastidia perferre, omniaque ingesta, siue calida, siue frigida; mox cum fluenti nausea, reuomere, insignem ventriculi dolorem et ardorem perpetuo persentiscere, fauces arescere, et sitire, spiritum difficilem et suspiriosum per noctem praesertim, moleste ducere, nunc subito incalescere, nunc rursus refrigescere, impeditius lotii retenti iter habere, aluo adstrictiori laborare, noctes inquietas et insomnes ducere, et, quod maxime mirandum, ad illum ipsum puluerem ptarmicum, antea nimis adamatum, nunc vehementissime nauseare. Quae sane dira symptomata cuncta aperte denunciabant, omnia hic quidem intuta prorsus, atque in summo praecipitique discrimine esse constituta.

Varii ergo vndiquaque acciti Medici, super hoc ambiguo admodum et obscuro casu, pro virili, consultaturi, complicatoque huic ac numeroso quasi malo fortiter obuiam ituri, nihil quidquam quidem intermiserunt, quo morbum hunc incognitum, pertinacem, vincique et expugnari prorsus indocilem, valentissimis remediis strenue subigerent atque fugarent: Verum omnia incassum, infructuosa plane opera, et Victoria quasi nullos habitura triumphos: Nulla enim solatia roganti aegroto ferre poterant, quod nulla promta contumacis mali medicina reperiretur.

Tandem illi nimiae lentitudinis merito pertaesi, omnique splendide mendaci apparatui medicamentario iure diffisi, consociatis amice sententiis, cuncti consilium inibant, de leni quodam remedio emetico, huic quidem aegro, in summas iam angustias redacto, quam celerrime propinando. Coniiciebant enim non sine speciosa ratione grauique caussa, quod ipse mali inexpugnabilis fomes in ipsis, quod dicitur, primis viis, siue ventriculi regione haereret, atque hinc immisso opportune vomitorio, omnium commodissime expurgari posset.

Igitur ſine vlla amplius mora aegroto dabatur modica Radicis Americanae Ipecacuanhae dictae, doſis, vna cum binis tantum granis Tartari emetici mitioris MYNSICHTI, remixta: vtque niſus euomenlis eo facilius adiuuaretur, mox ſuperbibenda porrigebatur aqua tepida, cui herba cardui benedicti intabuerat. Vnde mox ſex ſeptemue faciles commodaeque vomitiones ſenſim inſequutae: quibus primo, plurimum inutilis humoris ſordidaeque ſuburrae commoto ventriculo egeſtum fuit, donec tandem ſub finem ſuccederet materia quaedam peregrina, lenta, tenax, obſcura et ex rubro fuſca: quam pelui capaci exceptam trepidantes pallentesque inſolito quaſi miraculo, ſedulo inſpiciebant verſabantque medici, credentes nempe, ſanguinem id eſſe, vaſis ruptis effuſum, atque in grumos viſcidos coactum; hincque mox forte ipſum aegrotum ſupremum vitae diſcrimen incurſurum: qualem nempe vomitum rubrum liuidumque letalem eſſe, pronunciat ipſe HIPPOCRATES, in *Coac. praenot. pag.* 578. *Tom.* I. *Opp.* LINDEN.

At ille contra, vomitione peracta, in deſuetum diu ſomnum ſenſim delabi, tandem aliquot poſt, horis, refocillatis iam viribus, euigilare, cibi potusque quid auide expoſcere, atque ſubpingue iuſculum pulli gallinacei ſubacidulum, ac liberaliorem Vini generoſioris rubelli hauſtum ſine nauſea, nunc primum aſſumere, et ſine Vomitu ructuque Ventriculo iam pacato et ad ingenium priſtinum placide reducto, tenaciter continere.

Ceterum ex Maſſa illa inſolita fuſca, vomitu poſtremum reiecta, poſtquam abſumto ſenſim humore circumfluo, radiis ſolaribus expoſita, inaruiſſet, liquido deinde ſtupentibus cunctis praeſentibus et viſentibus, apparuit, merum illam fuiſſe puluerem ptarmicum Hiſpanicum, per tot nempe annos, ingenti copia temere ingeſtum, qui, quum errore viarum, obſtructis ſcilicet foeda Tabaci colluuie, ipſis naribus, per gulam, in ipſum ventriculum ſenſim delatus fuiſſet, ibique eius rugoſis plicis altius tenaciusque impactus inhaeſiſſet, tot deinde lacrymoſas tragoedias excitaſſet, tantamque diuerſorum morborum atque ſymptomatum cateruam produxiſſet.

Quo

Quo intellecto, aegrotus ille, nunc ſanitati priſtinae ſubito redditus, et recollectis ſubinde viribus, quotidie valentior factus, tantum mox taedium odiumque, plus quam Vatinianum, merito concepit aduerſus illum ſubdolum ac pernicioſum puluerem ſordidum, omnium hucuſque dolorum ſuorum cauſſam, vt ex eo quidem tempore, ipſius vſui plane renunciaret, nunquam per vitam ſuam, amplius paſſus, vt Natura iam *fixa* et mutari neſcia, ad mores antea damnatos, recurreret; atque deinde inoffenſſa inpoſterum ſanitate, per xv. adhuc annos, prouiueret, donec tandem, exacto illo inter permiſſa vitae intaminatae gaudia tempore, cunctis ſuis amicis moerentibus et altum ingementibus, repentina apoplexia inopinato e viuis raperetur.

Quae ſingularis triſtisque Hiſtoria, quum iam dudum, ante hos xiv. annos, inſerta publice legeretur poëmati noſtro vernaculo, contra nociuum Nicotianae ptarmicae abuſum directo, quod totum quidem huc ſpectat *), tanto ſubito terrore, ex iuſto futuri periculi metu oborto, molliores lectorum attentiorum animos ita paſſim perculit, vt multi multaeque lutulento illi oblectamento nimium adhuc dediti, nunc demum ſero quaſi pudore ſuffuſi, ſenſim reſipiſcerent, meliorem mentem induerent, naſosque ſuos innocuos, tot indigniſſimis modis, per omnes fere horas, praeter meritum, aut neceſſitatem, miſere diuexatos, et puluere indecoro ſordidos, ab acribus illis inſidioſis que irritamentis puluerulentis ſolicite retraherent.

Quos

*) Vid. *Poemat. noſtr. Tom.* IV. *Anno* 1747. *pag.* 429. *ſqq.* et praecipue, *p.* 435. vbi haec ipſa noſtra Hiſtoria, etſi ratione metri arctioris, paucis tantum, relata legitur. Quod tamen poema noſtrum, multis licet magnis, illuſtribus ac prudentiſſimis Viris perquam gratum et laudatum ceu planum nimis, humile ac languidum, diſplicuit nuper Medico illi, nimium nobis eheu! inclementi, qui *Medicum* ſic dictum, vernacula lingua, per hebdomadas, ſcribit, ceu notum. Sed omnium quidem rectius ſentientium iudicio, praeſtat, omnino, poemata plana, facilia et perſpicua componere, quae proſunt ſimul ac delectant; quam, quod ipſe ille ſuperbus cenſor ibidem, facit, pulueres neſcio quos nouos, arcanos, polychreſtos, imo, ſi dis placet, panchreſtos, leui credulaeque plebeculae, lucri forſan gratia, nimis alte calideque, minus autem callide, aut decenter, commendare, qui tamen forte nec multum proſunt, nec quemquam oblectant, niſi ſolum ipſum illorum beatum inuentorem ac compoſitorem, qui vberrimam nempe aureamque meſſem capit ex ſterili illo puluere. Sed haec obiter, ne nimis nempe ſapiat ille.

Quos inter Comitis cuiusdam coniux, omnibus ſui ſexus virtutibus ornatiſſima, inprimis mihi ingenue ſua ſponte confeſſa fuit, perlecta hac ipſa in iſto carmine monitorio, hiſtoria, pleniusque exinde intellecto ſummo illo periculo, ſanitati, vitaeque ipſi ex illius quidem pulueris errhini abuſu, iure metuendo, ſeſe extemplo tantum horrorem atque faſtidium concepiſſe, vt abiecta mox fortiter pretioſa ſua theca pulueraria, omnem ſimul voluptatem deſideriumque pulueris iſtius nimium conſueti, in poſterum ſumendi, pertinaciter abiecerit, atque ex eo certe temporis puncto, ne vnum quidem illius granum naribus tam ſubitae mutationis inſolentioribus, amplius indiderit.

Quod perquam illuſtre exemplum protinus aliae ſplendidioris fortunae matronae laudatiſſimo incitamento, ita ſequutae ſunt, vt hoc epidemicum quaſi naſorum prurientium cacoethes pariter generoſo contemtu deteſtarentur.

ILLVSTRATIO HISTORIAE CVM EPICRISI.

§. I.

Errhina *), ſiue *ptarmica*, Latine vulgo, ſed minus Latine, *ſternutatoria* dicta, ea ſunt Medicamenta externa, acria plerumque, penetrabilia et odore fragrantiori et ſubtiliori praedita, ceu notum vbiuis, quae naribus indita, irritando ſcilicet et nonnihil contrahendo tunicam illam, ſeu membranam pituitariam notiſſimam, a SCHNEIDERO quondam noſtro accuratiſſime deſcriptam, per nares intus extenſam, ſternutamenta euocant, caput grauatum leuant, pituitam lentam incidunt, attenuant et educunt, mucumque tenaciter impactum fortiter excutiunt,

*) Emendandus hic obiter MATTH. SILVATICVS, in *Pandect. Med.* Opere vtili quidem; ſed ſimul deprauatiſſimo, et hinc ad inſtar Augiae ſtabuli, labore plusquam Herculeo, expurgando. Ita igitur ille, fol. 146. b. *Rhin, graece naris, naſus, inde* Erimon, *caputpurgium, quod per nares iniicitur.* Nempe ibi, pro monſtroſo, *Erimon*, legendum haud dubie, *Errhinon*, graece ἔῤῥινον. Et ſic quoque fol. 77. b. fol. 77. b. ſcribendum pro corrupto *Enerimon.* Vid. et fol. 110. b. et add. CANGII *Gloſſar. Graeco Barb.* pag. 436.

excutiunt, et alia multa praeſtant auxilia in morbis praeſertim grauedinoſis, vt Catarrho, Coryza, et eiuſdem generis aliis. Inde ea *adiutoria ptarmica* perquam eleganter et ſignificanter vocauit THEODORVS PRISCIANVS, *Lib.* II. *c.* 3. et alibi. Conf. HIPPOCRAT. de *Affect. pag.* 162. *Tom.* II. et *Lib.* II. *praedict. pag.* 515. *Tom.* I.

§. II. Hinc in cephalalgia, ſphaceliſmo cerebri, vertigine, ſtupore ſenſuum, affectibus ſoporoſis, vt lethargo, caro, comate a), item apoplexia, ſuffocatione, lipothymia, ſingultu, tetano, et opiſthotono, ſpaſmo cynico, paralyſi, gutta ſerena, certis tamen ſub conditionibus, quibuſdam aurium vitiis, paſſione hyſterica, partu difficili, foetu intus emortuo exturbando, ſecundis tenaciter nimis vtero affixis, et aegre hinc ſequacibus, expellendis b), aliisque grauioribus morbis, tempore nempe neceſſitatis, et vrgentis maxime periculi, commodiſſime adhibentur. Conf. huc inprimis HIPPOCRATIS *Lib.* III. *de Morb. pag.* 98. item *pag.* 104. et paſſim in *ſqq.*

§. III.

a) Sic apud HIPPOCRATEM, *Lib.* VII. *Epidem. pag.* 847. Olympiade vxori, praematurae puerperae, aderat ὕπνος κωματώδης, *ſomnus ſoporoſus*, qui tamen πταρμικῷ ὑπήκουσε, *remedio ptarmico auſcultabat*, quamuis ſine fauſto ſperatae ſalutis euentu. Nempe Κωματώδης, ibi legendum; non καυματώδης, vt in vulgatis eſt Libris. Simile mendum occurrit quoque in *Coac. praenot. pag.* 537. Καυματώδεα, μεμωρωμένα, vbi ſcilicet pariter legengum κωματώδεα, vt ex antecedentibus patet. Sed vbique fere in Vett. MStis Codd. HIPP. quos diligenter olim verſauimus, confunduntur κωματώδης, καυματώδης, et κατατώδης. Quod etiam ſua aetate, ipſe obſeruauit GALENVS, vt ex ipſo probat CLERICVS, *Arte Crit. Vol.* II. *part.* III. *ſect.* I. *cap.* 8. *pag.* 103. Vid. et FOES. *Oeconomia Hippocr.* Inde iudicio medico opus eſt, ad haec probe, dignoſcenda, et cuicunque loco dubio et deprauato conuenienter reddenda; ſed haec obiter. Ceterum, ſicut tempeſtiuus ptarmicorum vſus lethargum, inter alia remedia commoda, quandoque abigere valet; ita contra, intempeſtiuus eorundem abuſus eum ipſum ſaepius inferre poteſt, vt infra monebitur.

b) Memorabilis hanc in rem, Locus extat apud HIPPOCRATEM; *Aphor.* 49. *Sect.* V. ἐς ὑστερέων ἐκπτώσιας, πταρμικὸν προστιθεὶς, ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα: *Vt ſecundae excidant, remedio ptarmico adhibito, nares et os apprehendito.* (*Vt ſcilicet, ſic, compreſſis naribus et ore, ſonus ſternutationis tanto difficilius foras prorumpere poſſit; quin potius, ita vi quaſi repreſſus, et ſubito retro actus, ipſa interiora maiore impetu ſuccutere valeat:* quae vera huius breuioris loci ſententia: recte ſic in *paraphraſi graeca*, monente PHILOTHEO, Vid. MAVRIC. CORDAEI *Comment.* 4. in I. HIPP. *Lib de Morb. Mul pag.* 633. apud SPACH. *Gynaecior.* add. inprimis PAVLLINI *Obſ. med.* XII.

§. III. Mirum ergo, immo, vt verum fatear, perquam ridiculum mihi ſemper viſum fuit, illa ipſa remedia ptarmica, quae inter folia Nicotianae in ſubtiliſſimum puluerem redacta, familiam quaſi et principatum ducunt, adhiberi quoque more, aut vitio rectius, ſaeculi, frequentiſſime, praeter vllum vſum, aut neceſſitatem, voluptatis tantum ac conſuetudinis cauſſa, ad tempus quaſi fallendum, non ſingulis hebdomadibus, aut menſibus, vel diebus; ſed ſingulis potius horis, quin immo, ſingulis adeo horarum momentis.

§. IV. Sicut autem inauditum hucuſque fuit, adhibita eſſe hunc nimirum in modum, voluptatis tantum atque conſuetudinis ſolius gratia per ſingulas horas, a quoquam mortalium, alia etiam remedia, v. g. purgantia, vomitoria, ſudorifera, anthelmintica, hydragoga, cephalica, aut ſimilia, vel pilulas aut clyſmata ſingulis horarum interuallis, in vſum aduocata fuiſſe: Ita tanto magis profecto mirandum, qui factum tandem fuerit, vt ſoli pulueres ptarmici in tantum praecipue abuſum cederent, vt non pro medicamento, quale tamen reuera ſunt, et qui-

Ff 2 dem

Cent. I. *pag.* 16. *ſqq.*) Conf. eiusdem HIPPOCR. *Lib.* I. *de Morb. Mul. p.* 481. et *Lib.* II. *pag.* 575. item II. *Epidem. pag.* 708. *et* CELS. *Lib.* II. *cap.* 8. *pag.* 69. Vt et ARETAEI *Lib.* II. *de Morb. acut. Curat. cap.* 10. *pag.* 112. Quem ſingularem HIPP. locum eum potiſſimum in finem, hic producimus, vt inde lux ac medela affulgeat loco cuidam HESYCHII hactenus obſcuriſſimo et deprauatiſſimo. Sic enim ille *pag.* 133. ἀποφθαράξασθαι, τὸ τοῖς μυκ]ῆρσιν. εἰς τὸ ἔξω ἦχον προέσθαι Quae ſane adeo vſque altiſſimis tenebris immerſa ſunt, vt nemo ea intelligere poſſit, etiam ſi centum forſan μυκτῆρας vel acutiſſimos, vt ita dicam, attulerit. Legendum autem, vt mihi paene certiſſime videtur, Ἀποφράξασθαι, τὸ τοῖς μυκτῆρσιν ἐπιλαμβάνειν, ὡς τὸ μὴ ἔξω ἦχον προέσθαι, h. e. Ἀποφράξασθαι *dicitur, quando nares apprehenduntur, vt ita iis compreſſis, ſonus ſternutamenti prorumpere haud poſſit:* ſenſu nunc liquidiſſimo et manifeſtiſſimo: Mihi enim vix dubium, quin HESYCHIVS ad hunc ipſum HIPP. locum potiſſimum reſpexerit: inde et ex eodem addidi τὸ ἐπιλαμβάνειν, quod alias tamen etiam omitti poſſet, ſi nempe repetatur τὸ ἀποφράξασθαι poſt μυκτῆρσιν, vt ſcil. HESYCHIO ſolenne. Conf. autem huc CLEMENT. ALEXANDR *Paedagog. Lib.* II. *cap.* 7. *pag.* 174: vnde ipſe HESYCHIVS haud parum illuſtrari poterit, qui tamen etiam ſeſe ipſe infra quaſi explicat in ἐπιπτάρνυμαι, μετακαλῶ, κατέχω, ἐπισχετικὸν γὰρ ὁ πταρμὸς πολλάκις: ſed haec obiter. Ceterum neſcio, quid ad hunc corruptiſſimum HESYCHII locum obſeruauerit Cel. ALBERTI in noua ſua ſplendida eiusdem Editione, quae noſtris quoque obſeruationibus, ſi non melior; tamen auctior et ſpiſſior, facta fuit: Ea enim iam non erat ad manum.

dem fortiſſimum et valentiſſimum c); ſed potius peruerſo ſaeculi more pro mero voluptatis, otii et conſuetudinis inſtrumento, praepoſtere haberentur: quaſi vero minus nocerent, ac iſta ſuperius allegata; ſi nempe intempeſtiue, et praeter vllam neceſſitatem, adhiberentur, quum tamen ipſi ſenſuum officinae, cuius prominens nempe pars ipſae nares ſunt, temere ingerantur, et inde tanto maiora et certiora damna ſanitati, quin etiam vitae adeo inferre poſſint, et re ipſa frequentiſſime inferre ſoleant, vt ex mox dicendis luculentius aliquanto patebit.

§. V. Audiamus igitur hic potiſſimum HOFFMANNVM noſtrum, HOFFMANNVM, inquam, qui in ſe vno, rariſſima quidem felicitate, coniunxit Anglorum SYDENHAMVM, Belgarum BOERHAAVIVM et Gallorum BALLONIVM; Is ergo vir nunquam ſine cura, nunquam ſine laude, dicendus, ita non minus vere et ſeuere, quam facete, pronunciat, grauiterque monet in Diſſertat. eximia plane, quae tota huc ſpectat, et legi omnino ac conferri meretur, *de vſu et abuſu puluerum ſternutatoriorum*, his quidem verbis d): *Tanta iam increuit intemperies, non dicam veſania, nonnullorum, vt mira conſuetudine, vel imitatione, et auctoritate aliorum inducti, tali puluere ſternutatorio nares perpetuo vexare*

c) Inde ipſe HIPPOCRATES ſemper fere τὰ πταρμικὰ quaſi κατ᾽ ἐξοχὴν, vocat φάρμακα, vt *Lib.* II. *de Morb. p.* 72. et *pag.* 89. et in ſeqq. ſaepiſſime, item *de Intern. Affect. pag.* 209. et ſic fere vbique. Quo et inprimis ſequens locus ſpectat *Lib. de* Loc. *in Hom. pag.* 374. χρὴ τὸ φλέγμα τὸ συμπεπηγὸς τῶν ῥινῶν λεπτύνειν φαρμάκῳ, *oportet compactam Narium pituitam attenuare Remedio*, ſcilicet *ptarmico*. Τὰ πταρμικὰ igitur reuera ſunt φάρμακα, non χάρματα, ſeu oblectamenta, aut voluptatum irritamenta: vnde eorum abuſus voluptarius tanto pernicioſior merito cenſendus.

d) *Opp. Med.* Geneu. 1749. *Supplement. Part.* II. *p.* 69. 72. et *p.* 75. ſed vid. totam iſtam diſſert. laudatiſſimam; quam omnem hic exſcribere nec licet, nec etiam libet; ſi liceret. Similem quoque eiusdem argumenti Diſſertationem, de *ſternutatoriorum vſu et abuſu*, edidit IVSTVS VESTI, Erford. 1696. item aliam Cl. FAGON, *de noxis Tabaci ptarmici*, quae annexa eſt Tractatui Cl. ANDRY, *de Generat. Vermium*, vbi plura, quae huc maxime ſpectant. Quibus potiſſimum add. PECHLINI *Obſ. med.* 10. *Lib.* III. *pag.* 413. STALPART. *van der* WIEL, *Obſ. med.* X. *Cent.* I. *pag.* 46. *ſqq.* EVTH, *Anat. Vmbilici, pag.* 68. NIC. CHESNEAV, *Obſ. med.* XII. *Lib.* I. *pag.* 50. *ſq.* RIEDLINI *Cur. med.* 473. *Centur.* V. *pag.* 284 et praeſertim magni noſtri BOHNII, *de offic. Medici, part.* I. *cap.* IX. *pag.* 200. item MAGNENI Exercitat. VIII. *de Tabaco, pag.* 104. *ſqq.*

vexare et irritare videantur, vt etiam inter mutua colloquia, conuentus, ac coenam, deesse aliquid humanitatis credatur; nisi quis pyxidem suam, qua seruari puluis ille solet, singulari officio, et inseruiendi, eius sanitati, studio, alteri offerat, ad muci officinam purgandam: et ibidem, nonnullis interiectis: *Factum est, vt Tabacomania iam multi laborent, et ipsa consuetudo talem pulverem fecerit paene cum aere necessarium, qui tamen plerisque inutilis et superfluus, imo noxius est:* denique in sequentibus ibidem: *Tantus hodierno tempore, pulueris sternutatorii est abusus, vt vix quemquam videas, qui etiam moratioribus et prudentioribus accenseri gestit, qui ne minimo quidem temporis interuallo, carere possit eiusmodi puluerum inspiratione, et non refertam hisce pyxidem semper pera sua circumferat, quo breuissimis interuallis, semper nares replet, et aliis etiam vrbanitatis caussa, offert. De tali autem perversa consuetudine nihil boni expectari posse, facile quiuis agnoscet:* vbi vid. sequentia plura. Tandem etiam alio loco [e]): *Nostris temporibus, vti fumi Tabaci; ita etiam pulueris pro sternutatione, luxurians abusus maxime invaluit, valetudini minus conducibilis. Etenim iugi hoc puluerum attractu, non modo odoratus, propter obstructas et quasi induratas inde papillas nerueas membranarum, quae ossa squamosa et nares inuestiunt, laeditur; sed et ob nimium infarctum, ab allecto humore, clara vox raucescit.* Hactenus quidem HOFFMANNVS, cuius profecto auctoritas, vbique inter rationales medicos merito recepta, et debita veneratione, hoc est, summa, culta et veluti consecrata, multum, immo plurimum, vt certo confidimus, omnino valebit ad firmandam roborandamque ipsam nostram sententiam, praesertim quum non ipse solum hic loquatur; sed ipsa potius natura per illum, adeo vt statim quiuis erectioris indolis et sanioris iudicii manus victas dare cogatur.

 §. VI.

e) *Med. Rat. Systemat. Tom.* III. *Sect.* II. *cap.* 5. in Opp. iunctim Geneuae editis, *Tom.* I. *pag.* 442. Quo et illud spectat GVIL. PISONIS, *Hist. Nat. et Med. vtriusque Indiae, Lib.* IV. *cap.* 43. *pag.* 206. *Folia Tabaci exsiccata in abusus et delicias applicarunt: Ita, vt nunc tanquam hibernus flatus, fumus et abusus Tabaci vniuersum Orbem infecerit.* Sed omitto nunc studio, alia plura, apud laudatos modo Auctores, non sine seuera iustaque indignatione et exprobatione, passim, cum fructu, legenda: praesertim autem apud citandum mox IACOBVM TAPPIVM, in *Oratione, de Tabaco, eiusque hodierno abusu.* Conf. COHAVS. *de Pica Nasi, pag.* 104. *sqq.* et MAGNENI *Exercitat.* VIII. *de Tabaco, p.* 104. *sqq.*

§. VI. Sed iam dudum ante hunc ipſum virum ſummum non defuere alii, bene multi, qui huic naſcenti tum ſenſimque inualeſcenti prauae ſaeculi peruerſi conſuetudini ſeſe ſtrenue opponerent; inter quos potiſſimum eminens nouus ille Romanae fidicen Lyrae, IACOBVS BALDE,[f]) et illo carminis elegantia haud minor, PETRVS SCRIVERIVS[g]), item ex medicis, MAGNENVS, IO. NEANDER, SIMON PAVLLI, TAPPIVS, CASP. HOFFMANNVS, PAVWIVS, FALCOBVRGIVS, KERCKRINGIVS, HARDERVS, SCHROVERVS, ALBINVS, aliique plures, qui de vſu atque abuſu Tabaci diligentiſſime commentati fuerunt, et partim iuſtos libros, partim et breuiores diſſertationes de hoc nobili notabilique argumento, nouoque quaſi Naſorum morbo, luci publicae expoſuerunt, quorum ampliſſimum catalogum poſt MERCKLINVM [h]), exhibuit diligentiſſimus ZORNIVS [i]), vt iam taceam, quae ipſi quondam de iiſdem auctoribus variis ſtrictim obſeruaueramus [k]).

§. VII. Nemo tamen, quod equidem ſciam, hac noſtra praeſertim aetate acrius inſurrexit contra hoc inſanabile paene ſaeculi luxuriantis cacoethes, quam medicus ille eleganter doctus, ingenioſus, ioco nonnihil mordente facetus, et ſalibus vehemens, IO. HENR. COHAVSEN, practicus, dum viueret, feliciſſimus celeberrimusque, et ſimul, ceu ex lepido ipſius libello vernaculo, de vera et tuta dyſenteriae curatione, patet, fautor et amicus noſter ſingularis: qui nempe, vti emunctae

naris,

f) In amoeniſſima nempe *Satyra contra Abuſum Tabaci*, quae extat *Tom.* III. ipſius *Opp. poet. pag.* 177. *ſqq.* vbi lepidi inprimis et acuti iſti quidem verſiculi:

Quid ſtupeas? nullo teneri diſcrimine ſexus
Sumitur haec crambe. Sumit Chriſtilla Trebati,
Sumit Barſennae Laurentia, ſumit Aſella,
Sumunt Fabullae ſoror vtraque, et vtraque neptis.

Et quae ibi ſequuntur in hunc ſenſum plura, lectu iucunda, quae inde opportune repetit COHAVSEN, *de Pica Naſi, part.* I. *pag.* 29. *ſqq.*

g) Hic multa variaque *Epigrammata* acutiſſima in *Abuſum Tabaci*, conſcripſit, quae cum voluptate leguntur, in ipſius *Anecdot. poet. pag.* 406. *ſqq.*

h) In *Lindenio Renouato*, *de Scriptis Med.*

i) In *Botanologia*, Opere laborioſiſſimo.

k) In *Poemat. noſtr. Tom.* III. *p.* 125. et 126. et *Tom.* IV. *pag.* 432. *ſqq.* item in *Theſauro pharm. vniuerſal. Tom.* I. *p.* 126. *ſeqq.* per quam copioſe.

naris homo, contra Nafos illos, nimio Tabaci amore flagrantes, atque inde fere contabefcentes, ftili quafi nafum liberrime condidit, editis eum in finem, binis facetiffimis iuxta et vtiliffimis Libellis fatyricis [l]), quibus illas obefas nimis et indecoro puluere fordidas nares, fale acutiffimo, immo, vt rectius dicam, Helleboro quafi acerrimo defricuit, docendo fimul grauiffime veriffimeque, quantas noxas quantaque pericula damnofa illa ac iure hinc damnanda voluptas frequentiffime induxerit.

§. VIII. Neque fane id mirum: fida enim certaque experientia abunde conftat, puluerem illum ptarmicum, praefertim autem fic dictum Hifpanicum, non externis folum corporis humani fenfibus, velut vifui, olfactui, guftui, atque etiam loquelae plurimum officere, indeque oculos flammeo rubore, faciem lurido pallore, et ipfas denique nares foedo paedore fuffundere: fed et, quod longe adhuc deterius, obturatis immunda ipfius illuuie, anguftis nafi oppleti meatibus, deuio errore, propter volatilem fuam leuitatem, vel ipfa interiora petere, atque inde per vtramque illam fiftulam, per quam et fpiritus et cibus potusque ferri folet, in ipfos adeo pulmones, atque finuofos ventriculi receffus fenfim delabi, ibique tenacius impactum, atrociffima fymptomata, variosque morbos longos, lentos, tabificos et fere immedicabiles, progenerare: quod inter alia plura, mox diftinctius enarranda, luculentius patet ex hiftoria illa noftra fingulari, fuperius propofita, quae nobis commodum praebuit fcribendi argumentum.

§. IX. Quo et inprimis pertinet rarus ille memorabilisque cafus, in *Actis Eruditorum* [m]), vberius enarratus, de immodico nimis immodeftoque

l) Prioris nempe Titulus eft ingeniofus: *de Pica Nafi,* alterius autem: *Raptus ecftaticus in montem Parnaffum, in eoque vifus Satyrorum Lufus cum Nafis Tabacophoris, fiue Satyricon Nouum Phyfico-Medico Morale in hodiernum Tabaci fternutatorii abufum.* Amftelod. 1726. qui bini lepidiffimi Libelli adeo fecunda quidem fata habuerunt, vt non folum faepius recuderentur; fed et, praefertim prior *de Pica Nafi,* in varias Linguas, vt Gallicam, Anglicam, Belgicam et Germanicam aliasque e latino idiomate fuo transferrentur. Conf. *Poem. noftr. Tom.* IV. *pag.* 436. in *Not.*

m) *De Anno* 1715. *pag.* 456. *fqq.* Conf. Clar. KVNDMANNI *Rariora Naturae et Artis, Sect.* I. *Art.* XXXII. *pag.* 258. in *Notis.*

destoque quodam Tabaci ptarmici Hispanici amatore, qui ex ipsius diuturno abusu, tantum sensim crassumque sibi contraxerat Oesophagi polypum, vt a monstro hoc intus latente incognito, variis diris symptomatibus prius diu excruciatus, atroci tandem fame enectus et suffocatus, miserrimo fato periret.

§. X. Verum adeo numerosam variorum aliorum grauissimorum morborum prolem produxit praeterea deterrimus iste pulueris illius ptarmici abusus, vt cum poetis iure exclamandum sit:

Macies, et noua febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Hinc subitae mortes, atque intestata senectus.

Obseruarunt enim medicorum praestantissimi fideque dignissimi, nominatim HILDANVS, HEVRNIVS, IOVBERTVS, BONETVS, DECKERVS, RHODIVS, HAGENDORNIVS, LANZONVS, WAGNERVS, SIMON PAVLLI, WEDELIVS, KERCKRINGIVS, THIERMAIRIVS, MERCVRIALIS, NVMMANNVS, SENNERTVS, SCHNEIDERVS, atque ETTMÜLLERVS, nostrates, aliique, partim iam supra laudati, phthisin, maciem, tabem dorsalem, caecitatem, aliosque oculorum affectus, haemoptysin, apoplexiam, polypos, vomicas, asthmata, vomitus, longa ciborum fastidia, vertigines, raucedines, gulae ardores, haemorrhagias narium, lethargum, aliosque atroces admodum morbos, fatales suos natales saepius debuisse illi ipsi pulverum eiusmodi ptarmicorum, praesertim autem Tabaci, abusui, pravaeque et inueteratae nimis consuetudini, in ipsam veluti naturam sensim

Notis. Praesertim vero Cl. COHAVSEN, de *Pica Nasi, part.* II. *pag.* 108. *sqq.* vbi ipse mirandum hunc casum accurate recenset, cum acuta epicrisi, additque demum binos similes fere casus, a se ipso quondam obseruatos: Tertium autem paene simillimum, a se quondam adnotatum, luculenter describit magnus BOHNIVS, praeceptor olim noster ac doctor, in praestantissimo Libro, *de Officio Medici, part.* I. *cap.* 9. *pag.* 200. Quo et denique pertinet singularis ista Historia, commemorata a RIEDLINO, in *Cur. med. Obs.* 473. *Cent.* V. *p.* 284. Ex quibus saniora nunc melioraque sero tandem discat superbus ille et asper Medicus, qui nobis nuper grandem de lana caprina, dicam frustra scripsit, de quo supra.

ſim conuerſae: Ex quibus omnibus, inprimis autem DECKERO atque ETMüLLERO, ſat multa exempla memorabilia hiſtoriasque ſingulares hanc in rem diligentiſſime collegit iam ſupra ſuo merito laudatus COHAVSENIVS n), nouus ille ſaeculi noſtri Lucilius vel Horatius, quibus et ipſe ſuam experientiam medicam annoſam ac foecundam, ſapienter fideliterque adiunxit: quale etiam iam ante ipſum ex parte praeſtiterat ſummus noſter HOFFMANNVS o), et illum poſtea ſequutus, diligentiſſimus KVNDMANNVS p).

§. XI. Quum igitur tot tantaque mala et pericula ex immodico puluerum ptarmicorum, praecipue autem Tabaci, vſu omnino metuenda ſint: Omnis hinc ſuae ſalutis vitaeque cupidus ac ſtudioſus, vel maxime ſibi cauere debet, ne ob tantillam caducam, volaticam et puluerulentam quaſi voluptatem, ſanitatem ſuam, qua tamen in omni quidem vita nihil vnquam pretioſius eſt praeſtantiusque, temere in praeceps diſcrimen adducat, atque deinde, perdita ſemel ſanitate, de illa vana et inani narium voluptate, tanta quidem poenitentia ac dolore emta, per omnem inpoſterum vitam fruſtra conqueratur.

§. XII. Tanto autem magis vitare debent nimium eiuſmodi pulverum errhinorum, ſeu ptarmicorum vſum, qui iamiam nonnihil cauſſarii ſunt, atque hinc ſanitate haud vſquequaque integra fruuntur. Inde potiſſimum noxius eſt aſthmaticis, quibus inprimis meatus animae propter corporis amplitudinem grauior et ſonantior eſt, item plethoricis, hypochondriacis, melancholicis, natura ſiccioribus, et aluo adſtrictiore laborantibus; nec non obeſioribus et ingenti carnis mole oneratis, iis etiam, quibus ſtomachus natura inualidus et anguſtus, et frequenter interaeſtuans eſt: porro, ſanguinem vel ore exſcreantibus, vel

n) In vtroque nempe opuſculo lepidiſſimo, ſupra iam dilaudato, *da Pica Naſi*, et *Raptu ecſtatico in montem Parnaſſum:* praeſertim tamen in hoc poſteriore, vbi vid. inprimis, *pag.* 54. *ſqq.* Conf. *Poem. noſtr. Tom.* IV. *pag.* 437. in *Not.*

o) In laudata ſuperius diſſertat. *de Vſu et Abuſu puluerum ſternutatoriorum.* ſic dictorum, *pag.* 75. *Opp. Med. Supplement. Part.* II.

p) In Opere lectu digno et iucundo, *de Rarioribus Naturae et Artis*, modo allegato, *pag.* 255. *ſqq.* in *Not.* vbi tamen pleraque ibi allata exempla HOFFMANNO debet.

vel nare reddentibus; item malo epileptico obnoxiis, lateris dolore affectis, cardialgia, vel ardore ſtomachi vexatis, hernioſis, phthiſicis et macie confectis, vomicoſis, tuſſiculoſis, aut quocunque pulmonum vitio laborantibus: illis quoque, quorum oculis frequentius obuerſantur maculae, faculae, amphorellae, marmarygmata et indalmata, aut ſimulacra peregrina, araneorum caſſibus, aut nubibus tenuiſſimis, aut paruulis denique volantum animalibus, vt ſunt culices, ſimilia. Iſtis etiam nimius ptarmicorum vſus pernicioſus eſt, quibus condylomata, rhagadia, exochadia, et id genus alia obſcoenarum extremi ventris partium tubercula taedii plerumque plena, ita ſubinde in foedum tumorem intus attolluntur, vt ſaepius extra quoque promineant, vt et, quibus haemorrhoides vel caecae, vel fluentes extuberant, vel quibus ipſa etiam ſedes prolapſa eſt q). Denique foeminis quoque grauidis et praeſertim ad abortum effundendum procliuioribus, aut de moleſta ipſius vteri procidentia conquerentibus: vt alia plura iam, amico breuitatis ſtudio, praetereamus. Vid. interim MAGNEN. *de Tabaco ſect.* VIII. *pag.* 108. *ſq.*

§. XIII. Nemini tamen Tabaco ptarmico diutius iam per vitam, adſueto duram illam imperii neceſſitatem hic imponimus, vt ſemel ſimulque, et vnico quaſi momento inueteratam iſtam conſuetudinem exuat; Recte enim MENANDER: *Ἔϱγον ἐςὶ, μακϱὰν συνήθειαν ἐν βϱαχεῖ*

q) Triſtem eiusmodi caſum retulit ipſe HIPPOCRATES noſter, *Lib.* V. *Epidem. pag.* 775. *Tom.* I. *Opp.* de miſerrimo *Eudemo Lariſſaeo*, cui poſt vehementiorem ſternutationem, ipſa ſedes, vna cum haemorrhoidibus, foede procidebat. En ipſa quidem ipſius verba: *αἱ δὲ αἱμοϱϱοΐδες ἔξω ἦσαν τῆς ἀϱχῆς, τὸν ἄλλον χϱόνον καὶ ἡ φῦσα διὰ ταύτας ἐπεγίνετο, καὶ πϱὸς πταϱμὸν ἐπεγένετο ἡ ἀϱχή. Haemorrhoides vero extra anum erant; reliquo autem tempore, flatus per ipſas prodibat: et ad ſternutationem principium fiebat.* Quale vero principium? ego hic merito quaero, et quis in his quidem verbis, ſenſus commodus? Ipſe FRANCISCVS VALLESIVS in *Comment. pag.* 487. nihil hinc attulit, quod multum placeret, aut tenebras ſpiſſas hic diſpelleret. Verbo: Locus hic dubius et obſcurus, immo et de mendo ſuſpectus, mihi omnino videtur. Fuit ergo, quum legere tentarem: *ἐπηγείϱετο ὁ ἀϱχὸς, ſedes ipſa ad ſternutamentum procidebat;* vel facilius et veriſimilius: *πϱὸς πταϱμὸν ἐπεγένετο ἡ ταϱαχὴ, ad ſternutationem iſta fiebat turbatio procidentiae nempe ani, haemorrhoidum et flatuum:* vel denique: *πϱὸς πταϱμὸν ἐπεγένετο ἡ ῥαγὴ, ad ſternutamentum fiebat iſta ruptura ani nempe ac haemorrhoidum.* Senſu nunc in omnibus, facili, commodo et perſpicuo, niſi fallor.

χεῖ λῦσαι χρόνῳ, *difficile eſt, diuturnam conſuetudinem breui tempore diſſoluere:* Sed quemuis potius fideliter hortamur, ipſique amice ſuademus, vt ſenſim tantum paullatimque per iuſta ſtataque interualla ſeſe ad ſobrias abſtinentiae leges componat; donec tandem proceſſu temporis natura ſua ſponte adſueſcat, ſine repugnantia carere illis narium deliciis, hucuſque nimium adamatis. Tum enim iſti quaſi motus narium atque certamina tanta ſenſim ſenſimque *pulueris exigui iactu compreſſa quieſcent.* Omnis namque mutatio repentina, et vno quaſi temporis puncto ab vno, quod dicitur, extremo ad alterum ſubito praecipitata, in ipſo corpore humano magnas ſaepe multasque turbas concitat, et ipſi inde ſanitati plus officit, quam conducit. Vnde ſapienter CORN. CELSVS r) monuit: *Quum quis mutare aliquid volet, paullatim debet adſueſcere:* quod nempe more ſolito ex ipſo HIPPOCRATE s) hauſit: τὸ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλὲς, καὶ ἄλλως, ἤν καὶ τὶς ἐξ ἑτέρȣ ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ, *quod paullatim mutatur, tutum eſt, tum alias; tum ſi quis ex altero ad alterum tranſeat.* Quo et illud inprimis ſpectat eiuſdem t), ἢν γὰρ μεταβάλῃ ταχέως τὴν δίαιταν, κίνδυνος, καὶ ἀπὸ τῆς μεταβολῆς νεώτερόν τι γίγνεσθαι ἐν τῷ σώματι, κατ' ὀλίγον ȣ̃ν δεῖ ἀφαιρέεσθαι, *nam ſi quis cito diaetam permutet, periculum eſt, etiam a permutatione aliquid in corpore innouatum et in deterius mutatum iri, paullatim igitur detrahere oportet:* Cuius denique eſt etiam iſtud u): Πάντα ἐξαπίνης μείζω πολλῷ τȣ̃ μετρίȣ μεταβαλλόμενα ἐπὶ τὰ, καὶ ἐπὶ τὰ, βλάπτει, *Omnia, quae derepente, multum, ſupra modum, nunc huc, nunc illuc mutantur, ſemper laedunt.* Quod et maximus ille Imperator Cyrus confirmat apud XENOPHONTEM x): ἡ γὰρ κατὰ μικρὸν μετάλλαξις πᾶσαν ποιεῖ φύσιν ὑποφέρειν τὰς μεταβολὰς, *Nam commutatio, quae fit paullatim, efficit, vt omnis*

r) *Lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 25.

s) *Aph.* 51. *Sect.* II.

t) *Lib. de Natura Humana, pag.* 274. *Tom.* I. *Opp.* Conf. eiusdem *Lib.* VI. *Epidem. Sect.* III. *p.* 805. vbi aurea haec Regula: αἱ μεταβολαὶ φυλακτέαι, *Subitae Mutationes ſunt cauendae.*

u) *Lib. de Victu Acutor. pag.* 287. Conf. et ibidem, *pag.* 281. *Tom.* II. vbi eadem ſententia prudentiſſima occurrit.

x) *De Inſtitut. Cyri, Lib.* VI. *pag.* 128. Conf. STOBAEI *Sermonem* XCIX. *pag.* 549. Edit. CONRAD. GESNERI, et PLATO, *Lib.* VII. *de Legg. p.* 631.

natura mutationes ferat. Sed eadem occurrunt passim apud ipsum GALENVM y), et alios plures z).

§. XIV. Ex hactenus ergo cum cura dictis liquidissime nunc patere arbitror, immo paene confido, Herbam quidem Nicotianam ptarmicam praeter necessitatem, consuetudinis tantum temere introductae aut affectatae cuiusdam vrbanitatis caussa, ingenti copia quotidie naribus iam torpidis ingestam, semper obesse sanis corporibus, nunquam prodesse natura infirmis, aut aliqua iam internarum partium labe vitiatis: parce vero et tempestiue, medicamenti errhini loco adhibitam, in variis morbis atrocioribus, superius iam late commemoratis, egregium prorsus praestare vsum.

§. XV. Scite proinde acuteque prouerbio dicunt Graeci a): Τῷ ἡδύσματι οὐ δεῖ χρῆσθαι, ὥσπερ ἐδέσματι, siue: *Condimento haud vti decet, tanquam cibo:* Multo minus itaque medicamento vti licet, ceu cibo iucundo [quotidiano, siue voluptatis imaginariae inuitamento aut irritamento. Quare et hic saluberrimum istud EPICTETI sapientissimi monitum apprime applicandum b): τῶν ἡδέων τὰ σπανιώτατα γιγνόμενα.

y) In *Orat. Suasor. ad Artes*, *Cap.* XI. *pag.* 12. *Tom.* II. et ibidem *pag.* 219. et *Tom.* VI. *pag.* 156. et alibi saepissime.

z) Vid. IO. CHRYSOSTOMI *Tom.* I. in *Vet. Test. pag.* III. BASILII MAGNI *Conc.* X. *de Ieiun. pag.* 516. *Tom.* III. *Opp. Paris.* ISIDORI PELVSIOTAE *Epist.* 45. *Lib.* II. *pag.* 191. Item IOANNIS PRICAEI *Not.* ad APVLEII *Lib.* V. *Metamorph. pag.* 261. *Lib.* VII. *pag.* 386. et *Lib.* denique VIII. *pag.* 400. vt et LINDENII *Select. Med. pag.* 583. DIETERICI *Iatreum Hippocr. pag.* 398. *sqq.* et denique IO. BAPTIST. DONII Tract. *de restituenda salubritate agri romani*, apud SALLENGRE, in *Noua Antiquitatum Romanarum Thesauro*, *Tom.* I. *pag.* 965. ne alios Auctores plures iam praeter necessitatem, citemus, res enim satis nota et quotidie obuia est. Conf. si placet, nuperam nostram commentationem *de Vino modico Hypochondriacis salutari ad* I *Timoth.* V, 23. *illustrandum*, *pag.* 9. et SALVSTII SALVIANI *Variar. Lectionum de Re medica*, *Lib.* III. *cap* XI. *pag.* 255. *sqq.*

a) Vid. ARISTOTELIS *Lib.* III. *Rhetor. cap.* 3. *pag.* 198. item BASILII MAGNI Tract. *de Virginitate*, *p.* 618. *Tom.* I. *Opp.* et alios plures. Conf. *Fabula* nostra CXXIII. *p.* 275. et *pag.* 276. in *Notis* et *poemat. nostr. Tom* VI. *pag.* 625. in *Not.* item *Dissert. nostr. de Morte subita ex nimio violarum odore oborta*, *pag.* 28. nec non rursus. *poemat. Tom.* II. *p.* 204. Edit. II. et *Fabul.* XXIII. *pag.* 48.

b) In *Apophthegmat. pag.* 428. Edit. BLANCARD. nempe ex STOBAEI *Serm. eth.* VI. *pag.* 82. Conf. huc praesertim DIONIS CHRYSOSTOMI *Orat.* XXX. *p.* 307. *seqq.*

μενα μάλιστα τέρπει· εἴ τις ὑπερβάλλει τὸ μέτριον, τὰ ἐπιτερπέστατα ἀτερπέστατα ἂν γίγνοιτο. h. e. *Ex voluptariis ea, quae rarissime contingunt, inprimis delectant: Si quis autem excedat modum, etiam quae suauissima sunt, ingratissima fient.* Quod ipsum breuius et, vt ita dicam, rotundius sic expressit acutissimus IVVENALIS c): *voluptates commendat rarior vsus.* Quo et denique illud spectat PHAEDRI d):

Sed temperatae suaues sunt argutiae,
Immodicae offendunt.

Immo potius, si ista quidem paullo liberius ita inuertere liceat:

Sed temperatae suaues sunt deliciae,
Immodicae offendunt.

Verum finiamus iam, pace quidem Lectorum, lepidissima ista parodia Horatiana, ab elegantissimo COHAVSENIO e), cuius iam aliquoties honorifica facta fuit superius mentio, composita:

Natos decori, desipientia est,
Foedare nasos: Tollite barbarum
Morem, verecundasque nares
Merdifluo prohibete poeto.

DISSERTATIO MEDICA NONA.
DE
MORTE SVBITA
EX
NIMIO VIOLARVM ODORE OBORTA.

PROOEMIVM.

Nihil in rerum natura adeo quidem eximium, quod nobis exitio esse non possit, vbi abusus nempe accessit, (vnde perbene QVINCTILIANVS a): *Quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit Vita, et, ne terrenis*

c) *Satyra* XI. fine, vbi conf. GRANG. et ALMELOVEEN. in *Notis Variorum.*

d) *Fabula* 86. *Lib.* V. vbi vid. BVRMANN. et alios Interpretes.

e) In *Raptu ecstatico in Parnassum*, mox ab initio.

a) *Instit. Orat. Lib.* II. *cap.* 16. *p.* 187. Edit. BVRMANNI.

terrenis immorer, solem lunamque, praecipua siderum, aliquando etiam nocere? Nihil rursus tam exile ac humile; quod non aliquando ingens damnum inferre queat, vbi increuit praeter modum, aut vires eundo adquisiuit, adeo vt hinc verum omnino sit effatum illud OVIDIANVM [b]):

Nil prodest, quod non laedere possit idem.

Ipsi adeo tenerrimi halitus et vapores, immo odores quoque suauissimi, spiritum istum nostrum precarium tenuique quasi filo pendentem nobis repente excutere possunt, vbi nimium confertimque collecti, inualuerunt; adeo scilicet non tam magno apparatu, aut exquisita molitione; quam potius leui tantum aura odoratiore, opus est, vt corporis animique infirmo prorsus vinculo cohaerens societas dirimatur: *Heu! heu! nos miseros, quam totus homuncio nil est.*

Quid, quaeso, aspectu iucundius, quid, inquam, odore suauius, praecipuis illis hortorum bene cultorum ornamentis, omnium florum splendidissimis reginis, et *diuum hominumque amoribus ac deliciis**), purpureis nempe Rosis? et tamen reperti sunt, teste experientia et fide multorum Auctorum medicorum, olim plures, qui nimio earundem odore

b) II. *Trist.* 266.

*) Sic nempe ANACREON in rosea illa et suauissima in Rosam, *Oda* LIII. eam venustissime vocat Θεῶν καὶ βροτῶν χάρμα καὶ μέλημα: ubi τὸ μέλημα idem est ac ἀγάπημα, teste HESYCHIO. Conf. ibi ad ANACREONTEM, BARNES. *p.* 182. Quae bella vox, vt id obiter hic adiicere liceat, reddenda omnino SVETONIO, *Lib. de illust. Grammat. cap.* III. nempe legendum ibi haud dubie, πανὸς ἀγάπημα, pro vulgato ἄγημα, quod nullo modo illic ferri potest. In Vett. enim Codd. manifesta satis sunt huius verae lectionis vestigia, scil. *agasema;* vnde vnica tantum litera mutata, protinus prodit scitum illud atque vnice verum *agapema*, hoc est ἀγάπημα; quod tamen nullo vsquam interpretum, immo, ne ab ipso quidem SALMASIO, *Exercit. Plin. pag.* 30. fuit animaduersum. Ita Deam ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἀγάπημα, in *Epigrammate* dixit CRATES, obseruante STEPHANO: sic alibi saepius, ἀγάπημα Θεῶν, Μουσῶν, Νυμφῶν, et simil. quo modo et VIRGIL. *Eccl.* 7. *Nymphae noster Amor*, vbi vid. LA CERDAM et alios Interpretes: Inprimis autem ARNOLD. ad CATON. *diras, p.* 146. *sqq.* et *pag.* 203. *seqq.* item STANLEI ad AESCHYL. *Choëph. pag.* 844. aliosque plures. Sicut etiam nec illud in eiusdem SVETONII *Claudio, cap.* 38. vbi obscure et vitiose hodie legitur, μωρῶν ἀνάστασις, pro longe meliore ac veriore nostra lectione, ἀνάπλασις, nempe Libelli istius argumentum erat: *stultitiam neminem fingere*, h. e. τὴν μωρίαν μηδένα ἀναπλάσσειν: vt mox ipse explicat SVETONIVS clarissime.

odore iucundiſſimo ſuffocati, ſubito perierunt, purpureamque veluti animam emiſerunt. Ita nota mihi quondam fuit nobiliſſima ſponſa, quae medias inter roſas congeſtas ſedens, ipſa pulcherrima caſtiſſimaque Roſa, animique gratia, corollas ex iiſdem nectens, repente concidit, et intra manus foeminarum fruſtra in auxilium accurrentium, exanimata eſt: ſed plura hanc in rem inferius opportuniore loco, dicentur.

Quid viſu modeſtius, tactu mollius, ingenio humilius, odore ſuavius, et colore amoenius, violis illis prati cultricibus, vt ita loqui liceat? de quarum meritis laudibus elegantiſſimam oliam Elegiam ſcripſit politus ille ANGELVS POLITIANVS, inſertam *Epiſtolae* 14. *Lib.* VII. *pag.* 258. aliorum vero de iiſdem encomia vid. in DORNA-

riſſime. Sic de Vlyſſe dixit PHILOSTRAT. *Heroic* x, 2. *pag.* 708. μανίαν πλάττοιτο, et alius ignotus apud SVIDAM, in ὕποπτος, Auctor, ἐπιπλάςῳ μωρίᾳ, quod idem eſt, ac ἀναπλάςῳ, et huc inprimis facit: Apud PHOTIVM quoque legitur, *pag.* 157. κενολογίαν καὶ ἀτοπίας ἀναπλάττει, et *pag.* 209. λυσσώδης καὶ μανικὴ διάνοια ἀνεπλάσατο. Ita δείματα οὐκ ὄντα ἀναπλάττειν, occurrit apud LIBAN. *Ep.* 126. *pag.* 66. et alibi ſaepe, et ἀναπλάσσειν λόγους καὶ μύθους, ſaepius, apud PLATON. PLVTARCH. MAX. TYR. et alios plures: ἐκ πιθανῆς ἀναπλάσιος λόγου, ſcite quoque dixit HIPPOCRATES, in *praecept. pag.* 61. Sed ſtudio iam omitto longe plura, quae affatim in promtu ſunt, alibi commodius expromenda. Interim vid. de hoc ipſo verbo ἀναπλαττειν, quae collecta exhibentur in *Miſcell. obſeruat. Crit. Vol.* x. *pag.* 204. et in *Notis* DORVILLE, ad CHARITON. *pag.* 188. et *pag.* 551. Ceterum vero vehementer hic miror, ſagaciſſimum MARKLANDVN in *Epiſt. Crit.* ad FRANC. HARE, *pag.* 23. ſcribere potuiſſe: *Iſta vox* ἀνάςασις, *in* SVETONIO, *non minus mihi negotium faceſſit, quam olim Athenienſibus, Paullo praedicante: magno emerima* BENTLEII SVETONIO *hoc doceri* Sed nunc gratis, et ſine vllis impenſis, a me, qui tamen nec BENTLEIVS ſum, nec vnquam tantus Criticus ero, facillime doceri, ſi velit, poteſt, vnice ſcilicet veram et appoſitam eſſe noſtram coniecturam ſuperius propoſitam et valide probatam, nempe μωρῶν ἀνάπλασις, pro vulgato illo frigido et inepto Commento, μωρῶν ἀνάςασις. Sed ohe! iam ſatis eſt, imo plus ſatis. Denique nec illud ab vllo hucusque monitum, in eiusdem *Vita Auguſt. cap.* 72. τεχνόβιον, legendum eſſe, pro vulgato τεχνοφυον, quod nempe ne graecum quidem eſt. Sic ad eandem normam formamque Graeci dicunt αἰσχρόβιον, ἡδύβιον, κοινόβιον, λαμπρόβιον, ὀρέσβιον, οἰκόβιον, λυχνόβιον, apud SENECAM, *Epiſt.* 122. et ſimilia plura in Lexicis paſſim obuia. Sed de his et aliis multis, exactius, in nouo noſtro ad SVETONIVM Commentario, proxime forſan cum deo, prodituro. Interim haec obiter, pace Lectorum, a nobis hic, oblata ſponte occaſione, amoenae varietatis gratia, modeſta monita ſunto.

VII *Amphitheatro sapient.* SOCRAT. *Tom.* I. *pag.* 194. *sqq.* et tamen aliquoties etiam compertum est, eas plurimum nocuisse sanitati, quum nimium eidem prodesse viderentur. Sed alio quidem modo, ac illo quem enarrat de propudioso illo humani generis monstro, Antonio Heliogabalo, AELIVS LAMPRIDIVS c), his nempe verbis notatu dignis: *Oppressit in Tricliniis versatilibus, parasitos suos violis et floribus, sic, vt animam aliqui efflauerint, quum erepere ad summum non possent.*

Quis enim, obsecro, non obstupescat, aut certe viola pallidior fiat, vbi audit, Violas suaue olentibus suis halitibus suis nimiis et arctiore loco conclusis, Virginem quidem sanam, vegetam et viridi aetate florentissimam, adeo vsque violare potuisse, vt praecipiti prorsus et improuiso fato, illa e viuis raperetur, relicto sui acerbo et diutius mansuro desiderio? et tamen id ipsum aliquando certissime factum est; prout ex sequenti flebili Historia vberius patebit, quam iamiam enarraturus sum fidelissime et diligentissime,

Quanquam Animus meminisse horret, luctuque refugit.

VIRGINIS VENVSTAE HISTORIA FVNESTA.

Virgo nobilis nubilisque, florentis adhuc annorum XVII aetatis, emendatissimae formae iuxta, vitaeque, multis iam petita et negata procis, vnica Matris suae praestantissimae Filia et simul gloria, (pater enim iam opportune decesserat, felix morte sua, neque in hunc seruatus dolorem,) flos ipsa Virginum lectissimus, vel roseo, vel purpureo, violaeque nitore exsplendescens, vt in veteri inscriptione legitur,

c) *Cap.* 21. in *Vita Heliogabali, p.* 842. *Tom.* I. *Scriptor. Hist. August.* Lugd. Bat. 1671. cum Not. *Casaub. Salmas.* et Variorum. Quo et maxime pertinent illa, ibidem, *Cap.* 19. *pag.* 832. *Strauit et Triclinia de Rosa, et lectos, et porticus, ac si per ea deambulauit, idque omni florum genere, Liliis, Violis, Hyacinthis et Narcissis.* Conf. ROSENBERGI *Rhodolog. part.* II. *Cap.* 15. *pag.* 223. *sqq.* et STVCK. *Lib.* III. *Antiq. Conuiu. cap.* 16. *pag.* 370. *sqq.* Non obstante vero tot pulcherrimorum Florum odore vario suauissimo, tamen vehementissime nihilominus foetebat viuum illud spiransque turpissimi Imperatoris cadauer, vitiis flagitiisque foedissimis dudum sepultum. Sed haec obiter.

tur, atque florum, inprimis Rosarum, et primarum tepidi veris nunciarum, Violarum nempe, amantissima, quum renato florido vere anni CIↃIↃCCXXXIV. grandem aliquando patinam violis recens decerptis refertam, in domesticos et culinares vsus destinatam, angusto suo cubiculo intulisset, imminentis mali prorsus improuida, tandem ipsa postquam sana hilarisque coenasset, cubitum ex more discedit, clausisque infeliciter ostio atque fenestris ipsius cubiculi, lectulo castissimo sese, nimium futuri secura, placide reponit, atque altissimo somno veluti immersa, sonoros rhonchos ducit, nunquam eheu! euigilatura, sed somnos potius in mortem vltimam continuatura.

Mater ergo circa primam lucem, expergefacta, curatis interea e consuetudine solita laudabili, domesticis negotiis, miratur demum Filiae peruigilis alias, insolitas plane moras, quippe quae, adulta iam aliquantum die, altum adhuc praeter morem, sterteret. Visura igitur, numquid forsan ipsi accidisset; ipsum mox cubiculum adhuc clausum, festina intrat, videtque attonita, quod vidisse vnquam nollet, miserandam illam filiam, a filia sua venustissima mirum quantum horrendo prorsus spectaculo, immutatam; capite nimirum prono extra lectum, pendulam, oculis torua sub fronte, extantibus rigentibusque vsque ad horrorem formidinemque visentium, trucem et minacem, tota facie tumidam et ex fusco rubicundam, hiante spumeoque ore terribilem, fractos suspiriososque spiritus ex anhelo angustoque pectore ducentem, et ima longo ilia singultu tendentem, apertis naribus, exsertaque foede lingua, auram auide captantem, et, quod malorum maximum, omnibus denique sensibus orbam: neque enim quidquam audiebat, aut intelligebat, multo minus ipsa proloquebatur quidquam.

Subitus ergo lamentabilisque tollitur clamor a matre moestissima; accurrit confestim omnis familia terrore repentino perculsa; magnis resonant vlulatibus spatiosae aedes: lectum flentes circumstant amici et cognati: omnia luctu et eiulatu foemineo frustra complentur: conuocantur protinus medici ac chirurgi, pallentes, pauore nutantes, dubitantesque, qui

Multa manu medica, phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidant.

Frigentes iam artus fouentur, fricantur, balneo calido pedes immittuntur gelidi; venae ſtricto ferro in illis exſoluuntur; ſed lenta tantum effugia ſanguini iamiam piceo quaſi, ſpiſſo atque tenaci, peſſimo ſane omine, praebentes: naribus valentiſſima admouentur remedia errhina, ipſis quoque foetidis in auxilium vocatis, vti plumis, cornibus, chartis emporeticis et id genus aliis, aduſtis, manibus fortiſſima epicarpia, ori generoſiſſima analeptica et cardiaca, fronti ac temporibus praeſtantiſſima metopia et crotaphia applicantur: Suris itidem, aceto prius imbutis, ampliſſima imponuntur veſicantia ex cantharidibus parata: plantis pedum tenaciſſima affiguntur epiſpaſtica, et aluo denique acerrima iniiciuntur clyſmata, ex ipſa Nicotiana, aliisque ſimilis virtutis efficacioris herbis, praeparata. Omnes quoque protinus aperiuntur feneſtrae, quo aura frigidior puriorque ſenſim ingrediatur.

Verum omnia quidem appoſite et ſapienter; ſed omnia tamen ſimul, proh dolor! incaſſum, inani prorſus conſilio et infructuoſa penitus opera; Nec locus artis erat medicae, nec vota valebant. Nihil enim amplius in ope humana, aut arte ſalutifera reliquum erat, quo letalis ille veternus excuti, aut infeliciſſima Virgo ineluctabili fato iamiam irruenti eripi potuiſſet: licet interim mater adhuc multum ſperare videretur, et quamcunque corporis amati partem oſculis miſere tepefeciſſet, illi quidem vitae calorem rediiſſe, fruſtra clamaret. Flexo enim ſenſim in veſperam die, illa pulchra matre pulchrior filia, ceu flos caducus, aut ſolſtitialis herba, merita nec morte, ſubito occidit, omnibus quidem bonis flebilis; ſed nulli tamen flebilior, quam ſceleratiſſimae, aut quod ſtilo veteri Romano, idem, infeliciſſimae Matri, ad aeternum luctum gemitumque relictae: quae ſcilicet, turbato rerum ordine, contra votum, filiae tumulum dabat, a quo potius illum aliquando accipere ſperauerat: Sic enim, quod fas parenti facere debuit filia, mors immatura contra fecit, vti faceret parens: praeſertim, quum miſeranda illa puella inter raucos horriſonosque clamores inconditos, dirasque totius corporis conuulſiones, ſtridulasque

lasque conquaſſati et coarctati pectoris ſuffocationes, ſine omni ſero reuerſi ſenſus, aut intellectus indicio manifeſto, ſpiritum adhuc indemnatum miſerrime effunderet. Iacentem igitur ſic atque pallentem viderunt atque luxerunt omnes:

Qualem virgineo demeſſum pollice florem
Seu mollis Violae, ſeu languentis hyacinthi:
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesque roſae primos moriuntur ad Auſtros,
Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis.

Cauſſam autem tam properi ac praecipitis fati probabilem medicis indagantibus nulla quidem alia in praeſens ſuccurrebat; quam aut ſubita apoplexia, aut crudele venenum, incautius ingeſtum: poſterius quidem, ceu nulli prorſus argumento innixum, mox ipſa mater, admodum indignabunda, valide refellebat cum omni ſua familia, quae poſtremae nempe coenae laeti ſaluique omnes vna cum ipſa filia interfuerant. Vnus tandem ex illis medicus, ceteris cautior et prudentior, culpam tam repentinae mortis potius veriusque reiiciebat in ſola illa odorifera violarum affatim congeſtarum effluuia, fortiora, quibus per integram quidem noctem anguſtum nimis cubiculum, clauſis praeſertim feneſtris oſtioque, vehementius oppletum fuiſſet; quo ſcilicet factum, vt aër incluſus eiuſmodi miaſmatis ſoporiferis ac narcoticis, ſeu ſtupefacientibus, refertus, et ad inſpirandum prorſus incommodus ineptusque redditus, per ipſam reſpirationem, ſanguini ſenſim ingeſtus, vniuerſum neruorum ſyſtema, ipſamque animae ipſius ſanctam officinam, ſeu Cerebrum, adortus fuiſſet, ſicque letalem illum lethargum, ipſamque poſtea obliuioſam mortem progeneraſſet. Sapientiſſime per deum! atque veriſſime: neque enim veriorem melioremque triſtiſſimi huius caſus cauſſam vel ipſe HIPPOCRATES noſter, vel medicae Artis repertor, AESCVLAPIVS, aut ipſe APOLLO, in medium, credo, allaturus eſſet. Solae ergo fatales illae Violae vitalem auram fomitemque et ſummum formae decus violarunt infeliciſſimae puellae ipſique mortem perniciſſimam, Matri autem afflictiſſimae pernicioſiſſimam iacturam attulerunt. Vti inferius in ipſo opuſculi huius greſſu,

greſſu, pluribus argumentis et exemplis, euidentiſſime, niſi fallor, demonſtrabitur. Interea tamen ipſi laetis adhuc florentibusque annis, lacrymoſo et acerbo funere raptae

Candida Nais
Pallentes Violas, et ſumma papauera carpens,
Narciſſum et florem iungit bene olentis anethi,
Spirantesque crocos, et in vrna perpetuum Ver.
Sic nunc e tumulo, fortunataque fauilla
Naſcentur Violae.

Flebili vero huic Hiſtoriae ſimillimam prorſus recentiorem commode hic adiungere, omnino licebit, quae, referentibus omnibus diariis et relationibus publicis, Anno 1764. *Londini*, nouiſſime contigit, licet laetiorem ac feliciorem exitum habuerit. Quam ex gallica atque vernacula lingua, fideliter a me Latine redditam, perſpicue enarrare iam adgredior:

Opulentus quidam dynaſta, per vehementiores multorum florum odoriferorum, in cubiculo forte poſitorum, vapores et exhalationes filiam ſuam vnicam ſubito, omnique opinione citius, miſere perdidiſſet; et ſine omni dubio, viuis illa erepta fuiſſet, ſi ſola in iſto quidem conclaui dormiuiſſet. Paene enim iam ſuffocata, ſero euigilabat tandem, atque per aliquod tempus, omni loquendi facultate penitus deſtituta, iacebat. Attamen obſeruabat, ſuam ſeruam prope accubantem, etiam vigilare quidem; ſed et ſimul in eodem ſecum diſcrimine verſari. Nimii enim iſti flores ſua violenter intolerabili plane vapore et grauiſſima odorum vaſtitate oppleuerant non ſolum totum illud conclaue; ſed et ſimul iſtarum miſerarum puellarum capita et pectora. Poſt multos demum labores, ſerua illa omnes quidem vires adhuc ſibi reſiduas, quanto poterat niſu, aegre colligebat, ad vaſa illa, quibus iſti fatales flores continebantur, ſenſim prorepebat, eaque extra ipſum cubiculum, foras exportabat. Sic ergo ipſa ianua et feneſtris ſimul late apertis, nouoque aere liberiori puriorique ita opportune intromiſſo, ipſa illa filia, quae iamiam extremum paene ſpiritum trahebat, ſenſim tandem ad ſe redibat, et in ipſam vitam tenui quaſi filo adhuc pendentem, auſpicato reuocabatur. Lugubris igitur hic caſus prudenti cautioni ſeueraeque admonitioni inpoſterum cunctis debet vtique eſſe florum

rum amatoribus, ne multa magnaque eiusmodi vasa florigera, seu variis floribus fragrantioribus affatim oppleta, istis praesertim conclauibus incautius inferantur, vbi diutius commorandum et per ipsam integram noctem dormiendum fuerit. Ceterum similes etiam tristes euentus ex nimiis vulgarium et humi nascentium violarum exhalationibus fragrantibus, nuperrime obseruati ac descripti fuerunt. Hactenus ista quidem relatio publica.

Hanc igitur simillimam et maxime genuinam huic nostrae praecedenti historiam barbati nonnulli in vicinia viri et imberbes etiam iuvenes in posterum, cum sero pudore, probe sibi notent, qui nescio, quibus intemperiis tum exagitati, contra tot exempla, a nobis producta, imo contra ipsam sanam rationem et fidam experientiam, inani tantum obloquendi studio, insolenter tradiderunt, si fabula quidem fuerit vera, hanc ipsam nostram Historiam, fidelissime a nobis superius relatam, fidem superare, quoniam nempe per ipsem quidem rerum naturam, verisimile haud videaiur, vt quis a sola Florum exhalatione Vitam subito amittere possit. Verum candido amore impulsus, nolim illis praecocibus quidem censoribus optare, vt ipsi tam periculosum in se ipsis aliquando faciant experimentum: nihil enim certius veriusque esse, his ipsis historiis, mille proh dolor! exemplis funestis, per omne quidem aeuum, vbique obseruatis, satis superque constat. Namque amoeni eiusmodi Ἀδώνιδος κῆποι, seu Testae variis floribus suaueolentibus oppletae et ornatae, animas heu! nimum sui securas, saepissime inter dormiendum, deduxerunt subito ad inamoenos Ἄδου κήπους, et de istiusmodi *Ollis Rhodiacis* iusto fragrantioribus, notum illud e sacris, prouerbium, *Mors in Olla*, factum est frequentissime Veriuerbium. Sed haec obiter, data quidem hic commoda occasione, vt nimirum isti nimis elati et inflati δοκησίσοφοι discant tandem, in sese descendere, et reputatis suis perquam exiguis iudicandi et decidendi viribus, serio erubescere, erectasque nimium Cristas verecunde demittere.



SINGVLARIS HVIVS HISTORIAE VBERIOR ILLVSTRATIO CVM EPICRISI.

§. I.

Verissima est haud dubie aurea illa HIPPOCRATIS nostri d) sententia: Πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον: quam sic latine reddidit, et vberiore quasi paraphrasi amplificauit ISIDORVS HISPALENSIS e): *In multis contristatur Natura, mediocri autem gaudet: Omnis enim immoderatio non salutem, sed periculum, affert.* Quo et respexit PLINIVS f) his scilicet verbis notatu dignis: *Perniciosissimum in omni quidem vita, quod nimium, praecipue tamen corpori: minuique, quod grauat, quolibet modo vtilius.* Omitto plura in hunc sensum passim obuia, et a GRVTERO, MAGIRO, LANGIO, GROTIO, aliisque Anthologis, item ERASMO ROT. in *opere Adagiorum*, congesta.

§. II. Omni autem sensu, nimirum literario, philosophico, physico, politico, oeconomico, ethico, medico et diaetetico denique, veram vtique certamque esse illam ipsam sententiam modo laudatam, neminem rerum humanarum vel mediocriter tantum gnarum, in dubium facile vocaturum, vtique spero, imo certius confido. Quis enim, obsecro, est, qui non quotidie fere in ore habeat notissimum illud TERENTIANVM g):

Nam id arbitror
Adprime in vita esse vtile, vt ne quid nimis.

Siue, vt id in ANTHOLOGIA GRAECA, expressit elegantius poeta h):

Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.
Nihil nimium, nimium me delectat.

§. III.

d) *Aph.* 51. *Sect.* II. vbi vid. in *Comment.* GALENVS, et alii: item DIETERICVS, in *Iatreo Hippocratico* et RITTERSHVS. ad PHAEDRI *Fab.* 86. *Lib.* V. *p.* 157. *sq.* Occurrit et alibi, in scriptis HIPPOCRATIS aurea haec Regula vtilissima saepissime, vt LVCAS VERHOOFD, et nouissime ALMELOVEENIVS, in suis *Aphorismorum* Editionibus nitidissimis, perquam diligenter obseruarunt.

e) *Lib.* IV. *Origin. cap.* I.

f) *Hist. Nat. Lib.* XI. *c.* 54. siue vltimo.

g) In *Andria, Act.* I. *Scen.* I.

h) *Lib.* I. *cap.* 12. add. EVRIPID. *Hippolyt.* 264. et ibi BARNES. *p.* 227. *Tom.* I.

§. III. Praesertim tamen in blandis sensuum oblectamentis, omne illud ingratum, anceps, periculosum et exitiosum esse solet, quidquid nimium ac diuturnum est: inde bene in hunc abusum acuteque post PLATONEM ipsum, MAXIMVS TYRIVS [i]): Χρονίζουσα ἡδονὴ λύπην γεννᾷ, *Iusto diutius perseuerans voluptas molestiam parit;* siue, vt auream hanc sententiam stilo PLINIANO, latine reddam [k]): *Adeo nulla est voluptas, quae non assiduitate sui fastidium pariat.*

§. IV. Quod si enim illa ipsa sensuum oblectamenta, scilicet lucis ac colorum variorum splendores, sonitus, sapores et odores, splendidiora fuerint, sonantiora, acerbiora, aut austeriora, et denique fragrantiora et odoratiora; quam vt commode perferri, et citra molestiam tolerari possint ab ipsis sentiendi instrumentis, nempe oculis, auribus, lingua atque naribus: tum sane propter sublatum sic inter vtraque sensuum scilicet instrumenta et delectamenta, iustum aequilibrium et accuratam proportionem resolutam ac disiectam, non solum nulla ex illis nimiis et vehementioribus oblectationibus, iucunda voluptas aut gratus sensus percipi potest: sed et ipsa adeo sensuum organa enormi illa obiectorum sensibilium magnitudine et immensa quasi exsuperantia, insuper molestissime afficiuntur, vitiantur, immo et saepius labefactantur ac destruuntur.

§. V. Hinc recte in hunc sensum iam olim ARISTOTELES [l]): Τῶν αἰσθητῶν αἱ ὑπερβολαὶ φθείρουσι τὰ αἰσθητήρια: *quae sentiuntur, si modum excedunt, instrumenta sensuum corrumpunt.* Quod ipsum sic luculentius elegantiusque expressit magnus ille IO. CHRYSOSTOMVS [m]): Ἐν τῷ σώματι ἐὰν πλεῖον βουληθῇ λαβεῖν ὁ ὀφθαλμὸς, ἢ πλέον ἰδεῖν τοῦ ὡρισμένου θελήσειεν, ἢ μεῖζον ἀναλάβοι φῶς, ἔβλαψε μᾶλλον, ἢ ὠφέλησε τὸ ὑπὲρ τὸ μέτρον· εἰ δὲ ἔνθα ἀγαθόν τι τὸ φῶς ἐστιν, ὁ ὀφθαλμὸς εἰ πλέον ἰδεῖν θελήσειεν, ἀπόλλυται, ὅτ᾽ ἂν λαμπρότερον ἴδῃ, ἐννόησον ἐπὶ τοῦ κακοῦ· ἡ ἀκοὴ ἐὰν μεγάλην δέξηται φωνὴν, ἀπόπληκτος ἡ διάνοια γίνεται· καὶ ὅπερ

ἂν

i) *Dissert.* XXXIV. *p.* 341. Edit. DAN. HEINSII Conf. et *p.* 338. ibid.

k) *Lib.* XII. *Hist. Nat. cap.* 17. fine.

l) *Lib.* II. *de Anima* et inprimis *Lib. de Sensoriis et Rebus sensibilibus,* conf. Not. nostr. ad *Somn. Scip. Tom.* I. *poem. p.* 420. Ed. I.

m) *Homil.* LI. in *Act. Apost. Cap.* XXV. *pag.* 444. *Opp. Tom.* III. in *Nouum Testamentum.*

ἂν πλέον τοῦ δέοντος γένηται, παραπόλλυσι. *In corpore si plus vellet accipere oculus, vel plus videre, quam ei praefinitum, vel maius lumen accipiat; hoc ipsum, quod supra iustam mensuram est, nocebit magis, quam proderit. Cogita vero, quoniam, si quum bonum quoddam lux sit, et perit oculus: si plus viderit, quando fulgidiora adspicit, quam mensura sua postulat: quid faceret lux, si mala esset? Et auris, si maiorem sonum accipiat, mentem facit attonitam. Quidquid igitur debitum et naturalem modum excedit, perniciem infert.* Hactenus christianus ille Demosthenes. Quibus perquam similia sensu eodem sunt, quae ex Libro B. HILARII, Episcopi et Confessoris, de *Trinitate*, protulit ill. MVRATORIVS, in *Anecdotis Latinis, Tom.* III. *pag.* 253. quae vero ibi potius legantur; sunt enim aliquanto longiora ac copiosiora.

§. VI. Sic enim lucis subito irruentis fulgentesque radios vndique circumfundentis *importunitas* et *austeritas*, vt post PLINIVM, significanter ait CAELIVS AVRELIANVS [n]), oculorum aciem protinus

n) Libro nempe I. *de Morb. chron. cap.* 4. *pag.* 308. *praecauens Lucis Austeritatem, ne repentino eius occursu percutiatur visus.* Ita enim sine omni dubio legendum ibi est; non autem Auctoritatem, prout in omnibus quidem Editionibus hactenus vulgatis, sine sani sensus auctoritate, vt ita dicam, pessime legitur. Sic enim iam dudum PLINIVS, *Lib.* XXX. *cap.* 6. *Sunt colores austeri, aut floridi,* et ibidem, *c.* 10. *floridis coloribus Austeritatem daret:* item *Lib.* XXXVII. *cap.* 5. de Smaragdis Scythicis: *nullis maior Austeritas*, et mox ibidem, nonnullis interiectis: *tenorem illum Scythicae Austeritatis non semper custodiunt.* Vbi pari plane scribarum vitio, in Veteribus Libris MSt. *Auctoritatis*, scriptum olim fuisse, scite obseruauit CL. SALMASIVS, in *Exercitat. Plinian. pag.* 140. vbi solide, docte et fuse, vt solet, tractat de hac ipsa *Lucis et colorum Austeritate*, quod et iam antea, pari diligentia, fecerat in doctissimo *Commentario* ad TERTVLLIANI *Lib. de Pallio, p.* 135. *sqq.* Conf. et huc nouissime STRVCHTMEYERI *Animaduers. Crit. Lib.* II. *cap.* 13. *pag.* 173. Est vero *Austeritas*, hoc quidem praesertim loco, ille eximius et exsplendescens inprimis fulgoris vigor, qui ex luce ac coloribus in oculos vehementer vibrat. Iterum huc PLINIVS, *Lib.* IX. *cap.* 38. *pelagii nimiae nigritiae dat austeritatem nitoremque*, et *cap.* 36. *Color austerus in glauco:* Sed clarius adhuc, *Lib.* XXXVII. *cap.* 7. de *Sandastro*, gemma lucidissima: *Mares Austeritas distinguit, quodam vigore apposita tingens.* Omitto iam alia passim apud PLINIVM in hunc sensum obuia. Sic et pariter Graecis est φωτὸς καὶ χρωμάτων αὐστηρότης, πικρότης, βαρύτης καὶ ὀξύτης, qui et inde dicunt φῶς αὐστηρόν, πικρόν, βαρύ, καὶ ὀξύ, item χρῶμα αὐστηρόν, καὶ πικρόν; qua de re plura SALMASIVS, loc. cit. *pag.* 141. et ad Tertull. l. c. *Lucis* vero *importunitas*, CAEL. AVRELIANVS, felici audacia dixit loc. allegat, *p.* 316.

tinus praestringit, hebetatque, dolorem, aut lippitudinem ingerit, lacrymas euocat, caliginem offundit, aut ipsam demum moestam caecitatem inducit, prout exemplis constat DEMOCRITI, vti quidem traditur, et aliorum, tum philosophorum veterum, tum anachoretarum, mundi *optimi* scilicet, pertaesorum, et pretiosissimo oculorum munere vix dignorum. Vt taceam iam crudelissimum illum DIONYSII SICVLI morem, miseros suos captiuos loco obscurissimo prius diu detentos, immisso subito lumine splendidissimo, excaecandi, quem solus, nisi fallor, commemorat GALENVS, loco mox allegando. Hoc nempe est, quod scite dixit SENECA, in *Hercule Furente*, 652. *sqq.*

Torpet acies luminum,
Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.

Inde pulchre hanc in rem XENOPHON o): ὁ ἥλιος οὐκ ἐπιτρέπει τοῖς ἀνθρώποις ἑαυτὸν ἀκριβῶς ὁρᾷν, ἀλλ' ἐάν τις αὐτὸν ἀναιδῶς ἐγχειρῇ θεᾶσθαι, τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται: *Sol non permittit hominibus, vt se accurate inspiciant; sed si quis impudenter eum spectare conetur, videndi facultatem amittat* Quod CICERO p) ita eleganter expressit: *Intueri solem aduersum nequitis, eiusque radiis acies vestra sensusque vincitur.* Quin et dudum ipse noster HIPPOCRATES q): Τὸν ὀφθαλμὸν ἀνιᾷ πάντα, ὅσα λαμπρότερα ἢ κατ' αὐτόν ἐστι: *Oculum omnia moleste afficiunt, quaecunque splendidiora sunt, quam ipse est.* Quo et respexit BASILIVS MAGNVS r), breuius quidem, ac CHRYSOSTOMVS, supra laudatus; sed tamen aeque vere ac concinne: Τὸ ἄγαν λαμπρὸν ἀμαυροῖ τὰς ὄψεις, *Quod nimis splendidum est, oculos obscurat.* Siue, vt PLINIVS s) elegantius loquitur: *Colorum claritas oculorum aciem offendit.* Qua de re plura et argumenta, et exempla singularia, vid. si libet, apud GALENVM t) et ipsius doctissimum enarratorem, CASP. HOFFMANNVM u). Sed audiamus denique

LVCRE-

o) *Momorabil. Lib.* IV. *pag.* 634.

p) In *Somn. Scip.* §. 47. Edit. nostrae, vbi vid. si placet, *Notas*, *pag.* 421. *Tom.* I. *poemat.*

q) *Lib. de Princip. aut Carnibus*, *p.* 123. *Tom.* I. *Opp.* per LINDENIVM.

r) *Homil.* XIV. *in Ebrietatem*, *p.* 423, *Tom.* I. *Opp.* Edit. Paris.

s) *Hist. Nat. Lib.* XXXV. *cap.* 10. *T.* III. *pag.* 438. Edit. Elzeuir.

t) *Lib.* X. *de Vsu partium*, *Cap.* 3. et *sqq.*

u) In *Comment.* ad istum praestantissimum

LVCRETIVM x), ſi lubet, meliorem verſu, quam verſus argumento:

Splendida porro oculi fugitant, vitantque tueri:
Sol etiam caecat, contra ſi tendere pergas:
Propterea, quia vis magna eſt ipſius, et alte
Aëra per purum grauiter ſimulacra feruntur,
Et feriunt oculos turbantia compoſituras.
Praeterea ſplendor, quicunque eſt acer, adurit
Saepe oculos, ideo, quod ſemina poſſidet ignis
Multa, dolorem oculis quae gignunt inſinuando.

§. VII. Sonus quoque iuſto vehementior, grauior, acutior, aut aſperior, auditum grauat, obtundit, turbatque; ſaepe etiam plane tollit, inprimis vbi ſonitus auri ipſi nimis vicini vehementia teneram tympani membranam aut vltra modum relaxauit, aut plane rupit, qua de re plura apud auctores proſtant exempla memorabilia: Conf. interim THOM. BARTHOLINI *Anat. reform. Lib.* III. *cap.* 9. *pag.* 526. Verum ergo vtique illud ARISTOTELIS effatum y): γίνονται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν μεγάλων ψόφων δύσκωφοι, *a magnis nimium ſonis fiunt ſurdaſtri*: nec non ſimile iſtud BASILII MAGNI z): Οἱ τοῖς μεγάλοις ψόφοις καταχρούμενοι τῇ ἀμετρίᾳ τῆς πληγῆς, εἰς τὸ μηδὲ ἀκούειν παντελῶς περιάγονται: *Magnis ſonis ſtrepentibus percuſſi, ex nimio ictus ſonori exceſſu, eo tandem adiguntur, vt nihil prorſus audiant.* Quorſum tandem et illud pertinet CICERONIS zz), vbique certe notiſſimum: *vbi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altiſſimis montibus; ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret.* Qua de

mum GALENI Librum, *pag.* 225. *ſeqq.* vid. et FRACASTOR. *de Sympath. et Antipath. cap.* 14. item B. ADOLPHI Diſſert. *de Aegrotantium Conclaui, p.* 676. *Syllog. Diſſert. Med* et *pag.* 678. vt et GERARD. DE ROO, *Annal. Auſtriac. Lib.* V. *pag.* 164. vbi alius ſubtilior excaecandi modus, nempe per laminam ſplendide candentem, oculis ſubito propius obiectam, enarratur.

x) *Lib.* IV. *de Rerum Natura.*

y) *Lib.* II. *de Anima,* et *Lib. de Senſibus.* Conf. *Not. noſtr.* ad *Somn. Scip pag.* 420. *Tom.* I. *poem.*

z) *Homil.* XIV. in *Ebrietat. pag.* 423. *Tom.* I. *Opp.*

zz) *Somn. Scip* §. 46. vbi vid. ſi lubet, *Notas* noſtras, *pag.* 419. *ſqq. T.* I. *poemat.* Edit. I.

de re plura KIRCHERVS, in *Phonurgia*, et FRACASTORIVS, *de Sympathia et Antipathia*, *cap.* XIV. aliique.

§. VIII. Sapores porro nimis pungentes, acres, acerbi, aufteri, amari, falfi, feruentes ac frigentes, vt nonnullis quidem recentiorum phyficorum, placere video [a]), linguae torporem incutiunt, palatum exfurdant, et ingeniofam gulam, vt acute PETRONIVS ait, fatuam ac ftupidam reddunt. Vnde fcite rurfus LVCRETIVS [b]), fuauidicis fuis verfibus, vt ipfe eos vere vocat:

Haec vbi laeuia funt manantis corpora fucci;
Suauiter attingunt, et fuauiter omnia tractant
Humida linguai circum fudantia templa.
At contra pungunt fenfum, lacerantque coorta,
Quanto quaeque magis funt afperitate repleta.

Qui et alibi in eundem cecinit fenfum [c]):

Huc accedit, vti mellis lactisque liquores
Iucundo fenfu linguae tractentur in ore.
At contra tetra abfinthi natura, ferique
Centauri foedo pertorquent ora fapore.

Similia fere leguntur apud TIMAEVM LOCRVM [d])). Huc et HORATIVS [e]):

Feruida quod fubtile exfurdant vina palatum.

SENECA quoque grauiter et eleganter [f]): *Ne quis intepefcat cibus, ne quid palato iam callofo parum ferueat; coenam culina fequitur.* Et alibi grauius adhuc elegantiusque [g]): *Quid fentire poffunt emortuae fauces, et occallatae cibis ardentibus.* Denique PLAVTVS [h]):

Nam nimis calebat (potio) *amburebat gutturem.*

Ii 2 §. IX.

a) Vid. VERDRIES, *Phyfic.* part. general. *cap.* 7. *pag.* 179. *fqq.* conf. et laudatos ibi Auctores varios, *pag.* 186.

b) *Lib.* IV. *de Rerum Natura.*

c) *Lib.* II. *de Rer. Natura.*

d) *Lib. de Anima Mundi, pag.* 558. in *Opufc. myth. phyf. et eth.* per TOM. GALE. Conf. FRACASTOR. loc. cit. *cap.* 24.

e) *Sat.* 8. *Lib.* II, *v.* 38.

f) *Epift.* LXXVIII. *pag.* 339. Conf. huc inprimis ATHEN. *Lib.* I. *cap.* 5. *pag.* 5. *fqq.* de PHILOXENO.

g) *Lib.* IV. *Quaeft. Natural. cap.* 13. *pag.* 533. Conf. fi placet, Differt. noftr. *de Fame lethali ex callofo Ventriculi ore, pag.* 37. *fqq.*

h) *Milite Gloriofo, Act.* III. *Scen.* 2.

§. IX. Soli ergo nunc odores adhuc ſuperſunt, et quidem ſuaues potiſſimum ac fragrantes, de quibus hic praeſertim ſermo eſt inſtituendus. Iſti vero, prima quidem fronte ita comparati eſſe videntur, vt, quoniam ſcilicet blandi, iucundi, recreantes, mulcentes leues, fugaces ac facile diſſipabiles, tametſi liberalius etiam admiſſi ac copioſius naribus ingeſti, tantum tamen ipſi olfactui nocere poſſe haud videantur; ac quidem fulgentiores luminis circumfuſi radii oculis, aut ſonantiores fragores auribus, aut denique acerbiores et auſteriores ſapores linguae ac palato officere ſoleant.

§. X. Sed haec licet ita omnino eſſe credantur; tamen ſecus ſeſe habere, ex mox vberius dicendis, clarius luculentiusque, opinor, pateſcet. Quo ſubtiliores enim, leuiores, ſuauiores et fragrantiores illi ipſi ſunt odores; eo ſimul nocentiores, ſuſpectiores et periculoſiores, praeſertim autem arctiori ſpatio incluſi, experientia teſte, ſaepius merito cenſendi ſunt. Quum enim ſplendores, ſonores ac ſapores, vbi iuſtum ſuum modum ſcilicet exceſſerint, ſingulis tantum corporis partibus, nempe oculis, auribus, atque linguae ac faucibus, nocere aliquando ſoleant; illaeſa tamen prorſus ipſius corporis totius integritate et ſanitate: odores e contrario, ſolis licet naribus recepti, non ſolis tamen naribus inhaerent; ſed mira ſua ſubtilitate volatili, altius potius penetrant, et contactis ſubito neruis, mox mutuo ipſorum commercio, ipſum cerebrum petunt; quin et pulmonibus ſimul illati, ſanguinem ipſum ſubeunt, ſicque per totum ſimul corpus longe lateque diffunduntur: nunc in ſalutem, nunc in ſalutis periculum, nunc denique in mortem ipſam, vt moeſta noſtra hiſtoria inter alia plura exempla, teſtatur. Qua de re omnium profecto optime et acutiſſime ita ſcripſiſſe videtur magnus noſter HOFFMANNVS, nunquam interiturus *):

Quando

*) *Medicinae Rat. Syſtemat. Tom.* III. *Sect.* I. *cap.* 5. *p.* 310. *Tom.* I. *Opp.* Quem et inprimis vid. *Tom.* I. *Med. Rat. Syſtem. Lib.* I. *Sect.* III. *cap.* 4. *pag* 93. Cui add. SCHNEIDERI noſtratis, Tract. *de Oſſe cribriformi et organo odoratus, pag.* 239. *ſeqq.* item THOM. WILLIS, *de Anat. Cerebri, Cap.* 21. *pag.* 109 *ſqq. Tom.* I. *Opp.* praeſertim vero CASP. BARTHOLINI Fil. *Diſquiſit. de vero Olfactus Organo*, in *Act. med. Hafn.* THOMAE patris, *Vol.* V. *Sect.* XVI. *pag.* 61. *ſqq.* vt nihil iam de CASSERIO, BELLINO. STENONE, MOLINETTO, EVSTACHIO RVDIO, VALLESIO, aliisque, dicam, qui *de Odoratus Organo* ſcripſere.

Quando vapor ſuaueolens, odore per nares ſuſceptus, neruorum ramulos, ex quinta coniugatione prodeuntes, praeter naturam, afficit; protinus huius inſoliti motus communicatio, mediante pari intercoſtali et octauo, tranſit ad fauces atque ventriculum, cor et pulmones, vnde horum ſymptomatum ratio petenda eſt. Hactenus oraculum illud Hoffmannianum.

§. XI. Iſti ergo ambiguae ſane naturae odores non in ſola ſuperficie haerent, nec ſingulares tantum ac ſeparatas corporis partes adoriuntur; ſed totum potius corpus occupant, vti iam monui, immo animam quoque ipſam, ſi ita quidem ſano ſenſu, dicere liceat, tum nempe omnibus ipſam ſenſibus orbant, et letalem lethargum incutiunt. Hinc ſplendores, ſoni ac ſapores ſingulis tantum corporis partibus nocent; aſt odores vniuerſo corpori: illi nocent ſolum; non autem necant. Hi contra nocent et necant: ipſisque prae iſtis omnibus palma nocendi eſt relicta. Quod licet creditu admodum difficile videatur; tamen re ipſa veriſſimum eſſe, ex iis, quae dicenda adhuc reſtant, quiuis, credo, protinus odorabitur, qui naſum habet emunctiorem.

§. XII. Nimirum ex omnibus corporibus odoriferis, v. g. plantis, floribus, aromatis, vnguentis, et id genus aliis, iugi veluti et perenni ſcaturigine, continuo vndatim quaſi emanant quaedam corpuſcula, ſeu effluuia minutiſſima, ſubtiliſſima et acutiſſima, quae LVCRETIVS *ſemina* et *ſimulacra*, vocat [i]), CELSVS [k]) *corpuſcula*, et CAELIVS AVRELIANVS [l]) *defluxiones*: Graeci vero, vt PLATO, ARISTOTELES, PLVTARCHVS, ALCINOVS, CLEMENS ALEX. ATHENAEVS, DIODORVS SICVLVS, THEOPHRASTVS, ARETAEVS, aliique plures, dicunt ἀπόῤῥοιας, ἀποφορὰς, ἐκπνοὰς, ἐκβολὰς, item ἀναθυμιάσεις, ἀποθυμιάσεις, ἀποπνοίας, ἀποπνεύσεις, ἐπαναφορὰς, ἀτμίσεις ἀτμισμὸυς: de quibus miranda prorſus et inaudita antehac, tribus ſingularibus Exercitationibus, cedro digniſſimis, quondam protulit ille

 intimus

i) *Lib.* II. IV. et VI. *de Rerum Natura.*
k) In *Praef. Operis, p.* 5. et alibi in ſequentibus.
l) *Lib.* I. *cap.* 15. *de Morb. Acut. p.* 47. et *Lib,* III. *cap.* 9. *pag.* 219. vbi male *deflectio* legitur, pro *defluxio*; *Influxio* autem extat *Lib.* II. *cap.* 37. *pag.* 160, et alibi.

intimus Naturae ſodalis, ſiue, vt ita dicere liceat, ipſa Natura loquens, ROBERTVS BOYLE [m]): qui omnes reliquos, qui poſt ipſum idem argumentum arduum ac ſubtile tractarunt, longiſſime vicit ac ſuperavit, velut aethereus Sol reliqua pallentia ſidera.

§. XIII. Inde huc egregie et ſignificanter, vt ſolet, laudatus iam ſaepe LVCRETIVS [n]):

Nunc age, quo pacto nares Adiectus odoris
Tangat, agam: Primum res multas eſſe neceſſe eſt,
Vnde fluens voluat varius ſe fluctus odorum.
Nam fluere, et mitti vulgo, ſpargique putandum eſt.

Mox vero eadem venuſtate et emphaſi vocat *odorum plagam*, et rurſus infra, *plagam manabilem*, item alibi in eundem ſenſum [o])!

Vſque adeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter
Fertur, et in cunctas dimittitur vndique partes;
Nec mora, nec requies interdatur vlla fluendi.
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores.

Quemadmodum etiam pari elegantia dixit CLEMENS ALEXANDRIN. [p]): Ἐντεῦθεν καὶ τὸ ῥόδον ἐπωνομάσθαί φασιν, ὅτι πάμπολυ τῆς ὀδωδῆς ἀφίησι ῥεῦμα, quae ſcilicet commode et eleganter latine ita reddi poſſunt ſtilo quidem LVCRETIANO: *Inde et Roſam graece ῥόδον, nominatam eſſe dicunt, quod ingentem odoris fluctum continuo emittit.* Quae vero

m) Nempe I. *de Effluuiorum mira ſubtilitae*, II. *de Natura eorum determinata*, et III. *de illorum inſigni Efficacia*, quibus add. Tract. *de Atmoſphaeris*. Conf. BORRICHII *Diſſ Acad.* 8. *Tom.* I. *p.* 421. *ſeqq.* et ill. VAN SWIETEN, *Comment. Tom. I. pag.* 773.

n) *Lib.* IV. *de Rerum Nat.*

o) *Lib.* VI. *de Nat. Rerum.*

p) *Paedagog. Lib.* II. *cap.* 8. *pag.* 181. Res autem ipſa hic verior eſt, quam Etymologia, quae valde dura videtur. Forte ſcriptum olim fuerit, ῥόθον, ſeu ῥόθιον eleganti ſcil. paronomaſia, quod idem, ac ῥεῦμα, vel κῦμα, ceu notum ex HESYCH. EVSTATH. et aliis, et in margine, explicationis gratia, poſitum ῥεῦμα, quod deinde, vt ſaepe fit, in ipſum contextum irrepſerit, ceu notius, et illud ignotius ῥόθον, ſeu ῥόθιον, expulerit. VOSSIO quoque in *Etymol. pag.* 437. iſta vulgaris Etymologia diſplicet: Sed illi longe peiorem ſubſtituit: putat enim τὸ ῥόδον, eſſe ex ורדא *Varda*, quod in *Targum*, aliquoties ſumitur pro *Roſa*. Mirum vero eſt, ſummum iſtum Virum tum non animadvertiſſe, illud ipſum ורדא ſeu ורד purum putum Graecum eſſe ῥόδον: per leuiſſimam

vero ipſa ex PLVTARCHO *) deſumta ſunt, vbi ſcilicet iiſdem plane verbis leguntur. Sed et ῥεύματα ὀδμῶν, ſeu *fluctus odorum*, pari lepore dixerunt THEOPHRASTVS, GALENVS, DIOSCORIDES, ATHENAEVS, et alii plures, vt poetas iam taceam.

§. XIV. Hi vero ipſi ſilentes quaſi odorum fluctus, ex corporibus nempe odoratis perpetim exundantes, haec, inquam, effluuia ſubtiliſſima continuo emanantia, totum aërem ipſis quidem circumfuſum ſenſim replent, ſicque aëri ipſi intertexta quaſi et interiecta, ipſius veluti remigio, ad nares demum humanas etiam e longinquo, deferuntur. Hinc recte hanc certe in rem, MAXIMVS TYRIVS q): αἱ τῶν θυμιαμάτων ὀδμαὶ καὶ τοῖς πόῤῥω ὖσι προσέβαλον, ἀνακεράσασαι τὸν διὰ μέσυ ἀέρα τῇ εὐωδίᾳ: *In ſuffitibus fieri ſolet, vt eorum odor fragantiae ſuae ſuauitate, medio interfuſus aëri, ad eos, qui longiſſime abſunt, diffundatur.* Sed luculentius adhuc DIODORVS SICVLVS r), de Sabaeis, ſiluarum fertilitate odorifera ditiſſimis: Κατὰ τὴν ἐαρινὴν ὥραν, ὅταν ἄνεμος ἀπόγειος γένηται, συμβαίνει τὰς ἀπὸ τῶν σμυρνοφόρων δένδρων, καὶ

mam enim literarum tranſpoſitionem, fit רודא *Roda*, ῥόδα. Sicut mox ibidem legitur נרקים *Narkim*, id eſt *Narciſſi*. Permultas enim voces mere graecas et in illis *Targumim Chald.* et apud veteres Hebr. Magiſtros, ſeu Rabbinos, paſſim occurrere, nemo fere neſcit. Sic v. g. תיקא θήκη אפיטרופוס, ἐπίτροπος, אנדרולומסיא, ἀνδρολοιμος, ſeu ἀνδρολυμασία, פולימרכוס, πολέμαρχος, פרקליטא, παράκλητος, הירדופני, ῥοδοδάφνη, et talia plura a BVXTORFIO SCHINDLERO, et aliis diligenter notata. Quin et, quod magis mirum, apud ipſum adeo DANIELEM, quaedam voces pure graecae leguntur, veluti פסנטרין, ψαλτήριον, פטש, πέτασος, סומפניא, συμφωνία, et alibi, רפסדות, ῥαψῳδία, vt plura iam taceam, a GROTIO, CAPPELLO, MERCERO, MORINO, DE DIEV, BVXTORFIO, TVRRETINO, BOVGET, DRVSIO, MICHAELI, item PETAVIO, ad THEMIST. *Orat.* XXI. *pag.* 510. et aliis multis ſtudioſe collecta et obſeruata. Sunt enim haec ipſa alterius omnino loci: quae tamen inuitante ſic ſponte commoda hac occaſione, amoenae Varietatis gratia, plane praetereunda haud cenſui: Nec de Venia ab aequo lectore facile impetranda, hinc prorſus deſpero.

*) *Lib.* III. *Sympoſ. Quaeſt.* I. *p.* 648. *T.* II. *Opp.* Conf. ROSENBERG. *Rhodolog. part.* II. *cap.* 3. *pag.* 158. et de la CERDA, ad VIRGIL. GEORG. IV. *pag.* 492. item IO. BOD. A STAPEL, ad THEOPHRAST. *Hiſt. Plant. Lib.* VI. *p.* 646.

q) *Diſſert. Philoſoph.* XVIII. *p.* 178.

r) *Bibliothec. Hiſt. Lib.* III. *cap.* 46. *pag.* 214. *Tom.* I. Edit. Cel. WESSELINGII: Conf. THEOPHRASTI *Hiſtor. Plant. Lib.* IX. *cap.* 7. et ibi BOD. A STAPEL.

καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιέτων ἀποπνεομένας εὐωδίας διϊκνεῖσθαι πρὸς τὰ πλησίον μέρη τῆς θαλάττης· Κομιζέσης γὰρ τῆς ἄυρας τὴν ἀπόρῥοιαν τῶν εὐωδεςάτων, προσπίπτει τοῖς πλέεσι τὴν παράλιον προσηνὲς καὶ πολὺ, πρὸς δέ τέτοις ὑγιεινὸν καὶ παρηλλαγμένον ἐκ τῶν ἀρίςων μίγμα, κ. τ. λ. *Veris tempore, excitatus e terra ventus, e Myrrhiferis et id genus ceteris arbuſtis, exhalantes Odorum auras in vicinas maris partes transmittit. Dum enim euaporantes fragantiſſimorum germinum ſpiritus aurae transportant; fit, vt iucunda et copioſa, nec non ſanitati conducens, et inuſitata ex optimis rebus, miſtura ad oram illam legentes deferatur.* Cui geminum plane alibi infra s), apud eundem legitur, de Enna Siciliae florigera odoriferaque, et violis praeſertim laete lateque conſita, violento Proſerpinae raptu quondam nobilitata. Sed locus, etſi venuſtus oppido; tamen verboſior videtur, quam vt huc quidem commode transferri poſſit. Interim tamen ipſe lectu dignus ac iucundus eſt; nec quenquam putem, poenitebit, illum propter ſpirantem quaſi picturam, diligentius euoluiſſe. Ceterum vero de hac ipſa re vberius accuratiusque tractarunt THEOPHRASTVS t) atque GALENVS u) iam ſaepe laudati, vt plures alios nunc taceam, quos inter maxime eminet magnus BOYLIVS x), item BOHNIVS heu! olim noſter y).

§. XV. Quamdiu igitur corpora odorata ſubtiliſſima et acutiſſima ſua effluuia in vaſta patentis coeli ſpatia libere diffundunt, ita, vt iſta perpetuo recentis, puri frigidique aeris interuentu, ſubinde ventilari, diſſipari ac temperari poſſint: vti exempli cauſſa, *Xyſtus ille violis odoratus*, PLINII z), *Roſaria et Violaria praeſtana bifera*, ab omnibus

s) Ibidem, *Lib.* V. *cap.* 3. *p.* 331. *Tom.* I. *Opp.*

t) *De Cauſſis plantar. Lib.* VI. *cap.* 27. 28. et 29. et ſpeciatim, Libro *de Odoribus.*

u) *Lib. de Odoratus Inſtrumento, pag.* 208. *ſqq. Opp.* Graec. Baſil. *Tom.* I. Add. ARISTOT. *Lib. de Anima cap.* 12.

x) Tract. *de Atmoſphaeris*, et reliquis tribus Exercitationibus, *de Natura et ſubtilitate Effluuiorum*, ſupra laudatis.

y) *Circul. Anat. Phyſiol.* Progymnaſ. XXV. *pag.* 332. *ſqq.* et in *Diſſ. Chem.* X. et XIV. Add. SCHNEIDER. *de Odoratus Organo, pag.* 240. *ſqq.* et I. S. VOSSIVS, ad *Catull. pag* 208. item OL. BORRICHII *Obſ.* 48. *Vol.* V. *Act. med. Hafn p.* 135. *ſq.*

z) *Epiſt.* 17. *Lib.* II. vbi vid. interpretes varis, in Edit. *Cortii.*

omnibus fere poetis certatim quasi decantata [a]), *prata Ennensia* suauissima, a DIODORO SIC. supra iam allegato [b]), CLAVDIANO [c]) et aliis, celebrata, *horti amoenissimi* CYRI *Sardiani, a* XENOPHONTE [d]) eiusque magno interprete CICERONE [e]) laudati, *Rosarium* illud odoratissimum *Ausonianum* [f]), hortus iste TARQVINII *odoratis cultissimus herbis*, ab OVIDIO [g]), LIVIO [h]), aliisque mansurae famae traditus, aliaque id genus plura iucundissimi odoris Viridaria, Rosaria, Violaria, Lilieta, prata et nemora [i]): Tamdiu, inquam, ista hominum sanitati iuxta voluptatique oppido inseruiunt, reficiendisque languentibus animi corporisque viribus blande subueniunt.

§. XVI. Hinc recte in hunc sensum ex ARISTOTELE PLVTARCHVS [k]) Μύρων, ἀνθέων, καὶ λειμώνων εὐώδεις ἀποπνοίας, οὐκ ἔλαττον ἔχειν τοῦ πρὸς ἡδονὴν, τὸ πρὸς ὑγείαν, ψυχρὸν ὄντα φύσει καὶ παγετώδη τὸν ἐγκέφαλον ἠρέμα τῇ θερμότητι καὶ λειότητι διαχεούσας: *Vnguentorum, Florum, pratorumque suaues fragrantias non minus ad sanitatem facere, quam ad voluptatem: quod eae cerebrum natura frigidum, et ad concretionem procliue, sensim suo calore et laeuitate relaxent.* Quorsum et acute respexit suauidicus ille ARETAEVS [l]): Ἔςω δὲ καὶ εἰς λειμῶνας, καὶ πηγάς· καὶ γὰρ καὶ τὸ εὔπνοον τῶνδε, καὶ ἡ θυμηδίη, καὶ τὴν ψυχὴν θάλπει, καὶ τὴν φύσιν ζωγρεῖ: *Moretur autem languens et prope virentia prata, fontesque: nam ab his emanans bonus halitus, et mentis delectatio animum*

a) Nempe VIRGILIO, OVIDIO, RROPERTIO, STATIO, CLAVDIANO, MARTIALI et aliis. Vid. de la CERDA ad VIRGIL. *Georg.* IV. *pag.* 495. PASSERAT. ad PROPERT. IV, 5. BARTH. ad STAT. VII. *Theb. p.* 686. *Tom.* III. et ad CLAVDIAN. et plures alios.

b) *Lib.* V. *cap.* 3. *pag.* 331.

c) *Lib.* II. *de Raptu Proserpinae:* add. inprimis OVID. *Lib.* IV. *Fastor.* 430. *sqq.*

d) *Lib. Oeconomico*, seu de *Administratione domestica, pag.* 655.

e) *Lib. de Senectute, cap.* 17.

f) *Idyll.* XIV. quod a nobis olim versu patrio redditum, *Tom.* I. *Poemat. pag.* 227. *seqq.*

g) *Lib.* II. *Fastor.* 703.

h) *Lib.* I. *cap.* 54. DIONYS. HALICARN. *Lib.* IV. *pag.* 135.

i) Quae magno numero coniunctim recenset de la CERDA, ad VIRGIL. *Georg.* IV. *pag.* 494.

k) *Lib. de Iside et Osiride, p.* 383. *T.* II. *Opp.*

l) *Lib.* II. *de Morb. Acut. Curat. cap.* 3. *p.* 102. Edit. BOERHAAV. cum Emend. nostris.

mam fouet, et naturam suscitat. Venuste quoque huc CLEMENS ALEXAND. m) ἦρος μὲν γὰρ ὥρα, λειμῶσιν ἐνδρόσοις, καὶ μαλακοῖς ποικίλοις χλοάζουσιν ἄνθεσιν ἐνδιαιτᾶσθαι καλὸν, αὐτοφυεῖ καὶ εἰλικρινεῖ τινι εὐωδίᾳ, καθάπερ τὰς μελίττας, τρεφομένους: *Ver est in roscidis pratis, et mollibus variisque germinantibus floribus, degere pulchrum est, natiua et sincera odoris suauitate, apum more, fruentes.* Inde hoc ipso sensu, sano scilicet et iusto, sapienter quondam pronunciauit ALEXIS, vetus Comicus, apud ATHENAEVM n):

ὑγιείας μέρος
Μέγιστον, ὀδμὰς ἐγκεφάλῳ χρηστὰς ποιεῖν.
Maxima bonae valetudinis pars.
Odores Cerebro bonos et vtiles subinde obiicere,

ὅτι, quod explicationis gratia scite addit ATHENAEVS ipse, αἱ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ ἡμῶν αἰσθήσεις ὀδμαῖς ἡδείαις παρηγοροῦνται, προσέτι τε θεραπεύονται: *quoniam scilicet sensus in nostro cerebro collocati suauibus odoribus demulcentur, atque inde etiam insuper medicinam ac solatium quasi accipiunt.*

§. XVII. Simul ac vero e contrario suaues eiusmodi et fragrantes odores potissimum exhalantur in spatio nimis angusto, vel clauso, et nulli liberioris puriorisque aëris accessui peruio; ita vt tota illa plaga aërea exigua et arctius circumscripta, illis ipsis effluuiis vaporiferis penitus oppleatur, et inde tota quasi mutata, vitietur: tum sane et omnis sperata voluptas protinus perit, beneficium inauspicato peruertitur in veneficium, vt sic loquar, et ipsa sanitas, quin et ipsa adeo vita, maximo in discrimine versatur, dum primo partibus praecipue neruosis νάρκωσις inducitur, deinde et νέκρωσις, vt triste miserandae nostrae puellae exemplum, inter alia plura, liquido ostendit, cui nempe, duri inclementia fati, ἴον ἐτράπετο εἰς ἰὸν, καὶ εὐωδία ἐγένετο ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον, vt sic cum Viro sanctissimo, sed sensu proprio et naturali,

m) *Paedagog. Lib.* II. *cap.* 8. *p.* 179.

n) *Deipnos. Lib.* XV. *cap.* 10. *pag.* 687. et *Lib.* II. *cap.* 7. *pag.* 46. vbi Versus isti pleniores, quos et laudat CLEMENS ALEXANDR. *Lib.* II. *Paedagog. cap.* 8. *pag.* 179.

naturali, loqui mihi liceat. Inde apposite forsan, ad hunc nostrum casum lugubrem, ARTEMIDORVS o): Ἴα πορφύρεα καὶ θάνατον σημαίνουσι: Violae purpureae et ipsam mortem nonnunquam significant.

§. XVIII. Neque enim latentes licet illos, vehementes tamen odorum fluctus circumiectum aera continuo inundantes, vt cum poeta loquar, impune perferre possunt nerui, et per illos cerebrum ipsum; neque pulmones aerem istum sic odoriferis particulis ac corpusculis peregrinis totum infectum, pinguem, spissum et quasi vnguentatum, vt sic cum PLAVTO loquar, commode libereque haurire, atque in sanguinem ipsum, ad ipsius circuitum facilius feliciusque continuandum, opportune transmittere. Vnde potius *capita* pectoraque *vastitate odoris replentur*, vt PLINIVS *) apposite ait, porro libera alias facilisque respiratio, molestis quasi vinculis iniectis, reprimitur ac retardatur, aequalis sanguinis circumlati motus extra naturale suum aequilibrium actus, nunc in citatiorem cursum, nunc in lentiorem progressum abripitur, et omnis denique oeconomia animalis vehementer turbatur, quin et saepius plane destruitur et aboletur. Hinc vero prudenterque monuit GALENVS p): Ταύτην ἀέρος ποιότητα οὐκ εἶναι οἰκείαν τε καὶ φίλην τῷ τοῦ ζώου πνεύματι, ἀλλ' ἀλλοτρίαν τε καὶ φθαρτικήν, *Istam quidem aeris multis grauibusque odorum valentiorum effluuiis foeti et infecti, qualitatem tum haud amplius esse familiarem et amicam ipsi animalis respirationi; sed peregrinam potius, alienam, perniciosam, et corruptionem inducentem:* Qui et alibi generatim scripsit q), *omnia odorata vehementiora caput laedere,*

o) *Lib.* I. *Oneirocrit. cap.* 79. *pag.* 66.

*) *Lib.* XXXI. *cap.* 6. *Hist. Natur.*

p) *Lib.* VII. *de Vsu Partium, cap.* 10. vbi vid. HOFMANNVM in *Comment. pag.* 142. et praesertim PETRI PETITI *Comment.* in ARETAEVM, *p.* 146. Conf. et MARCELL. DONATI *Hist. Med. mirabil. Lib.* II. *cap.* 6. *p.* 175. *sqq.* item nouissime Cl. CRANTZ, *Tom.* III, *Mat. Med. p.* 98. *sqq.*

q) Lib. nempe *de Empirica Subfiguratione*, et *Lib. de Instrumento Odoratus*, *c.* 6. Conf. IO. MARTINI *Comment.* in HIPPOCRAT. *Lib. de Morb. Intern. p.* 448. praecipue vero ill. LINNAEI Tract. *de Viribus Plantarum*, vt et *de Odoribus Medicamentorum*: vbi praesertim luctuosa exempla prostant de odore florum *Nerii*, seu *Rhododaphnes*, in cubiculo clauso, nimis secure dormientibus saepius mortifero, quae omnino huc faciunt. Qualia et nobis cognita de *Hyacinthis Indicis Tuberosis*, sic dictis, qui si non ipsam semper mortem; tamen grauissimum sensuum stuporem et capitis dolorem saepissime intulerunt.

dere, grauare, implere, et ad delirium interdum cogere. Quod et dudum ante ipſum monuit THEOPHRASTVS [r]): ὁ ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν ὀσμῶν τρόπος, ὥσπερ μεθύσκων τὴν αἴσθησιν καὶ καρηβαρῶν ποιῶν, συμπληροῖ τοὺς πόρους: *Modus a valentioribus odoribus, ſenſum quaſi inebrians, et ſtuporem grauitatemque capitis inducens, ipſos meatus replet et obſidet.* Quo etiam PLVTARCHVS reſpexit [s]): αἱ ὀσμαὶ τοξεύουσιν ὑπὸ θερμότητος εἰς τὸν ἐγκέφαλον ἁρπαζόμεναι ταῖς ὀσφρήσεσι: *odores a calore eiaculantur in cerebrum, rapientibus eos naribus.* Nec non CAELIVS AVRELIANVS [t]): *Odore carbonum vel vnguentorum aliorumque, ſenſuumque oppreſſione vel torpore afficiuntur.* Sed iam dudum ante hos omes ipſe noſter HIPPOCRATES [u]) breuiter quidem, vt ſolet, at grauiter tamen ac ſapienter ſcripſerat: Ὀδμαὶ τέρπουσαι, λυποῦσαι, πιμπλῶσαι, πειθόμεναι: *Odores ſunt vel delectantes, vel offendentes, vel implentes, vel placantes:* licet ibi poſtrema quidem vox vitium aliquod redolere videatur, de quo mox hic infra nonnulla monere, ius fasque nobis ſit [x]).

§. XIX.

r) *Lib. de Odoribus, pag.* 450. *Opp.* per DAN. HEINSIVM.

s) *Lib.* III. *Sympoſ. Quaeſt.* I. *p.* 647. *Tom.* II. *Opp.*

t) *Lib.* II. *de Morb. Acut. C.* 10. *p.* 105.

u) *Lib.* VI. *de Morb. Epidem. Sect.* 8. *p.* 819. *Tom.* I. *Opp.* per LINDENIVM.

x) Hae ipſae nempe ὀδμαὶ πειθόμεναι, ſuſpectum non nihil odorem mihi omnino habere videntur; licet prima quidem ſpecie, aliquid blandum, placidum, obſequioſum ac facile cedens et obtemperans, ſpirent atque referant. Haud equidem ignoro, ipſum illud verbum πείθεσθαι, et ex ipſo deriuata, εὐπειθής, δυσπειθής et ἀπειθής, κ. λ. per elegantem metaphoram, rebus etiam inanimatis, apud optimos Auctores quosuis, ſaepius attribui. Sic ipſe noſter HIPPOCRATES, *Lib.* II. *de Morb. Mul pag.* 557. *Tom.* II. et alibi, ſcite dixit: ὑστέρας εὐπειθῆσαι, et HERODIANVS, *Lib.* I. *cap.* II. πεισθῆναι τὸ σκάφος, quod perperam mutabat STEPHANVS in σεισθῆναι: item ARETAEVS, *pag.* 28. de Epilepſia: Ἔξοδον πείθεται, et rurſus *pag.* 125. de Melancholia: σμικροῖσι ἄκεσι οὐ πείθεται. Quemadmodum inuicta podagra, apud LVCIANVM, in *Tragopodagra, pag.* 820. *Tom.* II. ſuperbe de ſe iactat: φαρμάκοις οὐ πείθομαι, *Remediis haud obtempero, aut flector.* Ita et εὐπειθὴς ὕλη, legitur apud PLAT. PLVTARCH. et GALEN. οὐσία, apud MARC. ANTON. κηρὸς, apud ARISTOT. et ATHEN. πηλὸς et ἄνεμος, apud eosdem: Εὐπειθὴς et ἀπειθὴς τόπος, occurrit in AELIANO et SVIDA, εὐπειθὴς τροφὴ, in PLVTARCHO, et, vt alia plura iam praeteream, εὐπειθὴς καὶ δυσπειθὴς κοιλία, in ipſo noſtro HIPPOCRATE. Haud dubie ergo ſic etiam venuſte et eleganter ὀδμαὶ dici poſſunt πειθόμεναι, et εὐπειθεῖς. Sed quum omnes odores, ſiue boni, ſiue mali, ſua quidem natura, ſint πειθόμενοι, vel εὐπειθεῖς, hoc eſt, *ſequaces, facile intrantes, cedentes et ductiles;* Hinc Vox iſta generalis

§. XIX. Quod igitur facete olim iocoſeque de foeminis dixerat lepidiſſimus PLAVTVS y):

Mulier recte olet, vbi nihil olet.

Quod acutiſſimum ὀξύμωρον pari quidem venuſtate, poſtea imitatus SENECA z): *Optimus odor in corpore eſt nullus*, et MARTIALIS eodem acumine a):

Non bene olet, qui bene ſemper olet.

Idipſum profecto vere ſerioque de ipſo praeſertim aere et aqua *) dici poteſt ac debet. Quo ſincerior enim purior, leuior, et ab omni odore, ſiue illo ſuaui, ſiue graui, liberior ac ſolutior vterque fuerit; eo ſemper tutior, melior et ſanitati vitaeque ipſi conuenientior erit. In-

ralis πειθόμεναι, minime profecto ſignificare hic poteſt ſpecialem quendam odorem, qui antecedenti πιμπλῶσαι, commode et iuſte opponi poſſit; vt tamen fieri debebat. Scilicet ſupra, oppoſitae ſibi erant ὀδμαὶ τέρπουσαι καὶ λυποῦσαι; nunc vero rurſus ſibi opponuntur πιμπλῶσαι καὶ πειθόμεναι, in quibus tamen, vt dixi, nulla iuſta eſt oppoſitio. Quare vix dubitem, quin hic, leuiſſima quidem mutatione, legendum ſit, ἠθούμεναι, h. e. *odores percolati*, ſeu *facile transeuntes et celeriter peruadentes*, accuratiſſima ſcil. oppoſitione, inter ὀδμὰς πιμπλῶσας καὶ ἠθουμένας, *odores* nempe *craſſos, pingues, implentes et inhaerentes*, et inter *ſubtiles, fugaces, penetrabiles* et *facile tranſmiſſos*. Sic vero appoſite prorſus, ad hanc ipſam noſtram coniecturam validiſſime confirmandam, TIMAEVS LOCRVS, *Lib. de Anima Mundi*, apud PLATON. *p.* 556. et in *Coll. Galean.* *p.* 559. ὀσμὰς εἴδεα διὰ στενῶν πόρων διηθεῖται, *Odoris ſpecies per anguſtos meatus percolantur*: et PLATO ipſe in *Timaeo, pag.* 541. ὀσμὴ συνδιηθεῖται, *odor ſimul percolatur*: Ipſe quoque HIPPOCRATES noſter, *Lib. de Princip. aut. Carn. pag.* 122. de Viſu loquutus: διηθεῖται τὸ λεπτότατον, *percolatur tenuiſſimum*: AGATHARCHIDES denique, nam ſtudio plura alia iam omitto, apud PHOTIVM, in *Bibliotheca*, *pag.* 742. θέρμα ἐκ πέτρας διηθεῖται, *Thermae ex petra percolantur*. Sed haec iam ſufficiant ad ſententiam noſtram ſtabiliendam. FOESIVS autem in *Oec. pag.* 296. et ad ipſum HIPPOCR. locum, illas quidem ὀδμὰς πειθομένας parum ſcite ac feliciter mihi explicaſſe videtur.

y) *Moſtellar. Act.* I. *Scen.* 3. Conf. huc RIGALT. ad ARTEMIDORVM, *p.* 35.

z) *Epiſt.* CVIII. *pag.* 443.

a) *Epigramm.* 12. *Lib.* II. et *Epigr.* 55. *Lib.* VI. conf. CAEL. RHODIGIN. *Lect. Antiq.* L. XIII. *cap.* 25. *pag.* 686. praeſertim vero copioſae *Variorum Notae*, ad PETRONII ARBITRI *Fragmenta*, *pag.* 671. *Edit. Burmannianae*, vbi plura ſimilia loca ex ipſo CICERONE, HIERONYMO et aliis, opportune allegantur.

*) Sed quid tum quaeſo, faciemus HIPPOCRATI, *Lib. de Aër. Aq. et Loc. pag.* 336. et *pag.* 333. aperte ſcribenti: ἄριστα ὕδατα εἶναι εὐώδεα καὶ κοῦφα, *optimas quidem Aquas eſſe odoratas ac leues*? quas tamen et in hoc ipſo Libro, et alibi, cum omnibus aliis Medicis et Phyſicis, rectius damnat. Scilicet haud dubie mendum redolet hic ipſe locus, licet perquam ve-

de optime PLINIVS, *Lib.* XXXI. *cap.* 3. *Aquam ſalubrem aeri quam ſimillimam eſſe oportet: Nempe aquarum ſalubrium ſapor odorue nullus eſſe debet.* Vnde perquam egregie huc PHYLLIDIVS, vetus Comicus, apud CLEMENTEM ALEXANDR. *Stromat. pag.* 569.

μέγιςον ἐςὶν ὑγιείας μέρος,
τὸ τὸν ἀέρ' ἕλκειν καθαρὸν, ȣ τεθολωμένον.

Hoc eſt, HVG. GROTIO interprete, in *Excerpt. Veterum Tragic. et Comicor. pag.* 898.

Nam ſanitatis pars haec eſt potiſſima,
Haurire purum ſpiritum, non turbidum.

Quod ſi tamen aut voluptatis, aut neceſſitatis gratia, aura ſuauior et odoratuſtum, et iam ipſa ATHENAEI aetate, ſic hunc ipſum locum vitioſe citantis, *Lib.* II. *cap.* 7. *pag.* 46. HIPPOCRATIS Codicibus mile illatum: Quod odoratus quidem fuit MERCVRIALIS, nec tamen ſuſtulit: SEPTALIVS autem in *Comment. pag.* 206. ne odoratus quidem, perquam dure frigideque explicuit, per *aquas nihil mali redolentes,* quem et ſecure nimis ſequutus MARTINVS, in *Comment.* ad iſtum Librum, *pag.* 41. Tollamus ergo iam bonum illum in Aquis odorem, omnino hic male olentem, legendo ſcilicet perquam probabili coniectura, ὕδατα ἔνοδα, h. e. *aquae cito currentes et labentes, et ad omnia corporis membra pervenientes,* vt loquitur CAEL. AVREL. *Lib.* II. *de Morb. acut. cap.* 39. *pag.* 175. quas alibi noſter vocat ἐυδιάπορα, πόριμα et ἐυδίοδα ὕδατα, vnde et τὸ ȣ̃ρον ἐυοδεῖν, ſcite dixit in *Coac. praenot. pag.* 557. Sicut THEOPHRASTVS *Lib. de odor. p,* 453. aromata et vnguenta odoratiora, ἐυδίοδα πρὸς πόρȣς, et ARETAEVS *pag.* 107. Ἐυδιόδȣς τροφὰς: Iterum THEOPHRASTVS, *Lib.* VI. *de cauſſ. plant. cap.* 6. *pag.* 331. τροφὴ φέρεται πρὸς τὸ ἐυοδȣ̃ν, et *Lib.* I. *cap.* 9. *Hiſt. plant. pag.* 11. de Radicibus pariter dixit ἐυοδεῖν: item DEMOSTHENES contra CALLICI. ἢ μὲν ἂν τὸ ὕδωρ ἐυοδῇ, quod et apud ARISTOTELEM, *Lib.* I. *de Generat. Animal.* legitur. Quo et illud praeſertim pertinet ATHENAEI *Lib.* III. *cap.* 13. *pag.* 92. τὰ ὄςρεα πρὸς τὰς ȣ̉ρήσεις ἐςὶν ȣ̉κ ἔνοδα. Veriſſimam vero eſſe hanc noſtram HIPPOCR. emendationem, liquidiſſime confirmat DIOSCORIDES, *Lib.* V. *cap.* 18. *pag.* 332. vbi manifeſto ait: ἄριςον ὕδωρ ἐἶναι τὸ ἀλύπως ἐυοδȣ̃ν, *optimam eſſe aquam, quae expedite, et ſine moleſtia, corpus permeat.* Quo ipſo ad hunc ipſum HIPPOCRATIS locum reſpexiſſe vtique videtur. Frequens autem in Vett. Libb. lapſus deprehenditur, inter ἔυοδα et ἐυώδεα, et inter ἐυωδία, et ἐυοδία, propter vicinam ſcilicet conuenientiam. Sic apud SIRACID. XXXVIII. 13. pro Ἐυωδία, legendum omnino eſſe Ἐυοδία, recte ibi monet GROTIVS, *pag.* 686. quem et vid. cum MILL. WOLF. et WETSTEN. ad *Philipp. IV,* 2. vt alia ſtudio iam praeteream. Sic etiam denique apud HIPPOCRATEM, *Lib. de Decenti Ornatu,* vulgo legitur, et forſan recte, τέχνην ἐυοδέα; in nonnullis vero Codd. veteribus ſcriptum deprehenditur ἐυωδέα, vt alias varietates iam taceam. Vid. interea FOES. in *Oecon. Hipp.* voce ἔυοδος, *pag.* 153. et CHARTER. ad GALEN. *Tom.* II. *Opp. pag.* 405.

odoratior ſit haurienda; ſemper id ſobrie, parce et modice fiat, ne ipſi ſenſus ſtupore aut torpore obtundantur, ipſum reſpirationis negotium interturbetur, milleque alia damna ac pericula mox accuratius recenſenda, exinde oriantur. Si quis enim exempli cauſſa, lucernis humore paene defectis, et iam occidentibus, oleum infundit modicum, et iuſta menſura dimenſum; tum flamma extremum iam fere lumen ſpargens, ſenſim excitatur et reuiuiſcit: ſi vero contra oleum nimium et immodicum affunditur; tum flamma ipſa protinus ſuffocatur atque extinguitur b). Sic modica odorum ſuauitas animam labantem erigit et reficit; at immodica eorum grauitas ipſam opprimit et conficit. Quo omnino ſpectat illud CHERAEMONIS, veteris Tragici, apud THEOPHRASTVM, de amore et vino, referente ATHENAEO, *Lib.* XII *cap.* 2. *pag.* 562. ὃς μετριάζων μὲν ἐςὶν εὔχαρις, πιτεινόμενος δὲ καὶ διαταράττων χαλεπώτατος: *Temperatus quidem ſuauis et amoenus eſt; praeter modum vero intentior ac vehementior, grauiſſime perturbat omnia.* Hinc *temperatae ſuaues ſunt deliciae, immodicae offendunt*, vt bene ait PHAEDRVS c) et *voluptates commendat rarior vſus*, vt IVVENALIS ſapienter dudum monuit d).

§. XX. Cuius rei ſingulare prorſus ac memorabile praebebant olim exemplum felices Arabiae, odorum fertilitate nobiliſſimae, infelices hac certe in parte, incolae, qui, referente DIODORO SICVLO e), item STRABONE f), AGATHARCHIDE g), et IO. TZEZE h), nec non PLINIO i), ac SOLINO k) commemorantibus, ex continua

b) Vid. MAX. TYR. *Diſſ.* XII. *pag.* 122. ex XENOPHONTIS *Sympoſ.* *p.* 693. Conf. STOBAEI *Serm.* XIX. *p.* 170.

c) *Fabul.* 86. *Lib.* V. vbi vid. RITTERSHVS. *pag.* 156. et reliquos Interpretes, apud BVRMANNVM.

d) *Satyr.* XI. fine: vbi vid. Interpretes varios. Conf. Diſſert noſtr. *de Tabaci ptarmici abuſu. pag.* 27. vt et *poem. noſtr.* T. VI. *pag.* 625. *not.* et *Tom.* II. *pag.* 204. in *Not.* item *Fabul. noſt.* XXIII *pag.* 48. et *Fab.* CXXIII. *pag.* 275. *ſq.* in *Notis.*

e) *Lib.* III. *cap.* 47. *pag.* 214 et ibi Cel. WESSELING.

f) *Lib.* XVI. *pag.* 535. Edit. CASAVB. I. Conf. REIES, *Elyſ. Camp. Quaeſt.* XCIII. *pag.* 702.

g) Apud PHOTIVM, *Bibliothec. pag.* 746. Edit. HOESCHEL. Auguſt. Vind. 1601.

h) *Chiliad.* VIII. *Hiſt.* 252. *pag.* 407. in *corpore poetarum Veterum Graecorum maiore, Part.* II.

i) *Lib.* XII *Hiſt. Nat. cap.* 17. fine.

k) *Polyhiſtor. cap.* XXXIII. vbi vid. inprimis SALMASIVS, in *Exercitat. Plinian. pag.* 382. *ſqq.* perquam copioſe et diſerte.

continua validiſſimorum et fragrantiſſimorum aromatum et odoramentorum exhalatione per totam illam plagam ad nauſeam vſque diffuſa, longo debilitatis ac languoris morbo affligebantur. Nam quia immoderata penetrandi vis corpora ipſorum perflabat, et ſolidam toroſamque partium compagem ad mollem laxitatem redigebat: Vix curabilis tandem exſolutio conſequebatur[l]). Idcirco bitumine, et hirci olentis barba foetida ſuffitum aegris faciebant, vt nimias fragrantiae vires contrarii odoris natura expugnarent. Quibus tandem ſaluberrimum hoc epiphonema, quod huc ad noſtrum inſtitutum vel maxime facit, ſuperaddit idem DIODORVS SICVLVS: τὸ γὰρ καλὸν ποσότητι μὲν καὶ τάξει μετρȣ́μενον, ὠφελεῖ καὶ τέρπει τȣ̀ς ἀνθρώπȣς, ἀναλογίας δὲ καὶ καθήκοντος καιρȣ͂ διαμαρτὸν, ἀνόνητον ἔχει τὴν δωρεάν. *Bonum enim, iuſta menſura et conuenienti ordine adhibitum, iuuat et delectat homines: a debito autem proportionis et temporis modo exorbitans, infructuoſam ſui largitionem habet.* Quod ipſum ipſe AGATHARCHIDES, quem ſequutus hic DIODORVS SICVLVS, ſic quidem expreſſit adhuc elegantius [m]); ȣ̔́τως ἅπαν ἐπίτευγμα μεσότητι μὲν καὶ τάξει κυβερνώμενον, παραπέμπει τὸν βίον· συμμετρίας δὲ καὶ καιρȣ͂ στερηθὲν, ȣ̓κ ἔχει τὴν κτῆσιν ὀνησιφόρον: *Sic omnis felicitas, quae quidem a mediocritate et ordine gubernatur, ad vitam placide iucundeque tranſigendam, plurimum confert: vbi vero eadem iuſta proportione et conuenienti opportunitate orbata fuit; tum nullam ſui poſſeſſionem praebet fructuoſam.*

§. XXI. A qua perquam notabili hiſtoria haud longius, opinor, abit ſequens iſta, quae quondam ſimilem fere in modum, contigit in hac ipſa noſtra vrbe, vt certe videtur, fortaſſe, vti credere quidem par eſt, tum meliore ac ſplendidiore, quam prout ea nunc proh dolor! viſitur; fatorum quippe iniquitate, vt mitius ſic loquar, in ſordidos cineres et miſerandum buſtum maximam ſui partem conuerſa. Ipſius vero auctoris, PHILIPPI nempe SALMVTHI, Anhaltini in vicinia Archiatri, verbis iſtam referre mihi hic liceat, ſed impetrata prius, vt ſpes

l) STRABO l. c. addit κάρον, καρȣ́μενοι ſcribens, ὑπὸ τῶν εὐωδιῶν, αἴρȣσι τὸν κάρον, κ. τ. λ. de quo vid. SALMAS. l. c. *pag.* 383.

m) Apud PHOTIVM, l. c. *p.* 746.

ſpes eſt, venia a delicatioris et purioris naris Lectoribus. Sic igitur ille n): *Carnifex Wittebergenſis curat quaedam in pharmacopolio comparari; ſeruus igitur ingrediens, et ſuauiter illam cum aromatum, tum vnguentorum atque aliorum pretioſorum fragrantiam naribus percipiens, linquitur animo. Accurrunt protinus miniſtri pharmacopoei, eumque aquis praeſtantiſſimis itemque oleis et balſamis ſuauiſſimis inungunt, at iſtis nihil proficiunt; ſed malum adhuc adaugent, vt etiam interitus illi imminere videatur. Fit igitur, prout moris eſt, aliorum concurſus. Iuter eos ipſe quoque carnifex, (dum forte fortuna frumentum coemit,) adeſt. Ohe! quid agitis! inquit: ac ſtatim illum ad cloacam defert, ſicque eum per conſueta ſibi, ibi reficit.*

§. XXII. Cui ſimillimum eſt, quod de quodam ruſtico Antwerpienſi, Myropolium forte ingreſſo, mox vero ex nimia odorum ſuauiſſimorum fragrantia, grauiſſimam ſyncopen paſſo, et denique pariter, eadem medicina ſordida foetidaque vitae reddito, refert LEVINVS LEMNIVS o), et poſt eum GVIL. MAGISTRAT p), IO. RVDOLPH. CAMERARIVS q), BOHNIVS noſter r), VERDRIES s), et, vt alios plures iam praeteream, ANTON. MIZALDVS t), qui tamen non vnius ruſtici mentionem facit, ſed plurium; ita nempe cum bona lectorum, nimis forte nauſeantium, venia ſcribens: *Sic videmus quoſdam ruſticos in aromatariorum officinis et myropoliis ingreſſos deliquio animi periclitari; niſi confeſtim illorum naribus fimum equinum, cui nempe ſunt adſueti, adhuc tepidum et recens ac fumans, admoueatur, vt ſimiles habeant labra lactucas.* Conf. ROSENBERGIVS u), BORELLVS x), atque LEDELIVS y).

§. XXIII.

n) *Obſeruat. Medic.* 71. *Cent.* III. *pag.* 145. Conf. BOHN. *de Off. Med. Part.* I. *Cap.* 4. *pag.* 57. et VERDRIES, *Phyſ. Part. Gen. Cap.* 8. *pag.* 195. et praecipue REIES, *Elyſ. Camp. Quaeſt.* XCIII. *p.* 702. vbi et plura ſimilia, quae huc ſpectant, exempla collecta leguntur.

o) *Lib.* II. *de Occult. Naturae Miracul. cap.* 9. Conf. SCHNEIDER. *de Odoratus Organo, pag.* 370. et DIETERICI *Iatreum Hippocraticum, p.* 1166. vbi aliud ſimile exemplum habetur.

p) *De Peſtis Curatione.*

q) *Memorabil. Medicinae, Cent.* XX. *Sect.* 65. *Tom.* II. *pag.* 1638.

r) *De Offic. Med Part.* I. *cap.* 4. *p.* 57.

s) *Phyſ. Part. General. cap.* 8. *p.* 195.

t) *Memorabil. Cent.* I. *Sect.* 42. *p.* 11.

u) *Part.* II. *Rhodologiae, c.* 14. *p.* 220.

x) *Obſ. Med. Phyſ.* 60. *Cent.* III. *p.* 242.

y) Apud BONET. *Med. Septent. Tom.*

 Lib.

§. XXIII. Aliquanto autem elegantior, lectuque iucundior sequens est casus, a ZACVTO LVSITANO [z]) hunc quidem in modum relatus: *Quum Lusitaniae Rex Sebastianus ex Conimbrica Olyssipponem proficisceretur; quoddam oppidum maritimum per transiens, tanto gaudio ab oppidanis excipiebatur, vt passim in foribus suae quisque domus odores suffirent; viae autem, qua transiret, floribus sternerentur, vt totus denique aer suffitu, organis musicis, et populi exsultantis plausu arderet. Cui turbae quum se quoque piscator quidam, visendi cupidus, immiscuisset, subita vertigine correptus, ita concidit, vt pro apoplectico in proximum tectum deferretur: qui a medicis ibi, consuetis remediis multum vexatus, non tamen ad se redire poterat. Tum Rex, misericordia motus, eo Thomam a Veiga, Archiatrum suum misit: qui, intellecto, vt ille miser concidisset, suspicatur, id, quod erat, eum inusitata thymiamatum fragrantia, in id malum incidisse: illico illum in littus transferri iussit, atque ibi limo et alga totum integi: quod quum esset factum, breui, homo, consueto odore recreatus, conualuit.* Quam lepidam historiam, ob insignem medentis prudentiam, praesertim notabilem, merita laude, commemorarunt etiam CASPAR A REIES [a]), PETRVS PETITVS [b]), BERN. RAMAZZINI [c]), BORELLVS [d]) et alii plures.

§. XXIV. Sed missis iam his remediis sordidis, ex foeda potius latrina, sit venia dicto, quam fida Meditrina, aut latrina, depromtis; regrediamur nunc, si lubet, ad suaue olentia illa; sed nimia sui copia in graueolentia, quin et interdum mortifera, saepius commutata: quoniam nempe illis omnibus, bene iudicante PLINIO, *odor quidem iucundus inest, sed capita simul aggrauans:* siue, vt DIOSCORIDES pariter ait, Τὸ εὐῶδες μετὰ ποσȣ̃ βάρȣς, *Lib.* III. *cap.* 29. et saepius alibi. Sic in naue magna recentium pomorum mole onusta, plures quidem vectores ex illorum fragrantiore odore male fuisse affectos, commemorat

Lib. VII. *Paraleip. ad Sect.* 17. *pag.* 451. Add. IB. ADOLPHI *Differt. Med. de Aegrotantium Conclaui, pag.* 668. Collect. Dissert. vbi plura etiam alia, quae huc spectant.

z) *Prax. admirand. Lib.* III. *Obs.* 99.

a) *Camp. Elys. Quaest. iucund.* 93. *pag.* 701. *sqq.*

b) *Comment.* in ARETAEVM, *pag.* Edit. BOERHAAV. cum Emendat. nostris.

c) *De Morbis Artificum, c.* XIII. *p.* 75.

d) *Obs. Med.* 60. *Cent.* III. *p.* 143.

morat SIMON PAVLLI [e]). In alia autem naui Caryophyllis aliisque id genus aromatis bene olentibus oppleta, ex grauissimo illorum odore, tres simul homines subito extinctos fuisse, quarto in simili quoque discrimine iam constituto, vix ex orci faucibus erepto, refert αὐτόπτης, IO. IACOB. MERCKLEIN [f]), et ex eo LEDELIVS [g]). Id quod mihimet ipsi pariter paene accidisset ante hos triginta annos Amstelodami, tum primum ingresso magnificum illud et spatiosum Societatis Indiae Orientalis Penuarium, siue opulentissimum mundi horreum, pretiosissimis noui orbis gazis, aromatis atque odoribus refertum: tanta enim ex congestis ibi ingentibus Caryophillorum ac cubebarum cumulis, continuo fumantibus, fragrantia naribus meis violentissime ingerebatur, vt subito vertigine sensuumque stupore correptus, pectoreque oppressus, haud dubie concidissem; nisi protinus pedem iam titubantem retraxissem, meque ipsum, aegerrime respirantem, liberiori ac patentiori aeri exposuissem. Hinc recte iam olim posteritati tradidit hanc obseruationem vtilem et notatu dignam vir summus, BACONVS de VERVLAMIO [h]), et ex illo, cel. RAMAZINI [i]): *Cum aromatum cumuli, diu conclusi, aperiuntur, adstantibus, qui primo massas illas extrahunt, et agitant, instare febrium et inflammationum periculum.*

§. XXV. De *Camphora*, itidem *Croco*, *Moscho*, *Ambra* et *Zibetho*; aliisque id genus odore iucunde graui praeditis, notum est abunde ex auctoribus compluribus, qui de his pretiosis peregrini orbis mercibus commentati fuerunt, quanta mala ac pericula, in sexu praesertim sequiori ex illorum copiosis nimium et diuturnis exhalationibus, oborta saepissime fuerint. De *croco* autem potissimum constat, eius vsum internum iusto largiorem et liberaliorem non solum multis sanam mentem, cum risu plusquam Sardonio, subito excussisse; sed et sanam simul vitam postea ademisse, et gelidam contra mortem intulisse: Quin et

Ll 2 solam

e) *Quadripartit. Botan. pag.* 82. Conf. KAEMPFERI. *Amoenit. Exot. Fascic.* III. *Obs.* 5. *pag.* 543. et ATHEN. *Lib.* XV. *pag.* 676.

f) *Itinerar. Indiae Orient. pag.* 471.

g) Apud BONET. *Med. Septent. T.* II. *Lib.* VII. *pag.* 452.

h) In *Nouo Organo, Lib.* II.

i) *Lib. de Morbis Artif. cap.* XIII. *pag.* 75.

solam ipsius externam anathymiasin graueolentem narcoticam, inexpugnabilem dormiendi necessitatem, somnumque ipsum aeternum simul saepius induxisse: qua de re plura perquam tristia exempla prostant apud HERTODTVM [k]), PECHLINVM [l]), RIVERIVM [m]), BORELLVM [n]), FREITAGIVM [o]), ZWINGERVM [p]), FRICCIVM [q]), et alios plures a diligentissimo ZORNIO [r]), magna copia, vt solet, laudatos. Immo, quod certe notatu et risu paene dignum, obseruatum saepius fuit, non equos tantum, sed ipsos quoque mulos, animalia alioqui tam valida, robusta et paene ferrea, croci congesti sarcinis, vel leuiter tantum onustos, ita tandem, ex nimio eius odore grauiore relanguisse, vt penitus succumberent, quasi mortui, atque hinc ab aliis suis fratribus auritis, vt sic loquar, recentibus et adhuc vigentibus, essent subleuandi; vt ex AMATO potissimum LVSITANO [s]) pluribus commemorat CAMERARIVS [t]).

§. XXVI. Dudum nempe satis superque compertum et exploratum est, certa quidem experimentorum fide, a maximis quondam Physicis Chemicisque quam solertissime institutorum, BOYLIO, inquam [u]), BOHNIO nostro [x]), GREWIO [y]), ETTMÜLLERO [z]), GEOFFROY

k) In *Crocologia, pag.* 275. *sqq.*

l) *Obs. Med.* 41. *Lib.* I. *pag.* 95. *sqq.*

m) *Instit. Med. Lib.* IV. *c.* 22. *p.* 390.

n) *Obs. Med.* 35. *Cent.* IV. *p.* 390.

o) *Auror. Med. Lib.* II. *cap.* 29.

p) *Physic. Lib.* II. *cap.* 26.

q) Tract. *de Venenis, cap.* XXIII. de *Croco, pag.* 394. *sqq.* Add. *Thesaur. nostr. pharm. Tom.* I. *p.* 208.

r) In *Botanologia, cap. de Croco, pag.* 236. *sqq.* Cui add. inprimis GEOFFROY *Tom.* II. *de Mat. Med. pag.* 286. *sqq,* et CASP. HOFMANN. *Lib.* II. *de Medicament. Officinal. cap.* 74. *pag.* 201. *sqq.* item LINDER, *de Venenis, cap.* 6. *p.* 133. et Cl. CRANTZ, *Mat. Med. Tom.* I. *pag.* 92. vt et BAIER. *Adag. Med.* 40. *pag.* 89. *sqq.*

s) *Comment.* in *Lib.* I. DIOSCORID. *de Mat Med. p.* 45. *sqq.*

t) *Memorabil. Cent.* III. *Sect.* 44. *pag.* 143. *sqq. Tom.* I. Conf. PAVLLINI *Obs. Med.* 47. *Cent.* III. *p.* 335. *sqq.* vbi alia lepida Historia fuse narratur de asinis temulentis, quasi, et miras ridiculasque gesticulationes facientibus, ex solo Hyoscyami et solani odore grauiore naribus patulis attracto; sed haec obiter.

u) *Exercitat.* de *Natura Effluuiorum determinata,* Opp. part. post. *p.* 21. *sqq.*

x) *Circ. Anat. Physiol. Progymn.* XXV. *pag.* 334. *sqq.* et maxime *Diss. Chym.* X. et XIV.

y) De *Product. Odorum.* Conf. SCHNEIDER. de *Sensu et Organo Odoratus.*

z) *Institut. Med. Physic. Cap.* XIX. Membr. III.

GEOFFROY [a]), nec non aliis [b]), et omnia illa corpora odorifera, modo nominata; et omnes praesertim plantas atque flores odoratiores, e. c. *Mentham*, *Melissam*, *Rutam*, *Saluiam*, *Maioranam*, *Basilicum*, *Marum verum*, *Serpyllum*, *Hyssopum*, *Myrtum*, *Nardum*, *Pulegium*, *Lauendulam*, *Horminum*, *Polium*, *Abrotonum*, *Origanum*, *Valerianam*, *Rosmarinum*, vt plures alias eiusmodi herbas odoriferas nunc taceam, de quibus scite OVIDIVS, *Lib.* III. *de Arte am.* 690. nempe post VIRGILIVM, in *Culice*, circa finem,

Ros maris et Lauri, nigraque Myrtus olent:

quarum scilicet ingens occurrit numerus apud Botanicos, has, inquam, plantas omnes fragrantiores, praeter salem quendam acrem, volatilem, oleoso-aromaticum, etiam sulphur quoddam sui generis narcoticum, vaporosum, subtilissimum et penetrantissimum, nunc plus, nunc minus, continere. Id ipsum igitur, quanto maiore copia, continuo ex illis, in patentes auras exhalat, ita, vt illae demum totae odore illo suauissimo, siue rectius, grauissimo, oppleantur; tanto maiorem noxam atque perniciem neruis atque cerebro pulmonibusque simul infert, corporaque ipsa, ab istis quidem effluuiis sulphureis narcoticis, vaporiferis vehementius perflata, in apoplexiam, lipothymiam, syncopen, epilepsiam, vertiginem, stuporem sensuum, Cephalalgiam, Cordis palpitationes, tremores artuum, suffocationem, asthmata, haemorrhagias, haemoptyses, deliria, febres ardentes et acutas, catarrhos, peripneumoniam, carum, coma, lethargum, et mortem denique ipsam, saepius praecipitat.

§. XXVII. Praesertim vero de *Rosis*, *Liliis albis*, *Caryophyllis hortensibus*, *Hyacinthis Indicis*, vulgo *Tuberosis*, *Hyacinthis* vulgaribus, *Narcissis*

a) De *Materia Med. Tom.* III. add. potissimum *Continuat. Gallicam*, praestantissimi huius Operis, quae post praematura ipsius GEOFFROY fata, insigni praesertim Cel. BERNARD de IVSSIEV, Fautoris olim nostri, opera, in publica commoda, accessit.

b) Quos praeter alios, laudat Celeb. VERDRIES, in *Physica sua*, *Part. Gen. Cap.* VIII. *p.* 192. *sqq.* quibus add. DV HAMEL, *Physic. Part.* III. *cap.* 3. *pag.* 691. *sqq.* ac nouissime NEVMANNVM, et HOFFMANNVM, *Med. Rat. System. Tom.* III. *Sect.* I. *cap.* 5. *pag.* 310. *T.* I. *Opp.* et ibid. *pag.* 231. *Tom.* II. *Med. Rat. System.*

ciſſis et *Violis*, tam *purpureis*, ſeu *ferrugineis Martiis*, de quibus hic nobis ſermo; quam *luteis* maxime, vt et *Matronalibus*, ſeu *Damaſcenis*, vel *Iulianis*, aut *Moſchatellis* dictis, item de aliis nonnullis floribus, praecipue *Citri*, *Aurantiorum*, *Sambuci*, *Tiliae*, *Iaſmini*, *Lilii Conuallium*, *Acaciae noſtratis*, *Calendulae*, potiſſimum vero famoſi illius *Nerii*, ſiue *Rhododendri*, vel forte rectius, *Thanatodendri*, nec non floris iſtius fragrantiſſimum Ambrae aut Moſchi odorem exacte ſpirantis, vulgo hinc *Cyani Moſchati*, ſiue *odorati*, dicti, ſuffragante ipſa experientia, a multis auctoribus fide dignis, paſſim affirmatur, iſta quidem praecipua hortorum cultiorum ornamenta, diuerſis coloribus amoeniſſima, variisque odoribus gratiſſima, tali ſulphure narcotico, ſubtili et penetrabili potiſſimum abundare, atque hinc ſub blandiſſimo quaſi odoris ſuauiſſimi et in ſpeciem, plane innoxii, velamento, inſidioſum quoddam et clandeſtinum venenum in ſinu ſuo amabili occultare, quoniam nempe *ipſorum ſuauitati grauitas ineſt*, vt PLINIVS ſcite et acute loquitur. Malignam certe ipſius Narciſſi indolem abſconditam manifeſtius interea prodit ipſum nomen: *A narce enim*, (nempe ἀπὸ τῆς νάρκης) *ſiue torpore, dictum eum neruisque inimicum et caput grauantem eſſe*, recte pronunciat idem PLINIVS [c]) vt et PLVTARCHVS [d]), PHVRNVTVS [e]), et CLEMENS ALEXANDRINVS [f]).

§. XXVIII. De ipſis vero Roſis ac Violis, HELMONTIVS [g]), qui multa alias, ceu Medicis probe notum, inepte moliri ſolet, hic tamen vere, ſapienter, et ad ipſum noſtrum inſtitutum perquam appoſite, ita ſcripſiſſe videtur: *ſane, ſi bene inueſtigetur, vix aliquid immunne habet natura, quod ſuum toxicum ſibi clanculum admiſtum non habeat. Non enim* Roſas, *aut* Violas *habemus, quae nobis non imponant, quin ſub tanta odoris fragrantia, non occultent Veneni contagia: putrefactionis nimirum inſignia,*

c) *Lib.* XXI. *Hiſt. Nat. cap.* 19.

d) *Lib.* III. *Sympoſ. Quaeſt.* I. *p.* 647. *Tom.* II. *Opp.*

e) De *Natura Deorum*, *Cap.* 35. *p.* 235. Collect. *Opuſcul. Myth. Phyſ. et Eth.* per THOM. GALE. Add. et *Schol.* SOPHOCL. *Oed. Col.* 675. *pag.* 294. *Ed. Steph.*

f) *Lib.* II. *Paedagog. Cap.* 8. *pag.* 181. Conf. RIGALT. ad ARTEMIDOR. *pag.* 38. item VOSSII *Etymol. pag.* 338. et BOD. a STAPEL, ad THEOPHRAST. *Hiſt. plant. Lib.* VI. *cap.* 6. *pag.* 657.

g) *Pharmacopol. et Diſpenſator. hodiern. Sect.* 45. *pag.* 443. *ſqq. Opp.* 1682.

ſignia, corporis noſtri colliquationem, ac virium ſuffurationem. Sed ipſe iam dudum PLINIVS, aut VARRO potius ante ipſum eandem forte ob cauſſam humile et vulgare pulegium ipſis ſplendidis ac purpureis roſis praetuliſſe videtur, quod ſcilicet parum fideret mendaci ipſarum verecundiae et blandis quidem, at ſuſpectis odoris ſuauiſſimi illecebris; Sic enim haud ſine graui ratione ſcribit h): *Qua de cauſſa dignior e pulegio corona* VARRONI, *quam e roſis, cubiculis noſtris, pronunciata eſt.* Cauſſa vero huius dignitatis praecipua viſa fuit VARRONI, *quod ad recreandos defectos animo pulegium ipſum ſingularem haberet virtutem*, vt mox in antecedentibus clare legitur: quod et pariter recte affirmant DIOSCORIDES, *Lib.* III. *cap.* 36. ARETAEVS, *Lib.* I. *de Morb. acut. cap.* 2. *pag.* 80. et alibi paſſim, item GALENVS et AETIVS, LVCILIVS quoque apud STOBAEVM GROTII, *Tit.* X. *pag.* 75. vt et CELSVS, *Lib.* II. *cap.* 32. et *Lib.* IV. *cap.* II. nec non PHILO IVD. *de Somn. pag.* 446. Conf. inprimis SALMASIVS, *Epiſt. de Cruce pag.* 323. *ſqq.* BOD. a STAPEL ad THEOPHRASTI *Hiſt. plant. Lib.* VI. *pag.* 567. et DIETERICI *Iatr. Hipp. pag.* 691. Cur igitur dignius iudicatum fuit ab eodem pulegium, quod cubiculum prae ipſa roſa intraret? forte, niſi me fallant omnia, quod roſa plus faceret ad animi defectionem; pulegium autem plus, ad eiuſdem refectionem. Quod ſi igitur noſtra infelix puella ferrugineas quoque violas cubiculo ſuo excluſiſſet; tum ferrea diri lethi ianua ipſi fortaſſe tam ſubito haud fuiſſet recluſa. Licet enim PLVTARCHO i), CLEMENTE ALEX. k), PLINIO l), aliisque teſtibus m) modico temperatoque violarum odore capitis grauitas ſtuporque ſaepius tollatur; nimiam tamen et immodicam earundem fragrantiam haec ipſa mala, cum aliis adhuc longe grauioribus, contra inducere, et hoc ipſum triſte quidem exemplum liquido demonſtrat, et aliunde etiam, vt et ATHENAEO n), ſatis manifeſto patet.

§. XXIX.

h) *Lib.* XX. *Hiſt. Nat. cap.* 14.

i) *Lib.* III. *Sympoſ. Quaeſt.* I. *p.* 647.

k) *Lib.* II. *Paedagog. Cap.* 8. *p.* 181.

l) *Lib.* XXI. *Hiſt. Nat. cap.* 19. add. ATHEN. *Lib.* XV. *cap.* 8. *p.* 681.

m) Vid. PASCHAL. *Lib.* III. *de Coronis, cap.* 3. *et* 5.

n) *Deipnoſoph. Lib.* XV. *cap.* 5. *p.* 675. Conf. huc inprimis STVCKII *Antiquit. Conuiu. Lib.* III. *cap.* 16. *pag.* 352. et

maxime

§. XXIX. Multis autem nimium Rosarum odorem exitiosum ac funestum saepius fuisse, luculenter admodum constat ex variis singularibus historiis, apud plures auctores fide dignos, praesertim autem IO. DOMIN. SALAM. [o]) passim consignatis. Ita ex nimia Rosarum fragrantia subito extinctum quondam fuisse LAVRENTIVM, *Vratislauiensem Episcopum*, testatur MARTINVS CROMERVS [p]), et ex eo MARCELLVS DONATVS [q]), aliique [r]) item NICOLAI II. *Comitis Salmensis* filiam, simili tristi, aut iucundo, Rosarum fato, in Hungaria periisse, adnotauit maioris diligentiae, quam iudicii, Historicus, HIERON. HENNINGES [s]), et post eum ROSENBERG [t]) sicut et medias inter Rosas, animam confestim efflauit sponsa illa, melioribus sane hymenaeis destinata, cuius supra in prooemio, iam mentio fuit iniecta. Cui funesto casui, excepta tamen sola morte, perquam simile est illud memorabile exemplum, ab ipso TIMAEO a GVLDENKLEE quondam visum, atque ita descriptum [u]): *Anna Schragen, Senatoris Colberg. coniux, tempore verno, in collectione florum Rosarum, occupatu, subito concidit, sine sensu et motu, voceque et respiratione intercepta, vt quasi suffocari videretur; succedebat partium externarum frigus, faciei labiorumque pallor, et cordis palpitatio.* Quo et maxime pertinet, quod olim ceu praesens et oculatus testis, cum admiratione, obseruauit magnus noster BOHNIVS [x]) in celeberrimo illo CAROLI II. Reg. Angliae Chemico, LE FEBVRE, *qui nempe, quum inter operationes chemicas, Rosas quondam vberius tractaret, hoc infirmitatis inde contraxerat, vt postmodum,*

maxime CASP. HOFFMANN. *Lib.* I. *de Medicam. Officinal. Cap.* 41. *pag.* 78. ex MESVE, et aliis, de *Vi Violarum narcotica:* quod et nostro quidem aeuo, magnus BAGLIVIVS notauit.

o) *De Arte Med. cap.*40. cui add. inprimis IO. RHODII *Obs. med.* 99. *Cent.* III. *p.* 177. vbi plura.

p) *Lib.* VIII. *de Rebus Polonorum.*

q) *de Med. Hist. mirabil. Lib.* VI. *cap.* 3. *pag.* 624.

r) vt PAVL. ZACCHIAS, *Quaest. Med. Legal. Tom.* I. *Lib.* II. *Tit.* II. *cap.*2. *pag.* 163. vbi et varia alia, item ZEILLERVS, in *Manual. Hist. part.* I. *p.* 288.

s) In *Genealogia Comitum Salmensium.*

t) *Rhodolog. part.* II. *cap.* 13. *p.* 217. vbi plura huc spectantia.

u) *Cas. Medicinal.* 17. *Lib.* IV. *pag.* 216. *Opp.* Conf. SCHNEIDER. *de organo odoratus, p.* 366. *sqq.* et ADOLPHI Diss. *de Aegrotantium Conclaui, pag.* 660. *seqq. Syllog. Dissert. Medicarum.*

x) *De Offic. Med. Part.* I. *cap.* 4. *p.* 56.

postmodum, a florum horum odore mox animo linqueretur. Quale quid etiam de alio pharmacopoeo regio, (nisi forte rectius, de eodem, vt mihi quidem videtur, nam et ipsum tempus, et ipsius Viri officium inter se satis bene congruunt) in hunc modum retulit aeterna laude florentissimus, ROBERTVS BOYLE[y]): *Celebris pharmacopoeus crassus et procerus homo, saepe mihi dixit, etsi aliquando peramans Rosarum extitisset, attamen, quum eiusmodi incidisset occasio, vt magna simul illarum vtendum esset quantitate, sic ab ipsarum fumis affectum se fuisse, vt nunc, si inter Roseta ambulet, ab odore magnopere conturbetur. Is autem Rosarum odor eam in illius capite, humorum colliquationem parit, vt tussim prouocet, et rheuma, raucedinemque, et oculorum dolorem, cogaturque ipse abesse, quo tempore vernant Rosae, si magna, in eius domum, quantitate, deferantur.*

§. XXXI. Inde etiam profecto haud mirum, per singularem quandam absconditam antipathiam, aut idiosyncrasiam vulgo sic dictam, vel ipsam veritatem apertius fatendo, per occultam qualitatem, BORRICHIO quidem, magno alias Viro, frustra negatam[z]); a FRACASTORIO[a]) tamen, DIGBAEO[b]), BOYLIO[c]), PECHLINIO[d]), BARTHOLINO[e]), MIZALDO[f]), KORNMANNO[g]), GOCLENIO[h]), RATTRAY[i]), RAMAZZINI[k]), ZACCHIA[l]), COHAVSEN[m]), praesertim autem BONETO[n]), multisque aliis, qui de hoc arduo argumento operose et copiose scripserunt, euidentissime probatam et confirmatam; per illam inquam antipathiam incomprehensibilem, tam multis

y) Exercitat. *de insigni Efficacia Effluuiorum, cap. 6. pag.* 54.

z) *Dissertat. Acad.* 8. *Tom.* I. *p.* 410. *sqq.* vt et *pag.* 421. *sqq.* quam tamen contra admittere videtur, in *Act. med. Hafn. Vol.* IV. *Part.* I. *Obs.* 44. *p.* 147.

a) Tract. *de Sympathia et Antipathia.*

b) Tract. I. *Nat. Corp. c.* 38. *p.* 436.

c) de *insigni Effluu. efficacia, cap.* 6. *pag.* 53. *sqq.*

d) *Obs. med.* 14. *Lib.* III. *p.* 423. *sqq.*

e) *Hist. anat. rar.* 28. *Cent.* III *pag.* 64. *sqq.*

f) *de Rerum Variar. Sympath. et Antipath.*

g) *Lib. de Miraculis Viuorum.*

h) Tract. *de Mirabil. Naturae.*

i) *Lib. de occultis Sympath. et Antipath. Caussis.*

k) *de Morb. Artif. c.* 13. *p.* 75.

l) *Quaest. Med. Leg. Tom.* I. *L.* II. *Tit.* 2. *cap.* 2. *pag.* 164.

m) Tract. *de Pica Nasi, Part.* II. *pag.* 74. *sqq.* Conf. EVTH de *Anat. Vmbilici curios. pag.* 49. et *pag.* 53

n) *Med. Sept. T.* II. *L.* 6. *Sect.* 7. *p.* 381. *sq.*

multis vtriusque sexus hominibus adeo quidem infestum atque inuisum esse ipsum Rosarum odorem, ob nimis nempe mollem et quasi effoeminatam ipsarum suauitatem, vt saepius vel vna tantum rosa, veluti in transitu conspecta, aut eminus olfactu percepta, protinus insequantur lipothymia, nausea, vomitus, catarrhus, coryza, sternutamenta, haemorrhagia narium, asthmata, anxietates praecordiorum, ophthalmia, cephalalgia, vertigo, suffocatio vterina, gelidus totius corporis sudor, et sexcenta alia mala, prout innumera paene exempla miranda prorsus, immo fere portentosa, vbique prostant apud innumeros ferme auctores, maximam quidem partem iam allegatos a diligentissimo ZORNIO [o]), et elegantissimo COHAVSENIO [p]), aliisque. Quibus tamen nunc opportune addere liceat sequentes, ceu praetermissos, scil. SENNERTVM nostratem [q]), primo vtique loco laudandum, AMATVM et ZACVTVM, LVSITANOS [r]), BOTALLVM [s]), REIESIVM [t]), ZACCHIAM [u]), BOYLIVM [x]), BOHNIVM [y]), LEMERYVM [z]), LEDELIVM [a]), BINNINGERVM [b]), BARTHOLINVM [c]), RAMAZZINVM [d]), SCHVRIGIVM [e]), ROSENBERGIVM [f]), ZEILLERVM [g]), et IVL. CAES. SCALIGERVM [h]), ne plures alios iam comme-

o) In *Botanologia*, opere loboriosissimo, sub Tit. *Rosa*, *p.* 578.

p) In lepidissimo Libello, *de Pica Nasi*, *Part.* II. *pag.* 74.

q) *Opp. Tom.* I. *Lib.* V. *Sect.* 6. *cap.* 3. Conf. RAMAZZIN. loc. cit. *pag.* 75. et ADOLPHI Dissert. *de Aegrotantium Conclaui*, *pag.* 659. *sqq. Syllog. Dissert. med.* vbi et plura, quae huc spectant.

r) *Curat.* 36. *Cent.* II. et alter ZACVTVS, *Introduct. ad prax. Med. praecept.* II. *sqq.*

s) *De Medici et Aegri munere*, §. 25. conf. BOHN. *de Off. Med pag.* 56.

t) *Elys. iucund. Quaest. Camp. Quaest.* 84. *pag.* 643. et maxime *p.* 701. *sqq. Quaest.* 93.

u) *Citat. Quaest. med. legal. p.* 163.

x) *de insigni efficacia Effluuior. Cap.* 6. *pag.* 53.

y) *de Offic. Med.* laudat. *pag.* 56.

z) *Curs. Chymic. pag.* 631. Edit. X. conf. *Continuat Mat. Med.* GEOFFROY, *T.* II. *Sect.* 2. *p.* 230. *sqq.*

a) In *Ephemerid. Nat. Curios. Decur.* II. *Ann.* 2. Vid. eandem *Continuat.* GEOFFROY, *Gallicam*, *p.* 231.

b) *Obs. Med.* 86. *Cent.* II. *p.* 227.

c) *Hist. anat. rar.* 28. *Cent.* III. *p.* 65.

d) Cit. Tract. *de Morb. Artif. p.* 75.

e) *Gynaecolog. p.* 34. et alibi.

f) *Rhodolog. Part.* II. *cap.* 13. *p.* 216. *seqq.* add. EVTH de *Anatome Vmbilici curiosa*, *p.* 53. et 49.

g) In *Epist.* XC. *Cent.* III. et *p.* 855. citat. *Manual. Hist. part.* I. *p.* 288. add. RIEDLINI *Iter med. p.* 25.

h) *Exercitat.* CLIII. *contra* CARDAN. *Sect.* 10. *p.* 489.

commemorem, paſſim hinc inde obuios. Sed, quod tanto magis profecto mirum, ſimilem vehementiſſimam antipathiam, ſeu *innatam repugnantiam*, vt ſcite PLINIVS latine reddit, vel ipſis ſordidis ſcarabaeis intercedere cum ſuauiſſimo roſarum odore, ita, vt ipſis propius admoti protinus intereant, obſeruauit poſt THEOPHRASTVM [i]), et ARISTOTELEM [k]), PLINIVS [l]), et poſt hunc AELIANVS [m]), CLEMENS ALEXANDRINVS [n]), et alii.

§. XXXII. Vnde ſane liquido mihi quidem patere videtur, licet in Roſa ipſa omnia viſu iucunda appareant, omniaque odore ſuauia; tamen non omnia in eadem eſſe etiam tuta, ſecura, ſalutaria atque innoxia. Sicut praeſertim de odora iſſima illa Roſa Alexandrina, *Moſchata* vulgo dicta, notauit ZACVT. LVSITANVS *Comment.* ad *Lib.* I. DIOSCORID. *pag.* 120. quae non ſolum odore iucunde graui caput vehementer tentat et turbat; ſed et intus ſumta, aluum ad inſtar ſcammonii, potentiſſime ſubducit, quin et fauces adeo ſtomachumque adurit et

 erodit

i) *Lib.* VI. *de cauſſ. plant. Cap.* 4. *fin. pag.* 357.

k) *de Mirab. Auſcult. pag.* 1166. *Tom.* I. *Opp.*

l) *Lib.* XI. *cap.* 53. cuius haec ſunt verba: *Vultures vnguento qui fugantur, alios appetunt odores, Scarabaei Roſam.* Sed cum vulturibus et ſcarabaeis, ipſe ſanus ſenſus, vt ſic loquar, ex hoc loco, fugatur. Hinc PINTIANVS et praeſertim HARDVINVS, *pag.* 645. plurimum hic aeſtuarunt; nec tamen extricarunt quidquam. Mihi autem, vt alibi iam monui, nempe ad *Tom.* V. *Poemat, pag.* 549. ſimpliciſſime ac mitiſſime legendum videtur: *Vultures unguento fugantur, qui alios appetunt odores, Scarabaei Roſa,* ſcil. fugantur. Niſi quis forte legere malit, paullo maiore quidem licentia; ſed et maiore perſpicuitate: *Vultures, qui alios appetunt odores, vnguento fugantur, Scarabaei Roſa.* Sic enim PLINIVS, vt ſolet, κατὰ λέξιν, tranſtulit ipſiſſima illa THEOPHRASTI verba: οἱ γῦπες ὑπὸ τῶν μύρων, καὶ οἱ κάνθαροι ὑπὸ τῶν ῥόδων, ſcil. ἀναιροῦνται, quod nempe praeceſſit. Ita vero abrupte et conciſe, ſaepiſſime in iſto ſuo vaſto opere, loqui amat ipſe PLINIVS, ceu dudum obſeruatum TVRNEBO, SCALIGERIS, REINESIO, et praeſertim SALMASIO et HARDVINO. Sic, vt vnum tantum exemplum forte iam obuium, in medium adferam, huic quidem noſtro praeſenti, quod ad βραχυλογίαν, et ſingularem conſtruendi modum attinet, prorſus geminum, *Lib.* VIII. *cap.* 50. pariter dixit: *Oculos ſuffuſos capra iunci puncto, ſanguine exonerat, caper, rubi,* ſcilicet *puncto,* quod nempe ex ſuperioribus repetendum, ſicut hic *fugantur Roſa.* Sed haec obiter.

m) *Lib.* IV. *de Nat. Animal. c.* 18.

n) *Lib.* II. *Paedagog. Cap.* 8. *pag.* 178. Conf. CYPRIANI *Continuat.* FRANZII *Hiſt. Animal. Part.* V. *c.* 3. *p.* 3497. praeſertim ROSENBERG. *Rhodol. Part.* II. *c.* 14 *p.* 219. *ſqq. et Poem. noſtr. T.* V. *p.* 550.

erodit. Quale et de Violis noſtris obſeruauit THOM. BARTHOLINVS o), ita ſcribens: *Generoſa quaedam matrona, omnia ſuauem odorem ſpirantia, perfert, exceptis ſolis Violis recentibus;* de Liliis vero albis magnus IVL. CAES. SCALIGER p): *Affinis noſtra, virgo quaedam pulcherrima atque nobiliſſima, ſolo conſpectu Lilii, paene vecors fit: peritura, ſi naribus hauſerit,* vbi et praeterea ſingulare exemplum refertur de iucundiſſimi odoris Cydoniis, quibuſdam per ſingularem idioſyncraſiam, vertiginem cientibus. Quemadmodum et nobiſmet ipſis olim in magni cuiuſdam principis aula, cognita fuit generoſiſſima quaedam virago, quae viſis vix, et eminus odore perceptis, iſtis Cydoniis malis, faciem natura antea roſeam, quaſi dira incantatione facta, ita protinus mutabat, vt ea his ipſis cydoniis pallidior videretur: et ipſa praeterea de acerbiſſimo capitis dolore ſenſuumque ſtupore grauiſſime conqueſta, celerrima quidem fuga ſe alio proripere confeſtim cogeretur. Omitto iam lubens prudensque, ad optatum tandem finem properaturus, diverſos alios odores, vti Florum Aurantiorum, Sambuci, Primularum Veris, Iaſmini, Nerii, Hyacinthi Indici tuberoſi, et aliorum; item fructuum quorundam, veluti fragorum, mororum, pomorum, pyrorum, perſicorum, Rubi Idaei, Melonum denique, nec non Aromatum, vt Cinnamomi, Caryophyllorum, Macis, et aliorum, quos nonnulli, ex innato quaſi odio, adeo vſque auerſantur, vt varia mala grauiſſima ſubito incurrant, niſi iſta odorifera ex ipſorum conſpectu citiſſime remoueantur. Qua de re multa miranda prorſus exempla, partim etiam mihi cognita, narrare iam poſſem, ſi id quidem locus hic pateretur.

§. XXXIII. Plus ergo propemodum damni ac periculi ſanitati ipſique vitae metuendum videtur ex ſuaueolentibus; quam quidem ex graueo-

o) *Hiſt. anat* 28. *Cent.* III. *p.* 65.

p) *Exercitat. Anti Cardan.* CXLII. 2. *pag.* 463. Vid. et PLIN. *Lib.* XXI. *c.* 7. Conf. SCHNEIDER. *de Organo Odoratus, pag.* 367. *ſqq* et ill. HOFFMANNI *Conſultat. et Reſponſ. Med. Cent.* II. *et* III. *Caſ. pag.* 166. *Tom.* IV. *Opp.* vbi perquam ſingulare de Viro quodam illuſtriſſimo habetur exemplum, qui ex naturali veluti odio, omnibus aromatis, et plerisque floribus ſuaueolentibus, ſpretis ac repudiatis, ſolo fere grauiore et moleſto alias odore Corii illius ruſtici, ſucco betulae inuncti, vulgo *Iuchten-Leder,* dicti, mirum in modum delectabatur, atque vires ſuas languentes exinde inſigniter refici atque augeri, vel vane credebat, vel vere ſentiebat.

graueolentibus: quoniam nempe languores et aegritudines, quae ex bene odoratis originem traxerunt, contrariis male odoratis discutiuntur, vt illa exempla paullo superius modo commemorata, de Sabaeis, ex nimia sua felicitate infelicibus, item de rusticis, per sordidas de hesterna coena, delicias, facillime curatis, luculenter docent. Hinc et verum quidem est istud HIPPOCRATIS in *prognost.* dictum, τὰ δυσώδη ὀλέθρια, *graueolentia esse perniciosa;* sed et non minus verum alterum illud contrarium: τὰ εὐώδη ὀλέθρια, seu *suaueolentia esse perniciosa*, Conf. GALEN. *Comm.* II. in *Lib.* III. *Epidem. p.* 253. *T.* IX. *Opp.* per CHARTER. et LANGII *Epist. med.* 54. *Lib.* I. *pag.* 249. Porro foeminae ab hysterica passione, aut matricis suffocatione, tanquam comitiali morbo, subito prostratae, admotis intempestiue iucundioribus odoramentis, magis adhuc adfliguntur, vt peius sese habeant; solis vero insigniter foetentibus, vti castoreo, asa foetida, extincto de lucerna linamento, accenso Galbano, vel chartis, crinibus, aut plumis combustis, illico reficiuntur, et denuo quasi in vitam reuocantur, ceu vbiuis notissimum. Denique in ipsa dira pestilentia omnes odores suaues et fragrantes vanae nihilque profuturae prophylaxeos, seu praemunitionis gratia, ex peruerso quidem vulgi more frustra adhibitos, plus semper nocuisse quam profuisse, diligenter obseruarunt, candideque monuerunt celeberrimi illi triumuiri, qui de re ista pessima omnium optime scripserunt, DIEMERBROECK [q]), inquam, BARBETTE [r]), atque RIVINVS [s]), cui denique maximo suo merito vtique iungendus grauissimus quondam ipsius collega, BOHNIVS [t]) scilicet, aeterna illa Lipsiensis academiae gloria. Sic iam olim in dirissima illa pestilentia, quae, imperante Commodo, totam paene Italiam saeuissime vastabat, ne suauissima quidem vnguenta, suffitus et odoramenta, a medicis nimium credulis, tum frustra commendata, quidquam profuisse, probe adnotauit HERODIANVS *Lib.* I. *cap.* 12. addit enim mox, his ipsis antidotis prophy-

 lacticis

q) *Lib.* II. *de Peste, cap.* 5. *pag.* 89. et *pag.* 92. Conf. RHODII *Analecta*, ad SEPTAL. *Lib.* V. *p.* 161.

r) Tract. *de Peste, p.* 440.

s) Diss. *de Peste Lipsiensi, cap.* 4. *pag.* 866. Sylloges *Dissert. Med. Riuinianarum.*

t) In Dissert. *de Prophylaxi Pestis dubia*, §. 41. *pag.* 37. *sqq.*

lacticis suaueolentibus prius laudatis: πλὴν ὐδὲν ἧττον ἡ νόσος ἐπὶ τὸ πλεῖϛον ἤκμασε, πολλῆς ἀνθρώπων φθορᾶς γενομένης, πάντων τεξώων τοῖς ἀνθρώποις συνοίκων: *Verum nihilo secius ipsa illa pestifera lues vehementius increscebat, hominesque vbique, vna cum animalibus brutis, ipsis hominibus alias domesticis, cateruatim peribant.*

§. XXXIV. Quare nunc quiuis paullo emunctioris naris, facile, opinor, ex his intelliget, quam inimicum sanitati, quam infestum ipsi vitae insidiosumque illud quidem MARTIALIS sit votum, pro intimi sui amici *Liberi*, felicitate perpetua, meliore potius versu, quam sententia, in hunc nempe modum, conceptum u);

Liber, amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber, in aeterna, viuere digne, Rosa:
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis Amomo
Splendeat, et cingant florea serta caput:
Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno,
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic, vel medio finitus, vixit in aeuo,
Longior huic facta est, quam data Vita fuit.

Haec enim frigida friuolaque bracteatae huius felicitatis et splendidae miseriae argumenta, scilicet *in aeterna Rosa viuere, assyrio amomo semper vnctum, et floreis sertis odoratis cinctum esse*, vt reliqua iam taceam, his quidem ipsis adhuc longe turpiora ac perniciosiora; haec inquam cuncta, etiam secundum nudum propriumque verborum sensum, sumta, ita profecto sunt comparata, vt sanitatem homini non adferant; sed certius auferant, ipsiusque Vitae spatium non tam longius extendant; quam potius arctius contrahant. Quod si igitur ipse MARTIALIS tam bonus Medicus fuisset, quam bonus fuit poeta; aut eiusmodi funestorum exemplorum, a nobis hactenus productorum, commode meminisset; tum forsan, vt credere quidem par est, postremum sui Epigrammatis luxuriosi versum ita potius reformasset:

Arctior huic facta est, quam data Vita fuit.

§. XXXV.

u) *Epigramm.* 77. *Lib.* VIII. Conf. CIC. ad SENEC. de *Vit. Beat. cap.* XI. *p.* 124. V. in *Verr.* et CASAVBON. ad ATHEN. et BARTH. *Aduers. Lib.* LVIII. *cap.* 16. *Lib.* IV. *Cap.* XI. *pag.* 274. item GRONOV. *pag.* 3757.

§. XXXV. Verum ipſa Roſa, *tantus veris honos, et odorae gratia Florae,* vt cum eodem poetae loquar, hominum potius luxuria, negligentia, aut imprudentia, quam ſuapte culpa, noxia interdum facta, et hinc a nobismet ipſis alibi plus quam vno carmine encomiaſtico, meritis laudibus celebrata x), haec inquam Roſa, nos quidem forte iuſto diutius ſermone longiore hucuſque diuagatos, opportune tandem verecundi admonet ſilentii, quoniamque ipſa ſilentii deo, Harpocrati, ceu notum, eſt conſecrata y). Hinc licet multa adhuc ſuperſint monita ſaluberrima, circa rectum odorum vſum, et peruerſum eorum abuſum, humano generi admodum damnoſum, Sedulo obſervanda; z) tamen

Haec ipſe equidem ſpatiis excluſus iniquis,
Praetereo, atque aliis, poſt me, memoranda relinquo.

Praeſertim quum probe ſciam, me, etſi multa de roſis violisque hucuſque loquutus ſum, roſas tamen violasque nequaquam loquutum fuiſſe. Id enim iam vetuit durans adhuc eheu! dura illa funeſti belli tempeſtas. Vnde iam dudum praeteritam pacis ac tranquillitatis roſam heu!

x) Vid. ſi placet, *Poemat. Tom.* I. *pag.* 245. et *pag.* 251. *Tom.* II. *p.* 90. et *p.* 168. *Tom.* III. *p.* 31. *p.* 38. et *p.* 61. *Tom.* IV. *pag.* 271. et *pag.* 371. et denique *Tom.* VI. *p.* 509. *ſqq.* in *Not.*

y) Res quidem haec alias ſatis nota eſt, atque hinc vix moneri digna: Interim tamen, ſi quis plura de hoc antiquo ritu ſcire aueat; is ſi lubet, adeat STVCKIVM, *Lib.* III. *Antiquitat. Conuiu. cap.* 16. *pag.* 371. *ſqq.* ROSENBERGII *Rhodolog. Part.* I. *cap.* I, *pag.* 14. *ſqq* LOMEIERI *Dier. Genial. Decad.* I. *Diſſert.* 3. *p.* 126. IOS. BARNES. ad EVRIPIDIS *Cyclop. pag.* 224. *Tom.* I. PAVLLINI Tract. *de Nuce Moſchata, Sect.* IV. *cap.* 2. et alios plures.

z) Quo inprimis pertinent peruerſi Nonnullorum ac Nonnullarum mores, comam tam naturalem ac propriam, quam emtam ac vicariam, odoratis non ſolum vnguentis perlinendi ſed et fragrantibus pulueribus candidis inſpergendi: item induſia, muccinia, lintea, veſtes, chirothecas, tapetas, lectos, menſasque balſamis, aquis, oleisque ſuaueolentibus, et id genus aliis odoriferis, imbuendi: paene et hic, lectorum pace, addidiſſem *Matulas*; Sed addam tamen audacter, quia ita dudum ſcripſit magnus CLEMENS ALEX. *Lib.* II. *Paedagog. cap.* 8. *p.* 177. *αἱ δὲ γυναῖκες, καὶ τὰς ἐσθῆτας, καὶ τὰς στρωμνὰς, καὶ τοὺς οἴκους ὑποθυμιῶσί τε, καὶ καταῤῥαίνουσι· μονονουχὶ δὶ καὶ τὰς ἀμίδας ὄζειν ἀναγκάζει τοῦ μύρου ἡ τρυφή. Mulieres ſua veſtimenta, ſtragulas domosque ſuffumigant et aſpergunt: adeo vel ipſas propemodum* Matulas *olere cogunt vnguenti delitiae.* Conf. huc ATHEN. *Lib.* XII. *cap.* II, *pag.* 542. *ſqq.* et *pag.* 553. *ſqq.* ac


Lib.

heu! frustra adhuc quaerimus. Nulla vero satis fida concordia et conspiratio, nec mutuum est commercium Arti et Marti, literis et lituis, legibus ac legionibus. Quare haec omnia sub gladio quasi raptim conscripta sunt, velut illa PROTOGENIS tabula picta fuit sub gladio, apud PLINIVM a). Hinc vix rosas violasque somniare potest, qui asperis sentibus et acutis paliuris moleste indormit; et mollis tantum atque omnibus mordacibus curis solutus EPICVRVS, *mistas violis rosas, et totas apportabat illecebras voluptatum*, vt scite loquitur MARTIANVS CAPELLA, *Lib.* II. Conf. GASSENDI opus splendidum de *Philos.* EPICVRI, *Tom.* II. *pag.* 78. et D' ORVILLE ad CHARITONIS APHRODIS. *Erotica, Lib.* III. *cap.* 2. *pag.* 249. Liceat ergo mihi illo memorabili CICERONIS b) loco, huc quodammodo applicato, hic tandem finire: A. *Etiamne in cruciatu atque tormentis beatos esse quis existimet?* M. *An tu me in Viola putas, aut in Rosa, dicere?*

Lib. XV. *cap.* 12. *pag.* 689. *sqq.* et NICOLAI, de *Chirothecis, cap.* 18. *pag.* 111. *sqq.* et *pag.* 114. item PECHLINI *Obs. med.* 10. *Lib.* III. *pag.* 412. et KAEMPFERI *Amoen. exot. pag.* 374. Vt taceam iam, pluribus urbanioris notae hominibus, in more, moro scil. esse positum, ut pulueribus ptarmicis, rubris, viridibus, aut coeruleis, moscho, ambra, aut oleis destillatis fragrantioribus, infectis ac medicatis subinde vtantur, aut rectius, in ipsius sanitatis detrimenta abutantur, de quibus exactius nuper egimus in *Thesauro pharm. vniuersal. Part.* II. *p.* 564. *sqq.* Quae omnia sane accuratiorem disquisitionem hic merebantur, modo per spatium, licuisset sicut et hic de consueto illo veterum Medicorum more, fragrantes et refrigerantes flores herbasque per aegrotorum conclauia, refectionis virium aestusque temperandi gratia, spargendi, tractandum vtique diligentius fuisset, de quo multa singularia et notatu digna loca passim occurrunt apud ARETAEVM, GALENVM, SYNESIVM, CAELIVM AVRELIAN. ALEX. TRALL. THEODORVM PRISCIANVM, GARIOPONTVM, aliosque plures. Sed quoniam hoc ipsum Argumentum propter maxima momenta, haud perfunctorie erat pertractandum: ideo volente Deo, proxime, commodiore occasione, data quidem opera, de eo disertius agere constituimus.

a) *Lib.* XXXV. *Hist. Nat. cap.* 10.

b) *Lib.* V. *Tusculan. Quaest. cap.* 73. *p.* 261.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA DECIMA.
DE
MORBO COELIACO SINGVLARI A CORNELIO CELSO DESCRIPTO.

§. I.

Morbum illum inferioris ventris, ſordidum, moleſtum, taedii, atque etiam ſaepius periculi, plenum, vulgo *Coeliacum*, ἀπὸ τῆς κοιλίας ſcilicet, dictum, omnibus medicis iam dudum ſatis cognitum atque perſpectum eſſe arbitramur, adeo vt proinde operam omnino luderemus, lectorumque praeſertim patientia intempeſtiue abuteremur, ſi iuſto operoſiorem ac copioſiorem ipſius enarrationem et deſcriptionem nunc quidem ſuſciperemus: inprimis quum omnes veteres vtriusque linguae medici, vt recentiores nunc ſtudio ſileam, quam diligentiſſime et accuratiſſime iam de eodem tractarint.

§. II. Vnam tamen ipſius deſcriptionem, aut rectius picturam, eamque omnium exactiſſimam ac luculentiſſimam, hic producere liceat, ex CAELIO AVRELIANO depromptam, idque potiſſimum propter CORNELIVM CELSVM, in contraria omnia hic diſcedentem, vti mox liquidius patebit, aduerſus quem nonnulla candide monere et accuratius diſputare, forſan haud prorſus inutile aut iniucundum fuerit.

§. III. Ita igitur CAELIVS ille AVRELIANVS, Methodicorum princeps, ipſum Coeliacum Morbum deſcribit, aut potius viuis, et ex ipſo intimo Naturae ſinu deſumtis coloribus, depingit [a]): „Ventriculoſa paſſio, quam Graeci κοιλιακὴν vocant, a parte corporis, „quae patitur, nomen accepit. Generatur ex antecedenti indigeſtio„ne continua, vel tumore vehementi [b]), aut dyſenteria. Sequitur in „hac

a) *Lib.* IV. *de Morbis Chronicis, cap.* 3.

b) Forte rectius hic legendum *Turbore*, quam *Tumore*, quoniam *indigeſtio continua* praecedit, cuius quaſi ſynonymon, aut ſcholion eſſe videtur *Turbor*, in Ventriculo et inteſtinis obortus. Licet enim et *Tumor*, ſaepius legatur apud CAEL. AVREL. praeſertim, vbi de Morbis

„hac paſſione conſtitutos varia ſtercorum egeſtio, qualitate, atque „colore, nunc tenuis ac ſoluta, nunc ſimilis vrinae Camelorum, nunc „flaua, et ſpumoſa, nunc praſina, vel liuida, aut nigra, aut purulen- „ta, aut ſanguinea, cum graui foetore, et rugitu inteſtinorum, quem „Graeci βορβορυγμὸν appellant, atque in exitu ſonitum: et poſt effu- „ſionem, factae velut ſcatentis ſtercoris veſiculae: et nunc iugiter no- „cte atque die, nunc coaceruatim, ſed interiecto ſpatio, vt per diem „bis, vel ſemel, aut interpoſitis vno, vel duobus diebus, aut eo am- „plius: et nunc cum tenſione, atque ventoſitate, et tormento, vel „dolore, aut ſingultu, conſidente atque conducta cute, quae ventrem „circumtegit, atteſtante ſiti, et ipſius ventris feruore, et leui in inte- „rioribus torpore frigido. Sequuntur etiam vigiliae, faſtidium cibi, „et aliquibus plurimus appetitus, virium debilitas, pallor ſubalbidus, „et nunc febres, dehinc corporis odor teter, plurimus c) vt etiam, „quae ſuis manibus tetigerunt, computreſcant, et difficile careant „odore concepto: tum vultus inflatio atque pedum. Quibuſdam „etiam dyſenteria congeneratur, quum facile fuerint inteſtina vlcera- „ta, ob defluentium acrimoniam. Hactenus quidem CAELIVS AV- „RELIANVS.„ Quem locum etſi aliquanto diffuſiorem, ob in- ſignem tamen praeſtantiam et perfectam vndique morbi ipſius de- ſcriptionem et dilucidam explicationem, integrum huc transferre, nos haud piguit.

§. IV.

bis acutis et inflammationibus, tractat: hic tamen *Turbor* magis conuenire videtur, ob rationem iam allatam; quae ipſa vox et ſaepius alibi, hoc quidem ſenſu occurrit apud Noſtrum, vt ex ipſo *Lexico Caeliano* ALMELOVEENII vberius patet. Sic et PLINIVS VAL. *Lib.* II. *cap.* 26. *Coeliacum* vocat *ex officio Ventris per omnia turbatum.* Quibus demum accedit, frequentiſſimam eſſe *Tumoris* et *Turboris* Confuſionem, apud PLINIVM, THEODORVM PRISCIANVM, GARIOPONTVM, et ipſum praeſertim noſtrum CAELIVM AVRELIANVM.

c) Languere hic mihi omnino videtur illud *plurimus:* Forſan ergo ſcripſerit ipſe CAELIVS AVRELIANVS: *putridus*, aut *putruoſus*, quomodo nempe ſupra *Lib.* II. *cap.* 14. de *Morb. Chron. pag.* 423. dixerat *vlcus putruoſum;* et paſſim alibi: ſequitur enim hic mox: *vt computreſcant, quae ſuis manibus tetigerunt*, quod ipſum effectus veluti eſt iſtius corporis *odoris putridi*, ſeu *putruoſi*, tanquam cauſſae primariae. Sed de his ipſe iudicet Lector.

§. IV. Eundem igitur prorſus in modum, nunc latius, nunc vero arctius breuiusque Affectum hunc Coeliacum deſcripſerunt Veteres Graeci Romanique Medici, tantum non omnes, veluti e prioribus, GALENVS, ARETAEVS, AEGINETA, ORIBASIVS, ALEXANDER TRALLIANVS, ARCHIGENES apud AETIVM, THEOPHILVS PROTOSPATHARIVS, ACTVARIVS, aliique: E poſterioribus autem, ſiue latinis, SCRIBONIVS LARGVS, THEODORVS PRISCIANVS, MARCELLVS EMPIRICVS, PLINIVS VALERIANVS, GARIOPONTVS, item PLINIVS ille maior, Hiſtoriae naturalis conditor, aliique nonnulli. Hi ergo omnes Morbum hunc coeliacum inter lienteriam atque dyſenteriam, veluti medium, collocant, atque hinc PLVTARCHVS [d]) ceu commoda ſynonyma, apte coniungit τοὺς κοιλιακοὺς καὶ δυσεντερικοὺς. Inde igitur laudatus modo GARIOPONTVS [e]) ſat breuiter quidem; ſed ſimul tamen ſat bene: *Coeliaca paſſio eſt aſſidua ventris ſolutio, cum ſiti infinita, et faſtidio ciborum, et defectione.* Quae vero ita monſtroſe leguntur in vetuſto illo Dictionario Sangermanniano, apud CANGIVM [f]), *Cyliaciſis, Solutio aſſidua ventris:* ſub qua tamen portentoſa voce *Cyliaciſis*, mihi certe hic latere videtur κοιλιακὴ χύσις, ſeu, quod idem, κοιλίας χύσις, hoc eſt, *Ventris effuſio*, vel *ſolutio*, ſenſu, ni fallor, claro nunc et perſpicuo. Sed haec obiter.

§. V. Huic autem vnanimi cunctorum veterum medicorum ſuffragio, quin etiam imperioſo ipſius naturae effato ſolus, quantum ſciam, obnititur contra CORNELIVS ille CELSVS, inſigni ſtili romani puritate et elegantia forte, niſi fallor, commendabilior; quam exacta ſolidioris medicinae peritia. Ita enim eundem Morbum Coeliacum nobis deſcribit [g]): *In ipſius vero ventriculi porta conſiſtit is morbus, qui et longus eſſe conſueuit, et* κοιλιακὸς *a Graecis nominatur. Sub hoc venter indureſcit,*

d) Libello *de Virtutibus et Vitiis*, extremo, *pag.* 101. *Tom.* II. *Opp.*

e) *Lib.* III. *de Remed. ad omnis Corporis aegritudines, cap.* 5. *pag.* 50.

f) *Gloſſar. Med. et Infimae Latinitatis, Tom.* II. *pag.* 1289.

g) *Lib.* IV. *de Medicina, Cap.* 12. Conf. huc HENR. STEPHANI *Dictionarium Medicum, pag.* 375.

durescit, dolorque eius est: Aluus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit: extremae partes frigescunt: difficulter spiritus redditur. Haec quidem ipse CELSVS.

§. VI. Ecquis vero nunc, obsecro, crediderit, vnum hic eundemque morbum descriptum esse a CORNELIO CELSO atque CAELIO AVRELIANO, vt reliquos auctores iam taceam, cum ipso consentientes? et quis quaeso, ex hac discordi veluti vtriusque concordia potius non concluserit, diuersos plane morbos ab vtroque hic delienatos fuisse? In Caeliana enim descriptione venter omnia ingesta protinus reddit, in Celsiana contra nihil plane, imo ne flatum quidem: In illa porro aluus liquescit, in hac vero indurescit; in ista rursus omnia relaxata sunt; in hac autem omnia adstricta et coarctata; in illa denique ipsa ventriculi porta aperta nimis est, in hac vero nimis operta. Verbo: ex omnibus istis morbi signis a CAELIO luculenter traditis, apud ipsum CELSVM nihil amplius restabit, nisi solum inane ipsius morbi nomen.

§. VII. Inde igitur singularem hanc et notabilem CELSI, a communi recepta sententia, discessionem iure semper mirati sunt medici praestantissimi, veluti IO. RHODIVS [h]) PETRVS PETITVS [i]), ZACVTVS LVSITANVS [k]), item HILDANVS, FERNELIVS, FORESTVS, CONSTANTINVS, in Notis ad CELSVM, aliique plures. Quoniam illis paene incredibile videbatur, ipsum CORNELIVM CELSVM id hic solum ignorasse, quod nulli tamen medicorum ante ipsum, cum ipso, et post ipsum, vnquam ignotum fuisset.

§. VIII. Nemo enim ex scriptoribus medicis, quantum equidem sciam, affectum illum, a CELSO hic descriptum, *Morbum Coeliacum* vocauit, praeter vnum forte BENIVENIVM, qui, quam bene, nescio, aut quam male CELSVM hoc quidem loco sequutus, haec refert de ipso suo patre [l]): *In ipsius ventriculi porta Morbus innascitur, qui Graecis* κοιλιακὸς

h) In *Notis* ad SCRIBONIVM LARGVM, *pag.* 159.

i) *Commentar.* in ARETAEVM, *pag.* 206.

k) *Lib.* II. *de Medicor. Principum Historia*, et alibi.

l) *De abditis Morborum Caussis*, *cap.* CVI. *pag.* 304.

κοιλιακὸς appellatur. Durescere sub hoc venter solet, et torminibus premi, aluusque ipsa adeo nihil reddere, vt ne spiritus quidem infra, sed nec supra erumpere possit. Paulus, pater meus, haud mediocris ingenii et doctrinae vir, hoc morbo male vexatus, quum diu multa ac varia auxilia, sed frustra, expertus fuisset, clystere ex solo lacte condito, in ventrem iniecto, ac multis subinde strigmentis depositis, ad pristinam reuersus est sanitatem. Haec ille.

§. IX. Ipse quidem CELSVS ad Graecos hic vage prouocat, qui singularem istum morbum, a se hoc loco propositum, sic nominauerint κοιλιακόν. Verum quum nec nomina istorum auctorum addiderit, nec in vllo Graecorum medicorum hodie quidem superstitum, talis occurrat Morbi Coeliaci descriptio, quae cum ipsa CELSIANA, vllo tantum modo conueniat; minus vero credibile videatur, omnes illos auctores veteres Graecos, ab ipso nempe CELSO lectos olim ac tractatos, hodie prorsus periisse, et frustra desiderari, qua de re infra sub finem plura. Inde forsan concludere licebit, vel ipsum CELSVM Graeca quasi fide hic nobiscum egisse, vel, vt mitius iudicemus, in vitiosos codices Graecos incidisse, vel denique, quod verius putamus, probos quoque ac correctos libros non satis diligenter et attente versasse, sed nimis potius festinanter ac negligenter inspexisse: Quae quippe nimia properandi et omnia conscribendi cupido ipsum et alibi saepissime in graues errores abripuit, ita vt in conuertendis Graecis locis, praesertim ex ipso HIPPOCRATE desumtis, nec verum propositarum rerum sensum vbique satis accurate perciperet, nec semper verborum vim et efficaciam satis feliciter assequeretur. Id quod haud ita pridem multis luculentis exemplis ex ipso HIPPOCRATE depromtis, et cum ipsis versionibus CELSIANIS sedulo collatis, adeo perspicue solideque, nisi fallor, ostendimus, vt de istius quidem rei veritate tot manifestis testimoniis comprobata et corroborata, dubium vix vllum amplius superesse possit. Respicimus nempe hic ad qualescunque obseruationes criticas nostras, in III. priores CELSI libros, intra tres etiam dies, vrgentibus scilicet nundinis Lipsiensibus subito potius effusas, quam cum cura elaboratas, et ipsi nouissimae CELSI Editioni a cel. et doctiss. KRAVSIO singulari studio curatae adiectas.

 Inde

Inde nonnullos a nobis forte inter feftinandum commiffos errores tanto facilius nobis, vt fperamus, condonabunt placidi lectores; longe plures vero fupino nimis negligentique typographo iuftius imputabunt. Sed haec obiter.

§. X. Ex his itaque rationibus nobis certe haud improbabile videtur, ipfum hic CELSVM duos diuerfiffimos et inter fe diftinctiffimos ventris affectus, *Coeliacum* nempe atque *colicum*, aliud quafi agendo, confudiffe, atque proinde in fuis illis, quos iactat, Graecis pro πάθος, aut νόσημα κολικόν, facili potius lapfu et procliui errore, properanter nimis legiffe πάθος ἢ πάθημα κοιλιακόν: ficut pariter mox capite fequenti XIII. χόρδαψον, εἰλεόν, atque ipfum κολικόν morbum inter fe mifcuiffe, et pro fynonymis fere habuiffe videtur; quos tamen affectus priores deterrimos, periculofiffimos et faepiffime quoque letiferos ab ipfo colico fimplici et facilius inde fanabili, quam maxime diftinguendos effe, folide prudenterque docuerunt ARETAEVS [m]), ALEXANDER TRALLIANVS [n]), ARCHIGENES apud AETIVM, THEODORVS PRISCIANVS [o]), aliique plures, praefertim vero CAELIVS AVRELIANVS [p]), qui rurfus hic, veluti data opera, contrarius eft ipfi CELSO. Cuius proinde inconftantiam, negligentiam et feftinationem merito hic notarunt FORESTVS [q]), WELSCHIVS [r]), PETITVS [s]), et B. nofter VATERVS [t]), nobis adhuc defideratiffimus.

§. XI. De Coeliaco igitur morbo iftud quidem caput fuum infcripfit CELSVS, in ipfo vero capite defcripfit potius morbum colicum; aliud ergo eft in rubro, quod dicitur, et aliud contra in nigro. Omnia enim ifta morbi figna et omnia quoque potiffimum remedia et

m) *Lib.* II. *de Morb. Acut. c.* 6. *p.* 18. *fq.*
n) *Lib.* X. *cap.* I. *p.* 561. *fqq.*
o) Lib. II. feu *Logic. cap.* 9. *p.* 79. *fqq.*
p) *Lib.* III. *de Morb. Acut. cap.* 17. *pag.* 237. *fqq.*
q) *Lib.* XXI. *Obf. Med.* 16. *p.* 84. *fq.*
r) *Curat Med.* V. *Decad.* VII. *p.* 416. *fqq.*
s) *Comment.* ad ARETAEVM, *p.* 161. *fq.*
t) *Diff. de Chordapfo* CELSI, *Witteb.* 1738.
u) In *variorum Notis*, nouiffimae CELSI Editioni, *Lugd. Bat.* 1746. adiectis, *pag.* 623. *fq.* Sed contra hoc iuftum, vt mihi certe videtur, SCALIGERI iudicium ante aliquot annos infurrexit illuftris et venerandus fenex, MORGAGNVS, *Epift.* VIII. in CELSVM, *pag.* 224. qua de re infra, fub finem huius Differtationis, plura.

et medendi rationes, quae ibi longe lateque recenſentur, colicae potius paſſioni, et quidem flatulentae, cum ſpaſmis praecipue coniunctae, conueniunt, quam quidem paſſioni coeliacae, colicae illi, tam ſecundum ſigna pathognomonica, quam ſecundum ipſam praeſertim medendi methodum, in omnibus paene contrariae, prout mox in ſequentibus diſtinctius et accuratius docebitur.

§. XII. Id quod etiam iam olim pro vaſti ſui diuinique ingenii amplitudine acute perſpexit maximus IOSEPHVS SCALIGER[u]). Cuius nempe haec ſunt verba notatu ſane digniſſima: *Commiſcuit hic* CELSVS *Colicum cum* κοιλιακῷ: *Facilis enim eſt lapſus. Hallucinans haec ſcripſit, quia, quum aluum nihil reddere dicat in hoc morbo, quod falſum eſt, et videtur de Colico intelligendum; tamen paullo poſt adſtringentia praeſcribit. Ex quo apparet, medicum non fuiſſe* CELSVM. Hactenus SCALIGER. A cuius ſententia veriſſima et e ſacro quaſi tripode dicta, haud longe abit hac ipſa noſtra tempeſtate celeberrimus Gallorum medicus, FRANCISCVS BOISSIER DE SAVVAGES[w]), cuius prudentiſſimum de hoc CELSIANO loco iudicium ſequens eſt: *Coeliacus affectus* CELSI *videtur colica periodynia ventriculi, ideoque a Coeliaca recentiorum* (imo et *veterum omnium,* quod hic ex ſuperioribus addo), *diuerſiſſimus.* Qualem quoque de hoc ipſo CELSI loco, ſententiam tulerunt Medici perenni nominis fama florentiſſimi, BALLONIVS, PECHLINVS, BONETVS, FREINDVS, HOFFMANNVS, SEPTALIVS, aliique plures. Adeo, vt hanc noſtram quidem opinionem ſatis ſuperque munitam eſſe arbitremur a ſumma tantorum virorum auctoritate; magis tamen adhuc ab ipſa ratione, veritate, natura et experientia.

Cuncta enim iſta Signa, Coeliacae paſſioni perperam hic a CELSO adſcripta, longe rectius Colicae flatulentae ſpaſmodicae tribuuntur ab ARETAEO, AEGINETA, ceteriſque ſupra laudatis auctoribus, preeſertim

w) In *Noſologia Methodica, Tom.* III. *Part.* II. *p.* 143. Conf. et *Part.* I. *p.* 138. vbi tamen ita ſcribit Vir clariſſimus: *Gaſtrodynia a peregrinis; Coeliacus affectus* CELSI. Vbi vero nonihil peregrina mihi videtur explicatio ab ipſo CELSI vero ſenſu; quod tamen pace celeb. illius Auctoris, a me dictum hic ac monitum ſit.

praesertim autem ALEXANDRO TRALLIANO x) atque CAELIO AVRELIANO y). Qualia nimirum sunt ventris durities, aluus pertinax, obstructa prorsus, et ne spiritum quidem seu flatum transmittens, spiritus difficultas, extremarum partium frigus et reliqua. Imo omnia ista verba CELSIANA: *Aluus nihil reddit, et ne spiritum quidem transmittit*, ita, ne vnico quidem omisso, Graece transtulit idem ALEXANDER TRALLIANVS: ἥτε γαστὴρ ἐπέχεται οὕτως, ὥστε μήτε φῦσαν ὅλως διεξιέναι δύνασθαι, *Aluus adeo vsque adstringitur, vt neque flatus omnino transire possit.* Denique CELSVS propriam pertinacis huius mali coeliaci sedem in ventriculi potissimum porta, siue pyloro, vt coniicere par est, consistere pronunciat: quam tamen portam, ceu malorum portam, longe accuratius assignant supra laudati medici ipsi passioni colicae flatulentae, spasmodicae; quod ipsum grauissima sua autoritate vlterius vberiusque confirmat magnus noster HOFFMANNVS z), vbi ita describit tristem miseri Iudaei casum, malo hoc flatulento spasmodico extincti: *Tali ratione obortus in duodeno spasmus, adnexum pylorum vehementer constrinxit, et ita angustauit, vt nullus prope flatibus e ventriculo patuerit exitus, vnde hic supra modum distentus, ingenti praecordiorum anxietati, inquietudini, pectoris oppressioni, dolori circa cordis scrobiculum tensiuo, nausea, vomitionibus, et reliquis symptomatibus ansam praebuit largissimam.* Haec HOFFMANNVS.

§. XIV. Verum nunc ex ipsis illis remediis, hic longa quidem serie ab ipso CELSO propositis, adhuc luculentius certiusque, spero, patebit, eum sub alieno coeliaci morbi nomine reuera, inscium licet, descripsisse ipsum potius morbum colicum flatulentum et spasticum. Cui nempe mitigando ista omnia conuenientiora sunt, quam quidem Coeliaco sedando; vti mox clarius videbimus.

§. XV. Nimirum omnia calida hic potissimum commendat CELSVS, veluti cataplasmata, balnea, olea, cibos et potus, item vomitum, ficus virides pingues, sinapismos, cucurbitas, sine ferro, perfricationes, gestationes,

x) *Lib.* X. *cap.* I. *pag.* 561. *sqq.*
y) *L.* IV. *de Morb. Chron. c.* 7. *p.* 528. *sqq.*
z) *Med. Rat. Systemat. Tom.* IV. *cap.* XV. *pag.* 347. *Tom.* III. *opp.* et praecipue *T.* II, *pag.* 284. *sqq.* vbi plura de hac ipsa *Colica passione flatulenta et spasmodica*, exactissime.

geſtationes, peregrinationes, nauigationes, et id genus alia, maximam quidem partem relaxantia et reſoluentia, atque emollientia.

§. XVI. Haec vero cuncta, ne vnico quidem excepto, contra ipſam paſſionem colicam, praeſertim flatulentam, rectius ordinat CAELIVS AVRELIANVS [a]), item PLINIVS VALERIANVS [b]), NONNVS [c]), AEGINETA [d]), ALEXANDER TRALLIANVS [e]), cum ceteris ſuperius laudatis: vnde ipſe diſſenſus tanto manifeſtius patet. Verum quid plura? ipſe noſter CELSVS iam ſupra, *Lib.* I. *cap.* 7. haec ipſa, contra Coeliacum morbum ſic dictum, hic commendata Remedia ordinauerat rectius aduerſus Morbum Colicum. Sic enim ibi ille: *id agendum eſt, vt lectione et aliis generibus exerceatur; vtatur balneo calido, cibis quoque et potionibus calidis, denique omnimodo frigus euitet etc.* Quo modo ergo in Morbis natura ſua prorſus ſibi contrariis, vna eademque medendi methodo, iisdemque Remediis commode ſciteque vti hic potuit CELSVS? certe, quae proſunt ad aluum duram et conſtrictam emolliendam et reſerandam; aegre profecto quidquam conducere videntur ad aluum fluxam nimis ac laxam ſiſtendam, adſtringendam ac roborandam. Inde ergo contradictio manifeſta liquido apparet, niſi vehementer forſan fallar. Sed haec hactenus.

§. XVII. Sed ad ipſius morbi coeliaci curationem, idem CAELIVS AVRELIANVS [f]), cum reliquis omnibus, iam ſaepius citatis, Remedia longe alia, illisque plane contraria, prudentius praeſcribit, nimirum mere ſtyptica, ſtaltica, ſeu adſtringentia, frigida, acria, tonica, aromatica, et id genus plura: veluti mala punica, herbas ſtypticas varias,

a) *Lib.* IV. *de Morb. Chron. cap.* 7. *pag.* 529. *ſqq.*

b) *Lib. de Re Med. cap.* 30. *pag.* 49. *ſqq.* exactiſſime.

c) *De omnium particular. Morb. Curat. Cap.* CLXX. *pag.* 193. *ſq.*

d) *Lib.* III. *cap.* 43. *pag.* 45. *ſqq.* Edit. Ald. Graec.

e) *Lib.* X. *cap.* I. *pag.* 563. *ſqq.* et praecipue, *pag.* 580. *ſqq.* vbi eadem omnia commendantur quoque, ab ipſo CAELIO AVRELIANO, propoſita.

f) *Lib.* IV. *de Morb. Chron. cap.* 3. *pag.* 502. *ſqq.* quae diligentiſſime omnino cum ipſis Celſianis Remediis, Coeliaco affectui oppoſitis, conferenda et inter ſe comparanda ſunt, vt contraria inde et diuerſa plane medendi Ratio vtriusque iſtorum magnae auctoritatis Medicorum, eo clarius manifeſtiusque pateſcat.

varias, acetaria, aquam frigidam, vinum generosum, austerum, et in mali punici cortice praecoctum, Cataplasmata stomachica constrictiua, Oxyporia, ex variis aromatis et seminibus acrioribus et feruidioribus parata, odoramenta resumtiua, poma austera, immatura, adstringentia, Ceratoria styptica, panem bene elaboratum vinoque adstringenti intinctum, vt reliqua nunc studio taceam, ibidem apud ipsum CAELIVM, per otium, commodius legenda.

§. XVIII. Quantum igitur distet haec ipsa Coeliacam passionem curandi Methodus Caeliana, ab ista quidem Celsiana, superius proposita, nemini non rerum medicarum vel leuiter tantum perito protinus in oculos manifestissime, spero, incurret. Nimirum, quum contrariae prorsus sibique ratione originis et caussarum, oppositae penitus sint passiones Coeliacae atque colicae: inde contraria quoque atque opposita omnino debet esse ipsa vtriusque medendi Methodus.

§. XIX. Colica nempe est proprie *passio stricturae*, vt CAELIVS AVRELIANVS cum reliquis, recte sentit; at Coeliaca e contrario, *passio* potius est *laxitatis* ac *resolutionis*, eodem probe obseruante, cum aliis. Inde igitur contraria contrariis rectius curantur, secundum notissimum illud praeceptum prudentissimum ipsius nostri HIPPOCRATIS, GALENI, CELSI et aliorum.

§. XX. Ecquis itaque ex his, quaeso, manifestissime haud perspiciat, in Coeliaca passione, seu sordido illo et assiduo ventris soluti profluuio, vnice conuenire Remedia adstringentia, reprimentia, refrigerantia, exsiccantia, roborantia, tonica, acriora, feruidiora, et generosiora? at in Colica contra, praesertim flatuosa illa et spasmodica, vulgo sic dicta, de qua hic nobis potissimum sermo huc vsque fuit, rectius in vsum aduocanda esse Remedia relaxantia, emollientia, discutientia, resoluentia et antispasmodica, vt vulgo dicuntur?

§. XXI. Quare ex hactenus accuratius, ni fallor, disputatis, luculentius nunc certiusque patere arbitramur, ipsum nempe CORNELIVM CELSVM, quum obiter forte et negligenter legendo veteres Auctores Graecos primum ipse falleretur; deinde falsa ista persuasione inductum fefellisse quoque in hunc vsque diem innumeros paene lectores,

ctores, vt Morbum Colicum hic ſub Coeliaco celatum eſſe, vix animaduerterent, quod tamen pace ipſius CELSI nobis etiam venerabilis, manium, ipſorumque Celſicolarum magnae famae atque auctoritatis, a nobis hic libere pronunciatum ſit, non tam foedo temere obloquendi pruritu, ſancte teſtor; quam potius fido veritatis indagandae ſtudio. Si quis enim meliora et certiora hic attulerit; ego certe veritati lubentiſſime cedam. Sed de his hactenus.

Haec omnia iam a me ita perſcripta et impreſſa erant, quum ecce, ab Amico Lipſienſi ſupra laudato, mihi opportune adferuntur ill. et venerandi ſenis, IO. BAPT. MORGAGNI *Epiſtolae in* CORNEL. CELSVM doctiſſimae, in quarum VIII. *pag.* 224. *ſq.* de hoc ipſo controuerſo *Morbo Coeliaco* CELSI exactius tractatur, ipſiusque defenſio contra SCALIGERI potiſſimum ſententiam, a me ſuperius laudatam ſuſcipitur. Sed audiamus iam ipſum praeſtantiſſimum auctorem ita ibi docte loquentem: *Aequius erat, primum inquirere, an forte, qui ante* CELSVM, *de Medicina ſcripſerant, Graeci, non eundem, quem poſteriores, Morbum eodem nomine deſignaſſent; aut, ſi eundem, an interdum tamen alium quoque: deinde, ſi nunquam alium, quam poſteri, ſignificaſſent; tum vero cogitare, an Librarii, vt tot alia nomina, graeca praeſertim, in deſcribendo, vitiarunt; ita aliud a* CELSO *fortaſſe ſcriptum, in* κοιλιακὸς *mutaſſent.* Specioſa haec, non diſſiteor, imo et non infirma, primam quidem frontem videntur: ſed ſi ab illo venerando ſene de vniuerſa Medicina, et ſpeciatim Anatomia, immortaliter merito, quem ipſe ſenex, ſummo obſeruantiae cultu ingenue proſequor, diſſentire hic modeſte liceat, licebit autem, vt confido; non deſunt mihi omnio, quae regeram, argumenta. Quod igitur primo ad auctores illos Graecos attinet, iam ſupra §. IX. paucis reſpondi, in nullo medicorum Graecorum, hodie quidem ſuperſtitum, quantum mihi certe conſtat, in his ipſis haud plane hoſpiti, morbum Coeliacum ita deſcriptum deprehendi, quomodo nempe a CELSO hic factum; qui quippe aſſerere videtur, generatim quaſi a Graecis medicis morbum iſtum a ſe deſcriptum, nominatum fuiſſe Coeliacum. Qui ergo, obſecro, iſti fuerint Medici? forſan hodie plane interciderint? vt re vera multi interciderunt,

 ab

ab ipſo laudati paſſim, et olim lecti. Mirum tamen omnino, quin et incredibile paene videtur, a nullo medicorum Graecorum, nobis adhuc relictorum, quibus tamen eos ipſos auctores, ad quos paſſim provocat ipſe CELSVS, conſulere licuit, ex iiſdem, duplicem iſtum morbum coeliacum diuerſae plane naturae, dum nempe vnus aluum nimis conſtringit, alter contra nimis relaxat, vſquam fuiſſe obſeruatum. GALENVS enim, AETIVS, AEGINETA, ARETAEVS, ORIBASIVS, ALEXANDER TRALL. et praeſertim CAELIVS AVREL. qui omnium exactiſſime de Morbo Coeliaco tractat, et ad ipſos quoque Medicos veteres graecos prouocat, ne verbo quidem ingentis iſtius diſcriminis, inter vtrumque iſtum Morbum Coeliacum, notatu tamen alioqui digniſſimi, meminerunt. Vnde ſane neſcio, quomodo commode ſatis hic defendi poſſit CELSVS. Ad alterum vero defenſionis momentum, de incuria ſcribarum, tanto facilius nunc reſponderi poteſt. Peccare potuiſſe, et ſaepius quoque re ipſa peccaſſe, praeſertim in Inſcriptionibus capitum, ignaros rerum iuxta et verborum Librarios, ipſe plus ſemel expertus, lubens largior: Aſt hoc certe in loco, id ipſum mihi vix veriſimile videtur: aut enim ſcripſerint κοιλιακὸς, aut κολικὸς, quum tertium hic vix detur: nullum enim alium noui morbum, qui aut ipſa voce graeca, aut ipſa re, aptius huc conueniat, quam quidem κολικὸν, aut κοιλιακὸν: quoniam ſcilicet hic deſcribitur Morbus infimi ventris et inteſtinorum, qui inde aut κολικὸς eſſe debet, aut κοιλιακὸς: Non poteſt autem eſſe κοιλιακὸς, ob deſcriptionem prorſus contrariam, vt ſupra multis probaui; ergo potius eſſe debet κολικὸς, cui nempe iſta definitio Celſiana longe melius aptiusque conuenit. Sed haec hactenus! quae tamen cuncta ill. MORGAGNI ſplendido arbitrio, ſumma cum veneratione, ſubiicimus.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA VNDECIMA.

DE

PINGVEDINE CEV SVCCO NVTRITIO SVPERFLVO.

HIPPOCRATES

LIB. DE

CARNIBVS.

ΕΓΩ ΚΟΙΝΗΣΙ
ΓΝΩΜΗΣΙ ΧΡΕΟΜΑΙ
ΕΤΕΡΩΝΤΕ ΤΩΝ
ΕΜΠΡΟΣΘΕΝ ΑΤΑΡ
ΚΑΙ ΕΜΕΩΥΤΟΥ.

LECTORI SI QVIS FVTVRVS S DAN. WILHELM. TRILLERVS.

De pinguedinis ortu et vſu, *agit haec mea Diſſertatio, quae tuo iam iudicio ſubmittitur. Ortum e primis oeconomiae animalis ita deduxi principiis, vt, niſi mihi valde, quod abſit! blandiar, nec omnem diligentiam deſiderare poſſis, nec iudicium aliquod. De vſu autem, aut certe vſibus, quos tradunt, aut fingunt varii Auctores, nimiis, nonnihil dubitaui, et etiamnum dubito, non nouitatis quodam, ſancte teſtor, pruritu; ſed vnico potius veritatis ſtudio:*

Si illud, quod volumus, eueniet, gaudebimus,
Sin ſecus; patiemur animis aequis.

Ferebat quidem animus, huius ſpeciminis loco, exhibere tibi, quod de Heroum Homericorum Vulneribus *dudum conſcripſi,* Schediaſma chirurgico-criticum, *de quibus nemo, quod equidem ſciam, hucusque ſeorſum egit. Sed quum illud et criticum nimis, et quod praecipuum, paullo videretur ſpiſſius; conſilium interea mutaui; nondum tamen prorſus abieci, ſi*

 modo

modo blandior fauoris tui adſpirauerit aura *). *Stili phaleras, aut cothurnum nec quaeres in his leuibus pagellis, nec inuenies: Scripſi enim, quae intelligerentur, non quae legerentur tantum: Veritatis res agebatur, non venuſtatis. Haec te nolui latere. Sed*

Non hic te carmine ficto
Atque per ambages et longa exorſa tenebo.

Hinc legas, velim, et iudices, immo etiam, per me quidem licet, vbi opus forte fuerit, ſeuerius notes. Scripſi Halae, *A. O. R.* CIↃ IↃCCXVIII. *D. Auguſt.* II.

DE PINGVEDINE CEV SVCCO NVTRITIO SVPERFLVO.

§. I.

Ex pingui quadam ſubſtantia generamur et formamur; eſt enim ſemen ſecundum diuinum HIPPOCRATEM, *Lib. de Genitura*, τοῦ ὑγροῦ τὸ ἰσχυρότατον καὶ τὸ πιότατον [a]); Pingui quodam liquore nutrimur in tenera adhuc aetate, nam lac, quod tum ex mammarum haurimus fontibus, eſt ex eiuſdem ſenis mente, τὸ πιότατον ἀπὸ τε βρωτῶν καὶ τῶν ποτῶν [b]): Poſt, vbi per aetatem ſolidiores adpetere licet cibos, ſucco nonniſi pingui, ex ipſis chylificationis ope, expreſſo ſuſtentamur, augemur, creſcimus ac valemus, prout in ſermonis demonſtrabitur progreſſu: ſic nempe idem HIPPOCRATES alio loco [c]), ſicut ille olim a me per coniecturam forſan haud plane improbabilem, quod et ZWINGERVM ex parte ſubodoratum fuiſſe poſtea didici; Πίον τὸ ἐκ σαρκὸς, πιῶδες τὸ ἐξ αἵματος καὶ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης. Πίον

*) Sed eheu! omnis fere periit labor. In variis enim itineribus, et crebra per vitam, locorum et habitationum mutatione, plurima iſtius opuſculi pars aut per incuriam deperdita fuit, aut per malitiam ſurrepta. Sed facilis iactura.

a) *Lib. de Genitura.* In gratiam τῶν ἀνελλήνων hic et in ſeqq. vbi graeca occurrunt, addam verſiones. *Humidi robuſtiſſimum et pinguiſſimum.*

b) *de Pueri Nat. Pinguiſſimum de cibis et potibus.* c) *de Aliment. extrem.*

Πίον τgοφὴ ἄλκιμος. Πίον τροφὴ φλεβὸς, ἀρτηρίης[d]). Dum autem pingui illo et oleoſo nutrimur ſucco, ac per eundem creſcimus, naturae eo non tendit labor, vt pingueſcamus; ſed vt potius ſufficienti carne induti, commode et libere viuamus. Videtur ergo pinguedo iſta vberior et exſuperantior, quae in animato conſpicitur corpore, naturalis non eſſe, ſed ceu ſuperfluum nutrimentum, quodque a natura partibus nutriendis commode adglutinari haud poterat et hinc, quantum nempe commode fieri potuit, foras expulſum, omnino conſideranda. Hoc quod nec temere nec audacter ſtatuatur, *Specimine* hocce *Inaugurali* vt vocant, breuiter, at ſufficienter, niſi fallor, a me demonſtrabitur: Cui conamini vt eruditi faueant, enixe rogo atque obteſtor.

§. II. Vt vero hoc negotium ordine tractetur, atque ex ipſo vt aiunt, fundamento eruatur, diſſerendum nunc eſſe video cum de Nutritione corporis animati, tum de Nutrimento ipſo. His enim rite explicatis, ſua ſponte elucebit, quouſque mea tendat meditatio, quantumque ponderis habeat aut roboris. Poſtquam ANDRY, LEEVWENHOECKIVS, MALPIGHIVS, DV HAMEL, BORELLVS aliique ſagaciores ſolertioresque naturae myſtae argumentis ſat grauibus, ipſaque cum ex ratione, tum autopſia petititis, euicerunt, animalium nutritionem et augmentationem ſecus fere non fieri ac vegetabilium, quae in ſeminibus ſuis etiamſi minutiſſimis v. g. papauere, ſinapi, ceraſi nucleo etc. ſtupendo quodam et humanas cogitationes excedente propemodum modo, effigiata et in compendio quaſi deliteſcentia, per humorem ex

terra

d) Quum olim πύον et πυῶδες nullo paene legeretur ſenſu, πίον et πιῶδες, ſubſtitui, item ἄλκιμος loco τȣ̃ ἕλκεος itidem forſan vitioſe ſcripti. Verſio haec eſt: *Pingue ex carne, pingue ex ſanguine et ex alia humiditate, pingue nutrimentum generoſum, pingue nutrimentum venae et arteriae.* Sed vid. tamen huc HESYCHIVM, *voce* πύον, et inprimis FOESIVM, in *Oecon.* ſub eadem voce, item SCHENK. de *Natura Lactis, Art.* III, 2. *pag.* 85. Ceterum vero circa ipſam mutationem vocis ἕλκεος, in ἄλκιμος, adhuc nonnihil dubius haereo: Forte non inepte hic legendum σκέλεος, praeſertim, quum ſaepius in Vett. Codd. confundantur σκέλος, et ἕλκος. Sed praeſtat hic ἐπέχειν, quoniam forſan abſconditus quidem ipſius HIPPOCRATIS ſenſus hoc quidem loco, latere poteſt; quod ſane non mirum, quia hic ipſe de *Alimento*, Liber propter miram et ſingularem βραχυλογίαν, mera paene et δυσνόητα aenigmata in ſe continet, vt Lectori manifeſtum.

terra ipſis adpropriatum e) blandumque ſolis calorem, rupto repagulo ſ. cortice, extenduntur, ſicque in altum latumque, porriguntur: Dubium paene nobis ſupereſt nullum, quod illud dogma admittere vetat, quod et illuſtriſſima aeui noſtri ingenia defendere non erubuerunt; ſtatuimus nimirum inde cum illis, foetum delineatum iam ſuisque partibus artubusque inſtructum latere in femellae ouario, immo diſtinctius, ouulo, ita tamen, vt motu ille careat f); tamque tener ſit ac paruus, vt omnem omnium oculorum eludat aciem: ſimul ac autem ab aura maris plaſtica ſpirituoſa fuerit adflatus, hincque in peculiarem quendam motum adactus et actuatus, poſt per tubas ſic dictas Fallopianas in vteri cauitatem abactus; tunc accedente chyloſo nutrimento, primo pauciore, ratione tenelli ouuli, poſt paullatim auctiore, vt recte adnotat HIPPOCRATES g), illum incipere augeri h. e. extendi, adeo vt facilius conſpici queat et contrectari h). Sic ſupra laudatus LEEVWENHOECKIVS i) ex ouilla matrice foetum quondam exemit dierum ſeptendecim, omnibus ſuis membris et viſceribus perfecte inſtructum, licet octauam piſi partem proportione ille haud excederet: ſic et ipſe HIPPOCRATES, ſiue auctor libelli *de Aetate*, inter Hippocratea vulgo relati, foetum humanum ſeptem tentum dierum ſe vidiſſe teſtatur, qui in aquam coniectus ſicque explicatus omnia membra habere repertus eſt, quam ſententiam M. quoque VARRO adprobauit, vt ex A. GELLIO docemur: taceo in praeſenti,

e) De quo eleganter diſſeruit HIPPOCRATES *Libb. de Nat. Pueri*, item IV. *de Morbis etc.* qui et ipſe ait, vbi homines vegetabilibus ſimillimos eſſe, abunde demonſtrauit, τὴν φύσιν πᾶσην παραπλησίην ἐῦσαν, τῶν τε ἐκ γῆς φυομένων, καὶ τῶν ἐξ ἀνθρώπων, *Naturam omnem conſimilem eſſe et Vegetabilium et hominum;* qualia etiam apud ARISTOTELEM et GALENVM MVSONIVMQVE etc. leguntur.

f) Vnde non inepte dixit ARISTOTELES de *Gen. An. L.* V, I. eum primum dormire, ſomnoque immerſum ſenſu motuque carere.

g) *de Nat. Pueri.*

h) Hinc et ARISTOTELES egregie marem dixit foetum viuificare ipſique animam quaſi et motus principium indere, femina ſubminiſtrante tantum materiam, de *Gen. An. L.* II. IV. quod et SCALIGER propugnat contra CARDANVM. *Exercit.* CCLXVIII. Vid. maxime ALMELOVEEN *Amoen. Theol. Philol. pag.* 143.

i) *Arcan. Nat. Part.* I. *pag.* 164.

ſenti, quae Cl. BRENDELIVS[k]), et, quem ille allegat, Ill. BERGERVS obſeruarunt in hanc rem, ſtupenda plane fidem paene omnem ſuperantia: ſufficiat iam prioris viri doctiſſimi allegaſſe diſſertationem[l]) *de Embryone, in ouulo ante conceptionem praeexiſtente.*

§. III. Haec igitur auctio, haec inquam extenſio in vtero materno inchoata, et ad exactum partus vſque tempus ſenſim continuata, continuatur poſt maiori niſu, quum foetus excluſus liberiori exponitur aeri, hincque citatiorem ſanguinis inchoat circuitum; et perficitur demum, vbi natura metam attigit ſibi a ſummo Creatore praefixam, id eſt, vbi ad adultam aetatem homo peruenit, quod poſt aliquot viginti annorum decurſum fieri ſolere aſſerunt. Eſt ſcilicet vnicuique ſua menſura ſuumque pondus[m]), ad quae vbi peruentum eſt, ſine detrimento altius aſſurgere nequit naturae operantis conatus. Hinc perfectam illam, quam dixi, aetatem THVCYDIDES vt et PLATO vocarunt καθεςηκυίαν *conſtantem*, vt vertit TVLLIVS, teſte GALENO, et qui ad illum prouocat, FOESIO: et HIPPOCRATES illos[n]), qui in ea ſunt conſtituti, καθεςηκότας, *conſiſtentes, haud amplius creſcentes,* quos et ex eodem capite rectiſſime dixit εὐφορώτατα νηςείην φέρειν[o]), de quo infra pluribus. Huic autem menſurae, h. e. corporum extenſioni abſonum eſt limites ponere, imo in ipſum Creatorem naturamque iniurium. Quidam in longum porriguntur adeo, vt portentoſum quid habere videantur: alii e contrario adeo depreſſi ſunt atque exiles, vt pygmaeorum eſſe poſſent nepotuli: multi etiam, iique fere plurimi, medium magnos inter paruosque obtinent locum. Sed hos omnes perfecta

k) *N. A. P.* III. *c.* X.

l) §. XXV. *pag.* 38.

m) Niſi forſan Nili incolam crocodilum velis excipere, quem quamdiu viuit, in longum creſcere ferunt quidam apud PLINIVM *L.* VIII, 25. add. AELIAN. *Hiſt. Animal. Lib.* XVII. *cap.* 6. item PLVTARCH. et alios veterum: quod et illuſtris confirmat THEVENOTVS *Itiner. Orient. P.* I. *L.* II. *c.* 72. aliique plures ſcriptores, hodoeporici praeſertim, vno ore animoque affirmant.

n) *Aph.* I, 12.

o) *Facillime ieiunium ſuſtinere:* ceterum miror, hunc locum ab interpretibus, paucos ſi exceperim, ſecus fuiſſe explicatum, quod obiter noto.

perfecta autumo habere corpora, modo iusta gaudeant membrorum ſymmetria ac proportione; haec enim ſi adfuerit, nemo mihi vel *ἄγρια φῦλα γιγάντων*, vt HOMERVS canit[p]), i. e. ingentis ſtaturae homines, nec pumiliones h. e. homunciones et hominum quaſi compendia monſtra eſſe perſuadebit: ſicuti nec arbuſculas humilesque myricas, nec ſidera ferientes abietes protinus pro naturae errantis aut languentis operibus habere conuenit: Videatur praeter HIPPOCRATIS *de A. A. et L. librum*[o]), ELSHOLT. *in Anthropometria*, et beatus meus parens, IO. MAVRIT. TRILLERVS, *de Vſu proportionis in mundo*, item *de Statura longa perſonarum illuſtrium*. Quomodo vero haec fiat extenſio, paullo infra dicam.

§. IV. Poſtquam igitur homo iuſtam ſuam menſuram, ad quam adquirendam plurimum ſane requirebatur nutrimenti, perfecte expleuit, amplius augeri ſiue expandi nequit; *ἀλλ' ἕστηκεν ἀτρεμίζον τὸ σῶμα τῆς αὐξήσεως πυκνόν τε ἐὸν καὶ ἀτρεκὲς*[r]), vt perbelle noſter inquit dictator. Hinc nec tanto opus eſt alimento, quanto ſcilicet antea, quum adhuc creſceret; ſed tantum ipſi ſaltim eſt neceſſarium, quantum ad reſarciendum illud, quod vel per inſenſibilem tranſpirationem, vel ſaliuam etc. quotidie perditur. Id vero priorum impenſarum reſpectu longe minoris videtur momenti, et nutritionis vix eſt perdignum nomine, vnde etiam notha quibuſdam audit nutritio. Elegan-ganter hinc THEODORETVS de nutritione verba faciens, inter alia ita ait: *Οὗτο τὸ σῶμα τρεφόμενον ἐν μὲν τοῖς βρέφεσιν αὔξεται καὶ μηκύ-*

νεται

p) Odyſſ. VII. 202. *Ruſticae Gigantem nationes*.

q) C. C. IX. c. X.

r) *Lib.* I. *Diaet. et de Glandul. pag.* 421.

s) *Sed ſtat corpus de augmento quieſcens dum compactum eſt et conſummatum.* Vulgo legebatur ἀστεργὲς, quae vox hic nihil ſignificat. Ego legendum cenſeo ἀτρεκὲς, quem in ſenſum ſaepius hac voce vſus eſt HIPPOCRATES. Niſi forte rectius et concinnius ſcribendum hic fuerit, vnica tantum demta litera ἀστεγὲς, quod idem hic eſt ac πολυστεγὲς: Sic enim acute ſcholiaſtes APOLLONII RHODII, *Lib.* III. *pag.* 190. b. Edit. *Ald.* ἀστεγὲς, ἀντὶ τὸ πολυστεγὲς, τὸ γὰρ α. νῦν ἐπιτατικὸν, ὡς ἄξυλος ὕλη, Sed de hoc ipſo controuerſo et περιμαχήτῳ HIPPOCRATIS loco, nos proxime, cum Deo, plutima ad ipſum HIPPOCRATEM. Haec interim hic ſufficiant. FOESI emendationes interea videri poſſunt in eius oeconomia ſub ἀστεργὲς, et ab aliis laudati: mihi certe illae nimis viſae ſunt durae et allegoricae.

t) *Serm.* III. *de Prouidentia.*

νεται καὶ εὐρύνεται, καὶ πρόσφορον κατὰ βραχὺ προσλαμβάνει ὄγκον, ὅταν δὲ εἰς τὸ ὡρισμένον ἀφίκηται μέτρον (de quo ante diximus) τηνικαῦτα τῆς μὲν αὔξης παύεται, τρέφεται δὲ μόνον u). Imo ipse HIPPOCRATES *Liob. de Diaet. Nat. Pueri*, et alibi saepius distinguit inter αὔξησιν et τροφὴν: adde inprimis auctorem definitionum medicarum GALENVM vulgo creditum, item PLVTARCHVM. Sed de hac re inferius agam pluribus: Iam ad ipsum progredior Nutrimentum.

§. V. De Nutrimento eiusque essentia, dictu est difficile, quantae Physiologos inter et Anatomicos lites fuerint motae: sanguis scilicet non omnibus pro commodo et adpropriato partium omnium nutriendarum sufficiebat nutrimento, licet praeter HIPPOCRATIS, DEMOCRITI, PLATONIS, ARISTOTELIS, aliorumque veterum consensum fere vnanimem, ipsa illud suaderet, imo postularet ratio. Sanguis enim ex chylo paratus omnes habet qualitates et proprietates, quae variae variarum partium nutritioni commode inseruire possint, quod omni alii succo, qualiscunque ille tandem sit, a natura denegatur, quum et ille ceu ad veram catholicamque nutritionem ineptus, a sanguine sit sepositus, in vnum alterumue tantum vsum. Adeo remotiora atque abstrusiora mortales quaerunt, propiora eaque certiora negligentes. Audiendi igitur non sunt GLISSONIVS, nec strenuus eius defensor CHARLETONVS, nec his consentiens CONSENTINVS, nec alii et Angli et Itali, pauci admodum, ETTMÜLLERO teste, eos sequuti, qui praeter sanguinem, quendam neruorum succum pro vero et efficacissimo corporis animati venditarunt nutrimento. Eorum enim argumentis, vtut prima fronte speciosis, sed non firmis, quoniam ipse ille succus nerueus, si quis nempe adsit, ipsi sanguini suam originem necessario debet, satis valide obuiam itum fuit a viris per vniuersum orbem clarissimis, BARTHOLINO, BAYLIO, BETTO, BOHNIO, BRVNONE, COLE, DEVSINGIO, ETTMÜLLERO, REGIO, RIVINO, STENONE, VERHEYENIO, WEDELIO, WILLISIO, aliisque

u) *Corpus sic nutritum in infantibus quidem augetur, et in longum latumque extenditur, et adaequatum paullatim assumit pondus. Quando vero ad definitam peruenit mensuram, tunc cessat augeri et nutritur solum.*

que pluribus, quos hic allegare tantum, non exſcribere, mens eſt, quum eorum ſcripta nemini non ſint, certe eſſe debeant, notiſſima. Potius cum iiſdem, inprimis BOHNIO, ETTMüLLERO, HARVEO et VERHEYENIO etc. adſerimus, ſanguinem arterioſum puta, corpusque vniuerſum perenni alueo percurrentem, eiusque cumprimis partem ſeroſam, ſeu gelatinoſam et pinguem, HIPPOCRATI πίειρην δύναμιν [u]) vocatam, partibus nutriendis ceu aptam et adaequatam maſſam a natura impendi, quod et ipſa docet autopſia in iis praeſertim ſubiectis, quae dum πολύσαρκα ſunt atque ſubpinguia, ideoque ſucco nutritio adeo non indigent, in ſanguine monſtrant ſerum quoddam pingue ſupernatans, lacti fere ſimile, vt in anſeribus, frumentaceis turundis diu paſtis, obſeruauit OLAVS BORRICHIVS [x]), cui aliud addi poteſt experimentum, quod apud WILLISIVM [y]) legere licet. Videmus praeterea in corporibus fame emaciatis ſanguinem et perpaucum eſſe tenuemque [z]) et, quod inprimis huc facit, ſucco illo gelatinoſo ſeu pingui deſtitutum, vt celeberrimus obſeruauit BOHNIVS [*]), item BARTHOLINVS. Taceo alia. Veriſſimum ergo eſſe videtur, pingue ſanguinis ſerum, h. e. quintam quaſi chyli eſſentiam, Cambium veteribus Arabibus dictam, corpus animatum et nutrire, et apte nutrire poſſe.

§. VI. Dixi ſuperius paullo, veram noſtram nutritionem ſeu augmentationem fieri per extenſionem: hic ergo demonſtrandum reſtat, qua ea fiat ratione. Extendi iam incipimus in materno vtero, de quo ſupra actum: Haec autem extenſio cum ea comparari haud poteſt, quae tunc demum incipit, quando foetus in liberiorem protruſus aerem, organisque chylificationi inſeruientibus ita fuit inſtructus, vt iis vti poſſit commode [a]), et maiore demum naturae peragitur conamine, in tenello, vt dixi, luci publicae expoſito, et per os alimenta ſua auide hau-

v) *Pinguem potentiam.*

x) *Hermet. Anti-Conring. L.* I. *c.* I.

y) *Anat. Cerebr. c.* XX.

z) Quod quidem CHARLETONVS, BORELLVS aliique in dubium vocant; ſed a DIEMERBROECKIO variis exemplis fuere refutati.

*) *Progymn.* VII. *ſub fin.*

a) Quod non ab initio, vt DEMOCRITVS et EPICVRVS apud PLVTARCHVM *Pl. Ph.* V, 16. putarunt; ſed vltimis

hauriente; poſt in ventriculo et inteſtinulis digerente, digeſtaque in ſui augmentationem impendente. Videtur autem hic mihi ſuccus ille nutricius, quem et in vtero, et poſtea ex nutricis mammis imbibit tenellus, ſufficiens non eſſe ad corpus eius, quod quidem per illius adfluxum ſenſim ſenſimque extenditur, conſolidandum, illaque, quae per illam extenſionem pateſcunt, interſtitia et variae figurae angulos porosque ad ſuam forte, vt ita loquar, *aquoſitatem* apte complendum [b]). Nam dum et mater et nutrix de eodem ſucco participant nutritio, priusque fere nutriuntur ac ipſe quidem foetus et infans: vna cum ſucco alibili multas particulas aqueas minusque tenaces ad ipſos remeare credo. Huic meae ſubitae meditationi anſam dederunt caro infantum ſucculenta et quaſi ſpongioſa, oſſiumque ſubſtantia vt plurimum cartilaginea. Fieri ergo tum demum perfectam nutritionem, hoc eſt, extenſionem cum conſolidatione ſimul, coniicio, quando pueri ſolidiores cibos, per dentes comminutos, aut his deficientibus, per gingiuas attritos, adſumere poſſunt, ſuique iuris ſunt ita, vt de ipſorum alimen-

vltimis potius geſtationis menſibus, contingit, vti poſt HIPPOCRATEM *de Carn.* §. VIII. certatim probarunt Viri maximi BACKIVS, BARTHOLINVS, BOHNIVS, CARTESIVS, COITERVS, HARVEVS, EVERARDI, SPONIVS, DIEMERBROECK, HARDER, GASSENDVS, HEISTERVS, HOFFMANNVS, SCHOOCKIVS, SEGERVS, VELTHVSIVS, VERVLAMIVS, VESLINGIVS aliique, praeſertim autem et data opera, STALPART. VAN DER WIEL, *Obſeruat. extrem. pag.* 327. *ſqq.* et maxime in Exercitat. de *Nutritione foetus,* ibid. add. et nouiſſime *Tentamina Med. Edinburg. Vol.* I. *Sect.* 13. *p.* 221 *ſqq.* item Diſſertationem de hoc ipſo difficili et ambiguo argumento, Wittebergae, ante aliquot annos, publicatam. Nuperrime accidit, vt mercenarii cuiusdam in vicinia, vxor infantem partu ſatis enitetur difficili, cuius funiculus vmbilicalis a putredine totus fere erat exeſus: Hic impoſſibile fuiſſet, vt vixiſſet, niſi aliunde, quam per funiculum illum, ipſi ſuggeſtum fuiſſet nutrimentum. Similem fere Hiſtoriam mirandam enarrat ROMELIVS, in *Miſc. Natur. Curioſ. Dec.* II. *Ann.* VII. *Obſ.* 209.

b) Simile notat HIPPOCRATES de Plantis, quarum et generationem et nutritionem cum natura humana exacte convenire, fuſius ediſſeruit, vt ſupra iam me obſeruare memini. Putat nimirum *Lib. de Nat. Pueri* §. XXII. eas, priusquam adoleſcant & firmas agant radices, tenui tantum et aquoſo nutriri nutrimento: tunc vero, vbi ſolidiores fieri inceperint, ἐκ τῆς γῆς ἕλκειν οὐκέτι ὑδαρὲς, ἀλλὰ παχύτερον καὶ πιότερον καὶ πλέον, *ex terra non amplius aquoſum attrahere nutrimentum, ſed craſſius, pinguius et copioſius.*

to nemo participet amplius, tunc enim τιοαῦτα ἀμφιέννυται τὰ παιδία, οἷά περ οἱ ἄνδρες c), vt magnus ait HIPPOCRATES alia licet de re: nec nostrae inepte prorsus dicunt mulierculae: *das Milch-Fleisch muss ihnen erst wegfallen.*

§. VII. Haec autem, de qua dixi, consolidatio concipi fere nequit, quam per durabilem aptamque interstitiorum et angulorum modo dictorum repletionem, inde et eleganter ALCMAEON apud PLVTARCHVM e), dixit embryonem seu corpus ἀναλαμβάνειν ὥσπερ σπογγιὰν τὰ ἀπὸ τῆς τροφῆς θρεπτικα f). Necessaria ergo erat massa, quae nec rigida nimis esset, nec fluida nimis ac aquea, sed media potius inter vtramque, i. e. succus, vt VERVLAMIVS loquitur, *subdurus*, *subpinguis* aut *subroscidus.* Quum enim rigida esset et minus flexilis, haud commode insinuare sese poterat in interstitia illa, quae ratione varii fibrillarum flaminumque plexus flexusque, suppono nunc coniformia, quadrangularia, triangularia, rotunda etc. nec iis apte inhaerere: sin fluida nimiumque flexilis, metus suberat, ne eadem illa interstitia per lubricitatem suam relinqueret vacua et incassum pertransiret, quod tabidorum inprimis testatur sanguis serosior iusto et aquosior, vnde et vera deficit nutritio. Nulla igitur ad condensationem seu completionem massa erat aptior, quam subpinguis et gelatinosa. Haec enim per flexilitatem, cuiuscunque figurae replere poterat spatium, et per tenacitatem eidem apte satis et firmiter adhaerere atque adglutinari, demumque accedente inprimis calore, et ex hoc enata coctione et agitatione, in corpus conuerti solidum, ita vt illi tandem, cui adhaesit, parti omnino euaderet similis, quod vno verbo alimenti physiologi vocant ὁμοίωσιν siue *assimilationem*, magno ipsis facem praeferente HIPPOCRATE, qui et alibi vocem ἀλλοίωσιν vsurpat, i. e. *permutationem* succi nutritii in ipsam, cui inhaesit, partem, sensu nihil plane differente. Quod autem pingui et chyloso succo animata nutriantur corpora, eleganter quoque illustris VERVLAMII g) demonstrat experimentum, quo

c) *His innestiuntur pueri, quibus viri.*
d) *de Octimestr.*
e) *Pl. Ph.* V, 26.
f) *Veluti spongiam imbibere ex alimento particulas nutritias.*
g) *Silu. Silu. Cent.* VII. 678.

quo omnem paene carnem minutim dissectam vitro membrana clauso inditam et aquae ebullienti per sex semptemue horas impositam, in pinguem quandam gelatinam h. e. in sua primordia, resolui posse docet: cui simile est, quod de struthione refert THEVENOTVS h), qui captus et per tempus agitatus volutatusque penitus tandem in butyrosam quandam liquescit materiam (solis remanentibus capite ossibusque), quam Arabes *Mantegue* vocant: quo de mirando experimento tamen me non alibi quidquam legere memini: interim tamen sancte illud affirmat auctor, ceu a se quidem ipso non visum; ast pro certo tamen acceptum ex relatione fideli innumerorum paene hominum auctoritate grauissimorum, et hinc fide dignissimorum. Ego vero hic prudenter ἐπέχω. Vt illud iam omittam, quod WILLISIVS in eandem rem habet *Cap.* XX. *de Cerebri Anatome*, superius allegato.

§. VIII. Haec alimenti ὁμοίωσις et interstitiorum repletio durat, quousque corpus crescit, i. e. quousque extendi potest, vt saepius dictum: quod ad pubertatis vsque annos contingere magnus adserit BOHNIVS: certe ad aliquot viginti praeter propter annos. Quibus adquisitis, desinit omnino corpus in longum latumque extendi atque amplius augeri, quum nulla supersint interstitia, nullusque sit ὁμοιώσει locus. Interim vero nihil detrahitur nutritioni: eadem immo et maiori alimentorum fruimur copia, licet haud amplius crescamus. Et quamuis nutritione carere non possimus, ad statum illum extensarum partium integrum conseruandum, partesque ipsas, quibus per insensibilem transpirationem, vehementiores motus etc. etc. multum quotidie decedit roboris, quod *Sanctorii Medicina statica* accuratissima lance trutinat, dum eae quasi arescunt, liquore illo generoso et efficaci perfundendas et irrorandas: Videtur tamen plus quotidie post expletum scil. accretionis terminum, elaborari succi nutritii, quam corpori nostro reficiendo opus est.

§. IX. Atque sic sua sponte, vt supra dixi, ipsam, ad pinguedinem deducimur. Ea nimirum est superflua illa succi nutritii portio, et hinc vix vllam ad corporis perfectionem et integritatem requiri credo

h) *Itiner. orient. P.* I. *L.* II. *c.* XXV. *pag.* 224.

do pinguedinem, siue ea sit *radicalis*, siue *secundaria*, vt MOLINETTVS et ex eo MAIOR i) distinxerunt apud BARTHOLINVM k). Dum enim succus nutritius largo quasi flumine ad corporis propellitur partes, ibi autem ipsi, vt dixi, locus non conceditur ob corpus iam auctum et completum; transudat ille per carnis poros, et vbi locum nactus est commodum, praesertim in membranis, ibi adhaeret, et dum augetur indies et sensim quasi solidescit, i. e. dum sacculi illi et vtriculi oleosa substantia turgidi arctius sibi inuicem imponuntur, sub massa quadam albicante siue flauescente oleosa comparet, quam *pinguedinem* adpellare collibitum fuit l). Hoc vt probemus, ad ipsos statim prouocamus pingues et obesos, qui inediam facillime ferre solent et possunt, ex nulla alia, opinor, ratione, quam quod natura ex superfluo hoc succo nutritio siue pinguedine, illud retrahere quasi vel resorbere potest, quod ad amissum nutrimentum, et augmentum restaurandum sufficiebat. Tale exemplum recenset TH. BARTHOLINVS m) de puella quadam. Prouocamus porro ad ipsa quae saginantur, animalia bruta, ea enim quo pinguiora, eo pauciora adsumunt alimenta; Immo haec ipsa hunc in finem iusto copiosiore et lautiore infarciuntur nutrimento, vt pinguescant, i. e. vt superfluus succus nutritius pro palati delicati desiderio, carnem sub pinguedinis forma obducat atque inuestiat. Videmus praeter haec in morbis pinguedinem in nostro saepissime deficere corpore: Nam quia per materiam, vt loquuntur, peccantem, seu motus in nostra machina contrarios, quos morbum vocamus, chylificationis aeque ac nutritionis

i) *Anat. Ref. L.* I. *c.* 3. *p.* 24.

k) Nullam enim radicalem dari ipse fatetur BARTHOLINVS l. supr. c. qui eam ad membranas potius referendam censet, quales in embryonibus pinguedine destitutis: secundaria multo minus est naturalis, vbi scil. successu temporis, superflua succi nutritii copia membranarum illarum foueolas et cellulas occupat easque implet atque extendit etc.

l) Atque sic iterum vel in hocce passu, analogum quid nobiscum habent vegetabilia, quae supra iam allegaui. Lacrimae enim et gummi, quae saepius plorant et exsudant, non tam excretiones, vt multi putant, quam succi nutritii nimii per radices adscendentis exuberantiae sunt, quod et recte adseruit summus VERVLAMIVS *Hist. V. et M. ad Art.* IV. §. 7.

m) *Hist. Anat. c.* III. LXXXVIII.

tritionis plerumque impeditur negotium; illud, quod in oeconomia animali ſuperfluum erat, reuocatur quaſi et retrahitur, quo ipſum aliquo ſaltim modo ſuſtentetur et refocilletur corpus, de quo paullo infra diſtinctius [n]).

§. X. Haec argumenta, vt maiorem apud eos inueniant fidem, quibus forte hoc meum paradoxum videbitur aſſertum, firmabo iam aliquot et veterum et recentiorum Auctorum teſtimoniis. ARISTOTELES [o]): Πιμελὴ ἐστι αἷμα πεπεμμένον δι' εὐτροφίαν, καὶ τὸ μὴ καταναλισκόμενον εἰς τὸ σαρκῶδες μόριον τῶν ζώων [p]) quod et idem bis repetit *Lib.* I. de Animalium Generatione: Auctor medicarum definitionum apud GALENVM: Πιμελή ἐστι παρέγχυμα τροφῆς περὶ τοὺς ὑμένας μάλιστα πηγνυμένη, ἀναίσθητος [q]). Potiſſimum vero huc ſpectat eximius ille locus ex *Introductione anatomica Anonymi graeca*, maximam quidem partem, ex ipſo ARISTOTELE deſumta, et a nobis quoque Notis illuſtrata, *cap.* V. *pag.* 10. ἡ δὲ πιμελή, ὅλως οὐκ ἐστὶ φύσει, ἀλλ' ἐπίκτητον, καὶ οὐ τῶν ἀναγκαίων μερῶν: *Pinguedo autem, abſolute loquendo, non eſt res propria Naturae, ſed aduentitium quiddam, et inde minime ex partibus corporis neceſſariis:* vbi vid. *Obſ. noſt. pag.* 12. PHILIPPVS MELANCHTHON [r]) ex veterum ſententia: *Pinguedo quaedam eſt humiditas ſuperflua ex bono ſanguine redundans.* VERVLAMIVS [s]): *Pinguedo nihil eſt aliud, quam exuberantia alimenti, vltra id, quod excernitur, aut perfecte adſimilatur.* His addo ETTMÜLLERVM [t]) Medicum, dum fata ſinerent, vndiquaque celeberrimum: *Pinguedo,* inquit ille, *non eſt proprie e partium ſolidarum numero, quin potius per accidens,*

n) Non neſcio, aliam plerumque huius rei dari rationem, nempe intenſum in morbis calorem citiſſime abſumere pinguedinem, vtpote diſſipatu facilem: HIGHMORI inprimis aliorumque, qui eum ſequuti, hoc eſt commentum, a VERHEYEN tamen recte in dubium vocatum *Anat. Tract* II. c. IV. conf. BERGERI *Phyſiol. cap.* XV. *pag.* 229.

o) *de Part. Animal. L.* II. *c.* 5.

p) *Pinguedo eſt ſanguis coctus et inſpiſſatus propter nimiam nutritionem, quique in carneam animalium partem impendi nequit: ſiue illud, quod in partium nutritionem conſumi non poteſt.*

q) *Pinguedo eſt affuſio nutrimenti circa membranas maxime fixa, ſenſus expers.*

r) *Lib. de Anima f.* 94. *b.*

s) *H. V. et M. ad Art* XVI. §. 2. *p.* 253.

t) *Phyſiol. c.* II. §. 9.

dens, ex abundantia succi nutritii, post auctionis annos, membranis adhaerere et sensim adfixa coagulari (pro earum vel humectatione, vel blando subiacentium partium fotu) videatur, vnde nec propriam circumscriptam a se continet figuram, et nunc augetur, nunc diminuitur, vbi et SEBIZIVM *Lib. de aliment. facultat.* V. allegat. Inprimis eiusdem doctissimi viri legi meretur dissertatio de *Corpulentia nimia*, quae Octaua est, vbi multa quae huc faciunt, lectu dignissima, maxime autem quum ita concludit: *Adeo, vt dicendum videatur, pinguedinem per accidens ex abundantia succi nutritii et chylosi, sub et post augmentationis annos generari, membranosis locis adhaerere, et intra sua membranosa receptacula pedetentim dilatata inclusam successiue coagulari: Vno nomine, esse quasi oleum vberius, aut potius butyrum densius, firmius paullo inspissatum et coagulatum etc. etc.* vt taceam hic elegantem eius demonstrationem, qua nimirum ratione chylosus ille succus nutritius superfluus, ob spatium ipsi interne denegatum, et a fibris carneis sanguine inuestitis occupatum, per membranas elastica virtute praeditas, exsudet, iisdem adhaereat et coaguletur. Conferri quoque possunt SENNERTVS, item CAECILIVS FOLIVS, qui de generatione et vsu pinguedinis elimatum composuisse dicitur Tractatum, a laudato ETTMVLLERO eodem loco, vt et BARTHOLINO allegatus, aliique plurimi. Et sic facile dirimi poterit lis illa notissima, num pinguedo pars sit corporis solida, an vero fluida; nam dum ea et adesse potest et abesse, ad neutram censeo referendam; nisi eam vocare malimus *accessoriam;* hoc enim nomen ipsi, si quid iudicem, reuera competit. Interim tamen pinguedo, in se spectata, fluida potius est, quam solida: licet enim compacta et solida videatur; suae tamen originis ratione, et dum ipsi sanguini prius innatat, et ex eodem separatur, liquida omnino est. Sicut ipsum Butyrum solidum durumque corpus, ad tempus, esse videtur, gelida praesertim hyeme; soli tamen aut igni propius admotum, protinus liquescit et in sua primordia fluida, lactea et oleosa resoluitur. Oleum quoque ipsum ideo non desinet esse fluidum, licet rigido gelu

u) c. I. *Art.* I. §. 10.

lu condenſetur et in ſolidum quaſi corpus ad tempus, mutetur. Quin et liquidae vndae et currentia flumina, atque ipſe humida vina manebunt ſemper fluida, quamuis iſta aſperrimo frigore, in rigidiſſimas et duriſſimas cruſtas teſtasque, ad inſtar ſaxi, obrigeſcant; haec vero, hyperboreo praeſertim ſub axe, ſecuribus quoque ſaepius caedantur, de quo vid. VIRGIL. *Georg. Lib.* III. et OVID. in *Libb. Triſt.* et *ex ponto.*

§. XI. In eo igitur omnes fere conſpirant vnanimiter, pinguedinem ſuperfluam ſucci nutricii eſſe copiam: et nihilo tamen minus iidem adſerunt, eam eſſe naturalem et ad varios in corpore animato vſus a natura deſtinatam. Quod ſane poſtulatum, non dicam paradoxum, videtur haud adeo paruum. Quidquid enim ſuperfluum, illud non eſt neceſſarium; quod vero neceſſarium non eſt, impedimento potius eſſe videtur, quam emolumento: et ipſa natura, quae ſecundum magnum HIPPOCRATEM x) δικαιοτάτη, h. e. accuratiſſima, et *iuſtae* ſymmetriae ac proportionis eſt obſeruantiſſima y), omne nimium reſpuit ac ſuperfluum. Quum vero poſt cuticulae cutisque remotionem in omnibus fere ſubiectis pinguedinem Anatomicorum inueniret ſolertia; eam naturalem et ex propriis corporis partibus eſſe putarunt, licet alibi, vt iam monui, ſuperabundare adſererent. Sed ipſos illos, quos pinguedini adſcribunt, vſus breuiter luſtrare et examinare animus fert. Horum enim plurimi ita ſunt comparati, vt rite non videantur auctores diſtinxiſſe inter ſuccum illum chyloſum, vel, vt aliis loqui placuit, butyroſum, quatenus illae maſſae ſanguineae innatans, partium πῆξει, vt loquitur HIPPOCRATES, h. e. nutritioni pri-

 mariae,

x) *de Fractur.*

y) Sic recte hanc vocem explicant PALLADIVS, EROTIANVS, GALENVS, HESYCHIVS, SVIDAS, THVCYDIDES, veterumque alii, quod contra Cl. CLERICVM noto, qui eam *moraliter* interpretatur; quod aduerſus mentem eſt HIPPOCRATIS, vt alibi demonſtrabo diſtinctius: vbi et illum qui CLERICVM temere ſequutus, et hinc in HIPPOCRATEM ſumme iniurius, in viam reducam. Quod et ſtatim, anno poſt, nempe 1719. abunde niſi fallor, luculenterque praeſtitimus, in Libello apologetico, ſatis, opinor, noto, de HIPPOCRATE *Atheiſmi falſo accuſato,* contra *Nicol. Hieron. Gundlingium.*

mariae, item et ſecundariae ſeu earundem irrorationi, impenditur, et quatenus peculiare extra corporis limites occupat ſpatium. Quantum enim ad prius, largior, pinguedinem improprie ſic dictam ſuos praeſtare vſus eximios, dum ea ſcilicet nutrit et auget: proprie autem ſic dictae pinguedini illos adſcribere admodum dubitamus, prout mox patebit ex vſibus illis iam cum noſtra ἐπικρίσει recenſendis.

§. XII. Primo *pinguedinem illam*, quam inter integumenta corporis naturalia et propria haud opportune referunt, *impedire nimiam* dicunt *tranſpirationem.* Sed qui pinguedinis texturam eiusque particularum globoſarum contiguitatem non continuitatem conſiderauerit, quam iidem ipſi omnes fere admittunt; ſtatim videt, eam tranſpirationem non impedire, quam potius eidem liberum relinquere exitum. *Secundo* aiunt *pinguedinem partes ſubiectas calefacere atque fouere:* ſed nec hoc ſtringit, nam noſtri corporis partes externo illo fotu indigere non videntur, quum celerrimus iſte et perennis ſanguinis calidiſſimi per eaſdem circuitus ipſas interne ſatis foueat blandoque calore adficiat; praeterea et ipſi cuti et membranae carneae ſiue panniculo, vt in brutis audit, carnoſo, illud, ſi neceſſum, committi poterat officium. *Tertio, pinguedo frigus impedire* dicitur, *quo minus interiora verſus penetret:* ad hoc reſponderi poteſt, quod ad prius iam dictum; nam per poroſam ſatis pinguedinis ſubſtantiam libere penetrare poſſunt rigida frigoris ſpicula: ſaepius quoque, non obſtante egregio pinguedinis vmbone, obriguiſſe, notum eſt, obeſiora corpora; quin et pinguia animalia v. g. vrſi, porci, glires etc. hiemis tempore ſua latibula frigoris metu, aeque quaerunt, ac ea pinguedine quae deſtituuntur. Nec frigus profecto pinguedinem vt perforet, opus habet, quum facilior longe ipſi concedatur aditus per fauces et primas ſic dictas vias. Idem ſtatuendum, quum *Quarto* adſerunt, *calorem impedire pinguedinem, ne ille penetret:* radii enim ſolares facillime ſeſe inſinuant, imo ipſam illam quodammodo reſoluunt pinguedinem, quod ſudor abunde emanans manifeſto teſtatur. Nec *Quinto,* neceſſe eſt, *vt pinguedo partes vnctuoſitate,* vt ferunt, *lubricet, easque ad motum hinc aptiores reddat,* niſi eatenus hoc intelligatur,

tur, quatenus particulae illae oleoſae et pingues cum ſanguinis Euripo, per totum corpus diſperguntur, vt ſupra monui: alias enim motus fiunt ab intra; quid ergo pinguedo ab extra poterit conferre? praeterea oſſa habent ſuam medullam ſuaque vaſa ad eam tendentia, ſuccumque nutritium deferentia, et articuli ſuccum ſuum ſiue mucum motibus optime inſeruientem, teſte HIPPOCRATE noſtro [z]); vt adeo commode carere poſſimus externa illa pinguedine. *Sexto* perhibent, *pinguedinem interſtitia implere adeoque habitum reddere leuem ac venuſtiorem:* vid. huc b. BERGERI noſtri *Phyſiol. Cap.* XV. *pag.* 230. vbi plura. Et hic ſolus mihi videtur vſus, quem habere poteſt, ſi quem habeat, pinguedo; hoc ipſum tamen caro etiam praeſtare poteſt ſucculenta et plena; nec eſt, quod vetulas hic allegent et ſilicernia, in quibus omnes ſubſidunt partes exſuccae tonoque ſuo naturali priuatae, et tota in vniverſum, ob virium defectum, ceſſat viuacitas. *Septimo, nec puluinaris ad inſtar et propugnaculi contra ictus et compreſſiones pinguedo*, vt commentantur *eſſe poteſt;* quum potius eo facilius penetrent ictus ob denegatam natura pinguedini elaſticitatem, quam nemo ipſi poterit adſtruere. *Octauo, pinguedo ſales aliasque acriores particulas tanquam vinculum coercere* creditur; neque id iniuria, quatenus ea ſanguini innatat; ſimulac autem ceu ſuperfluum quid fuerit eiecta, ceſſat omnino et hic vſus, quem et MALPIGHIO, eius auctori, dubium iam fecit BARTHOLINVS; cuius etiam, vt id obiter hic inſeram, vaſa, quae fingit, adipoſa, non ſine ratione deſtruxere VEHEYEN et RIVINVS aliique. *Nono*, de omento vt plurimum *pinguedine* inueſtito, ſtatuunt, *illud ventriculi iuuare coctionem ipſumque fouere, et hinc eo exciſo, flatus oboriri et ructus* etc. Sed hoc omentum praeſtare poteſt, ſi praeſtet [a]), non qua pingue, ſed qua omentum eſt glandulis ſuis vaſisque donatum, quod DEMOCRITVS τὸν κύριον ἁπάσης κοιλίης, *totius ventris* vocauit *dominum:* et ipſe de hoc vſu dubitare videtur VERHEYEN, inprimis

 autem

z) *Lib. de Loc. in Hom.*

a) Scrupulum enim iniiciunt exempla a FORESTO atque RIOLANO allegata, quae citat BARTHOLINVS *Anat. Ref. L.* I. *c.* VIII. *p.* 66.

autem excell. RIVINVS in nupera, *de Omento* exercitatione, vbi novam plane de illius vſu fouet opinionem. *Decimum* argumentum leviſſimum ſane eſt, quum putant, *pinguedinem natiui caloris eſſe pabulum, flammamque vitalem ceu oleum ellychnii, conſeruare.* Diu enim iam eſt, ex quo flamma illa vitalis Williſiana, Helmontiana, Holſtianaue, per ignea noſtri ſaeculi ingenia extincta fuit, hincque et illius pabuli vſus vel ſponte in fumum abit et auras: Nec raro ii citius extinguuntur, quibus multum ſuppeteret iſtius pabuli ad illam ſuſtentandam. Niſi ita illud velimus interpretari, quod ſubſtantia illa pinguior et oleoſa, quae corpus auget et nutrit, de qua hactenus dictum, dum vitalitatem praeſtat, vitae ſit nuncupanda pabulum. Sed maioris videtur momenti *Vndecimum*, quando hariolantur, *naturam prouidam ſuccum illum nutritium ſuperfluum ſub pinguedinis forma ideo foras protrudere, quo deficiente forſan alio ordinario alimento, habeat, vnde corpus ſuum quodammodo poſſit ſuſtentare et recreare,* quod et ſupra adſeruimus: ſed nobis natura mechanice agit ad ſummi HIPPOCRATIS mentem, nec a LIPSIO, GASSENDO, BOYLEO, CLERICO, DOLAEO, GVNDLINGIO etc. hac quidem in parte intellectam, vt alibi oſtendam, libello nempe *de Atheiſmo* HIPPOCRATIS, ipſi falſo imputato, de quo iam ſupra, non quaſi prudentia quadam ſit inſtructa, multo minus quaſi ipſa ſit anima rationalis, vt recentiorum quidam haud circumſpecte poſtulant; ideo fieri ſecus non poteſt, quam vt, deficiente alimento ordinario, ab alluente ſanguine particulis illis nutriciis i. e. pinguibus orbato, hincque acriori et ad rapiendum quid de pinguedine, aptiore, illud abradatur in nutritionem, quod erat ſuperfluum. Hi ſunt, quantum ſcio, illi vſus omnes, ſaltim plurimi, quos pro defendenda pinguedine ceu naturali et neceſſaria, allegant Anatomicorum principes; quibus tamen haec quae hactenus dicta ſunt, breuiter et decenter regerere viſum fuit. Iam ea quae forte reſtant, ad finem properantes, conſideremus.

§. XIII. Vſus igitur perexiguos corpori noſtro praeſtat, vt vidimus, ſubcutanea illa pinguedo, de qua potiſſimum hic fuit ſermo: nec eos curaremus adeo, modo eadem non ferale ſaepius fo-

ret

ret puluinar, corpusque nostrum fouendo, vt aiunt, plane suffocaret. Scilicet ea est pinguedinis conditio, immo malignitas, vt accedente quotidie succi nutritii superflua copia noua, indies augeatur illa et attollatur: cutis enim, cui substrata est, ratione suae sese expandendi virtutis, facillime eidem cedit, hinc et obseruante apud BARTHOLINVM, VESLINGIO, plerumque laxius ipsi inhaeret; vnde in immensum prope accrescere commode admodum potest, vt exempla legere est apud BARTHOLINVM, PECHLINVM, TIMAEVM a GVLDENKLEE, TVLPIVM, SCHENCKIVM, MARCELLVM DONATVM, PLATERVM aliosque. Immo non extra carnis musculosae peripheriam sese tantum prodit illa tot malorum genitrix; sed et internas corporis partes et viscera saepissime occupat. Sic in thorace pulmonibus imposita, abundare visa fuit BARTHOLINO b) toties allegato: renes saepius ita eidem fuere immersi, vt illos vix inuenire licuerit, vti apud eundem legitur: adglutinat se cordis basi, immo, quod etiam vidimus, cono seu cuspidi, quin et in ipsis cordis thalamis adiposa frustula oblonga lumbricorum instar, vidit BARTHOLINVS c), qui et alibi ex SPIGELIO, RIOLANO IESSENIOque adnotauit, totum cor nonnunquam adipe plane fuisse occultatum, ita vt illud adstantibus deficere visum fuerit. De Polypo infra dicam: de Omento supra iam dictum fuit: Ipse praeterea muliebre vidi ouarium, pingui substantia seuique aemula turgidum, quod accuratius dudum delineauit b. NABOTH, in Diss. nota de *Sterilitate Mulierum* §. XI. nobis vero olim monstrauit b. SCHACHERVS, praeceptor venerandus: Alia iam non attingo, quae medicorum obseruationes larga quasi manu suppeditant. Nisi igitur aut per diaetam tenuem et parcam, aut motus et exercitationes crebriores, vigilias, aut opportuna Venere, (de quibus praeter HIPPOCRATEM d), PLVTARCHVM

b) *H. A. C.* II, 15.

c) *H. A. C.* V, 7.

d) Hic in Libro de *Dieta salubri*, concise pro more, at neruose, regulas praescribit, quibus rite obseruatis, pingue corpus iterum redigi potest in gracile. Verba latine hic adscribam, ne nimia graeca nauseam pariant lectoribus: *Pingues inquit et qui graciles fieri volunt, omnes labores ieiuni facere debent, et cibos assumere*

TARCHVM aliosque, eleganter egit CAELIVS AVRELIANVS e), vt recentiores, ex quibus supra aliquos allegaui, taceam, huic hosti sensim vires adquirenti obuiam eatur, eique illis, quos dixi, modis remora iniiciatur, quo minus maiorem excrescat in molem, quam machina ferre potest corporea, i. e. *vltra naturae modum*, vt CAELIVS loquitur modo allegatus; vita sane mortalium in nouaculae, vt aiunt, posita est acie. Dum enim graue pinguedinis pondus venas, arterias, nervosque vna cum musculis, insigniter comprimit, et spirituum in nervos influxus sufflaminatur, et circulus purpurei liquoris retardatur, et musculi tono suo priuantur, vid. memorabile huius rei exemplum in Ceto, apud AELIAN. *Lib.* II. *de Nat. Animal. cap.* 13. inde repentini et atrocissimi morbi et inexorabiles mortes, scil. paralysis, apoplexia, dyspnoea, asthma, carus, coma etc. Cuius Calamitatis insigne exemplum in Dionysio Heracleota, pinguedine, plane monstrosa et enormi onerato, exacte descripsit ATHENAEVS, *Lib.* XII. *Dipnosoph. cap.* 12. *pag.* 549. item laudatus AELIANVS, *Lib.* IX. *Var. Hist. cap.* 13. vbi vid. *Not. Varior.* in Edit. *Gronouiana.* Add. PLIN. *Lib.* XI. *Hist. Nat. cap.* 38. *pag.* 632. et ibi HARDVIN. item VARRO, *Lib.* II. *cap.* 4. de *Re Rust.* Sed plura de obesis, eorumque periculis et calamitatibus, vid. apud DIETERIC. *Iatr. Hipp. pag.* 944. *seqq.* In sequiori sexu potissimum in pinguedinem prono δυςοχία, immo et saepe ἀτεκνία teste HIPPOCRATE *Lib. de Sterilibus; de A. A. et L. et alibi:* simili quoque modo in ipso nobiliori sexu τεκνοποιίαν nimia impedit pinguedo, vt adserunt AVICENNA, LAVRENTIVS, ETTMVLLERVS contradicente licet TIMAEO a GVLDENKLEE. Huc etiam refero protuberantias illas monstrosas, quae externe propendentes mortales adeo deformant, v. g. Meliceride, atheromata

mere anhelantes adhuc ex fatigatione, et vinum bibere dilutum nec valde frigidum, et obsonia ex sesamis, aut condimentis hortensibus huiusque generis aliis sibi praeparare: sint autem pinguia quae offeruntur obsonia: sic enim impleri poterint a quam paucissimis. Sed et semel in die cibum sumere et illotos manere, et strata dura habere et nudos deambulare ipsos oportet, quantum huius fieri potest. maxime.

e) *Morb. Chron. L.* V. *c.* XI.

atheromata, ſteotomata, fungos et id genus alias, vbi ſebacea quaedam ineſt ſubſtantia: inſigne ſteatoma a ſe feliciter abſciſſum inſignis exhibet PECHLINVS f) in obſeruationibus. Nec reticendus hic eſt Polypus ſic dictus cordis, qui in venas atque arterias ſuos letiferos ramos ſpargit, vt iconem repraeſentat ſaepius laudatus BARTHOLINVS g): is enim ad plurimorum mentem, ex gelatinoſa quadam et pingui ſanguinis ſubſtantia ortum ducit, quibus maximam quidem partem merito accedimus, licet celeberrimo aliud ſciamus viſum MALPIGHIO h), illud coagulum ſubſtantiae, ſi qua natura eſt i), ſanguinis filamentoſae ac fibroſae adſcribenti: Nec illos moramur, qui nunc ex pituita, nunc ex crudo quodam humore a iecore cordi ſuppeditato, polypos oriri crediderunt, ab aliis quippe et ipſo etiam MALPIGHIO refutatos.

§. XIV. Sed haec fere ſunt, quae de pinguedine, tanquam parte corporis ſuperflua et non naturali, in medium adferre libuit, immo per anguſtos Diſſertationis, quibus includimur, cancellos licuit. Longe plura, non nego, poterant dici, quaedam etiam quae dicta ſunt, vberius illuſtrari et explicari, nam pinguis aderat, vt ita loquar, materia cum de Nutritione, tum de Nutrimento ipſo, de quo tot olim et nunc quoque lites. Ideo haud metus omnis abeſt, vel de hiſce pagellis ſubito natis, et ſubito quoque forſan perituris, iure mihi a quopiam occini poſſe illud Virgilianum:

Eheu! quam pingui macer eſt (tibi) taurus in aruo.

Lectorem autem, quem ſupra iam alloquutus ſum, item et Auditorem meum, quem iam alloquor, Valere iubeo, mihique, vbi pinguius aliquanto meum fuerit ingenium, vt ignoſcant, rogo.

En inſtabiles ac mutabiles rerum humanarum vices! Haec ipſa macra mea *de Pinguedine* Diſſertatio, prima omnino eſſe debebat in hac

f) *L.* III, 46. adde BARTHOL. *H. A. C.* I, 23.

g) *H. A. C.* III, 17.

h) *Diſſ. de Cord. Polypo.*

i) Legi poteſt celeber. BOHNII *Progymn.* XIII. *pag.* 169. item BERGERI noſtri *phyſiol.* et HOFFMANNI *Opp. Med. Tom.* III. *pag.* 278. *ſqq.* Ceterum de diuerſae Naturae polypis, vid. GOHLII Tractat. Berol. 1710. et IOACH. GOETZE, Spirae 1764. inprimis autem ill. MORGAGNI incomparabile opus nouiſſimum *de Sedibus et cauſſis Morborum Tom.* II. add. et, ſi placet, *poem.* noſtr. *Tom.* II. *pag.* 218. et *Tom.* IV. *pag.* 595.

hac quidem *Sylloge* noſtra; et tamen nunc eſt vltima. Primus enim locus ipſam decebat, non ratione quidem ipſius praeſtantiae et doctrinae, quae ipſi nempe deeſt; ſed ratione potius temporis atque aetatis. Poſt illam enim priorem meam Diſſertationem, *de Moly Homerico*, Lipſiae 1716. publicatam, omnium eſt prima, quae ad ſummum in Medicina dignitatis gradum rite conſequendum, Halae 1718. publice a me habita ac defenſa fuit, ſub praeſidio quidem ſplendidiſſimo immortalis nunc HOFFMANNI: quo ſingulari honore etiamnum, in ipſa ſera canaque ſenectute, vehementer vtique laetor gloriorque. Si igitur res mei ſolius arbitrii fuiſſet; hanc ipſam iuuenilem opellam ex cenſu reliquarum Diſſertationum paullo curatius ac ſolidius, niſi fallor, elaboratarum, libentius expunxiſſem. Imperioſae vero nonnullorum amicorum preces me, inuitum licet ac reluctantem, eo tandem adegerunt, vt locum ipſi in hac Sylloge concederem quidem; ſed vltimum ex merito nempe ſuo. Ita igitur iſtam hic denuo ſiſto, prout ea ante hos 50 fere annos a me conſcripta, aut rectius, ſubito effuſa fuit, paucis tantum hinc inde additis, et paucioribus mutatis; vt ſcilicet eo certius exinde cognoſcerent aequi probique Lectores, quantum aut quantillum interea temporis in Medicina excolenda aut profeciſſem, aut forte defeciſſem. Nec indignabuntur ſpero, ſi me ſemel forſan hic cum diſſenſu audiant balbutientem, quum ſaepius alibi cum aſſenſu audiuerint loquentem. *Sed ſerus venit vſus ab annis.*



OPVSCV-

OPVSCVLORVM MEDICORVM

PARS ALTERA

COMPREHENDENS

EXERCITATIONES MEDICO-PHILOLOGICAS

ET


ALIA SCHEDIASMATA.



EXERCITATIO MEDICO-PHILOLOGICA PRIMA.

DE

VETERVM CHIRVRGORVM ARVNDINIBVS ATQVE HABENIS AD ARTVS MALE FIRMOS CONFIRMANDOS ADHIBITIS OCCASIONE LOCI CVIVSDAM SVETONIANI OBSCVRISSIMI IN VITA AVGVSTI OCCVRRENTIS.



Apud Veteres Auctores Graecos et Latinos, vnicos illos solidioris et elegantioris doctrinae limpidissimos fontes, complura sane passim occurrunt Loca, quae Medicis lectu scituque vtilia et iucunda sunt, et ab iis fere solis explicari possunt, et vbi deprauata forsan fuerint, emendari commode debent: Id quod plurimis luculentis exemplis ac testimoniis dudum ostensum ac probatum fuit a Medicorum Eruditissimis, HIERON. MERCVRIALI, MARSIL. CAGNATO, IAC. DALECAMPIO, IO. LANGIO, ADR. IVNIO, LINDANO, IAC. TOLLIO, PETR. PETITO, CASP. HOFMANNO, ANT. VAN DALEN, CAROL. DRELINCVRTIO, VELSCHIO, FOESIO, ALMELOVEENIO, OL. BORRICHIO, GESNERO, WEDELIO, THOM. BARTHOLINO, ipsiusque filiis doctissimis, item ZWINGERIS, SPONIIS, PATINIS, MEIBOMIIS, CHIFFLETIIS, et qui hos omnes immensa

fere variae eruditionis copia, ingenio vaſto et iudicio acerrimo longiſſime ſuperat, THOM. REINESIO, Germanorum Gloria et saeculi miraculo; et noſtra demum aetate, a MEADO, FREINDO, WIGANO, HERINGA, SAMVELE IEBB, BERNARDO, vt plures alios iam taceam longa ſerie dudum, merita cum laude, commemoratos a GEORG. FRANCO, in *Epiſt. de Medicis philologis*, item IAC. BVRCKHARDO, in *Tract. de Medico grauiſſimo Humanitatis ſtudiorum Vindice*, IO. HENR. A SEELEN, V. C. *in Meditat. Exeget.* CHRIST. FRID. WILISCHIO, *Comment. de Medicis, literarum humaniorum doctrina praeſtantibus*, et nouiſſime a Cel. LOESCHERO, aliisque. Veriſſime enim et ſapientiſſime quondam ſcripſit eruditorum princeps, IOS. SCALIGER, *Epiſt.* XIX. *Lib.* I. *Homines, qui ſine bonis Literis Medicinam tractant, eſſe ſimiles iis, qui in alieno foro litigant.* Nos quoque ipſi, ſi tamen parua hic magnis componere, Lectorum pace, liceat, haud ita pridem paſſim id oſtendimus in noſtris Obſeruationum Criticarum Libris, aliisque ſcriptis hucusque diuulgatis. Quibus iam vnum adhuc locum ſingularem e SVETONIO petitum adiicere fas ſit, qui poſt tot praeclariſſimorum interpretum et editorum egregias curas, Medici tamen adhuc cura et emendatione, me quidem iudice, vel maxime indigere videtur.

Iſte autem legitur *in Vita* maximi Imperatorum, OCTAV. AVGVSTI, *Cap.* LXXX. his nempe verbis: *Coxendice, et femore, et crure ſiniſtro non perinde valebat, vt ſaepe etiam inde claudicaret: ſed remedio harenarum et arundinum confirmabatur.* Quem quidem memorabilem SVETONII locum ad Medicos in primis atque Chirurgos pertinere; nemo, opinor, Eruditorum erit, qui facile ea de re dubitauerit. Inde ſane non mirum, omnes fere Interpretes, quotquot equidem vidi, hunc perobſcurum et ambiguum locum commode explicare haud potuiſſe, vtpote rerum medicarum prorſus ignaros et ab Apollineis ſacris alienos. Primarii enim SVETONII Explanatores, LAEVINVS inquam TORRENTIVS atque ISAACVS CASAVBONVS, Viri cum ſingulari cura et veneratione dicendi, quibus et accedit ipſe MERCVRIALIS, *Lib.* V. *de Arte Gymnaſt. Cap.* XII. vt et AVSON.

POPMA,

POPMA, ad *Caton. de R.R.* CLX. in ſolis illis Arundinibus ſcite exponendis, mirum quantum aeſtuant, vel ad ipſam incantationem magicam prouocantes, Arundinum ope, quondam adminiſtratam, atque a CATONE et PLINIO, *L.* XVII. commemoratam; merito tamen reiectam ac exploſam a THOM. REINESIO, Viro maximo, *Lib.* II. *Var. Lect. Cap.* XVIII. Nimium autem interea ſunt ſecuri de Harenis, in quibus tamen loci huius obſcuritas, immo vitium, latet potius, quam in Arundinibus, vti mox paullo luculentius, ſpero, patebit. Quomodo enim quis membra male firmus atque luxatus, *Harenarum Remedio*, confirmari poſſit; equidem ignoro, et ignorant forſan mecum omnes Medici Veteris Chirurgiae haud imperiti: qui inſuper haud facile comprehendunt, quo nempe pacto hic Arenae calidae cum Arundinibus apte et concinne coniungi potuerint. Plurimus quidem Arenae calidae aut feruidae olim erat vſus apud priſcos Medicos, vt ex CORN. CELSO, CAELIO AVRELIANO, PLINIO, THEODORO PRISCIANO aliisque affatim conſtat: Nouimus quoque exinde ſat bene, quid ſint ψαμμισμὸς, ἀμμοχωσία, item ὑπεκκαύματα, ſeu ὑποκαύματα, vt et πυρίαι, πυριήσεις, παροπτήσεις, et ἀφιδρώσεις διὰ ψάμμου, apud GALENVM, AETIVM, DIOSCORIDEM, AEGINETAM, et alios, item τῇσι ψάμμοισι ἐγκαλινδέεσθαι, apud ARETAEVM, (vnde *Celadiam* obſcure formauit CAELIVS AVRELIANVS, *Lib.* V. *de Morb. Chron. Cap.* XI.) qua de re notiſſima inter Medicos eruditos egregie hic egit IS. CASAVBONVS, vt et HIERON. MERCVRIALIS, THOM. REINESIVS, LAVRENT. IOVBERTVS, inprimis autem ANDR. BACCIVS, *Lib.* II. *de Thermis, Capp.* XVII. et XVIII. atque GEORG. GREENIVS, *de Ruſticat. Romanor. Cap.* VIII. *pag.* 713. *Tom.* I. *Theſaur. Nou. Antiquit. Roman.* per SALLENGRE, vt alios iam taceam. Verum et hoc ſimul probe ſcimus, Arenarum iſtarum calentium non alium fere olim fuiſſe vſum, niſi ad extrahendos noxios et tenacius haerentes in corpore morboſo humores, v. gr. in Hydrope, Leucophlegmatia, Anaſarca, Elephantiaſi, Scabie humida, Lepra, aliisque morbis pituitoſis et ex inutili humore obortis, qui nempe ſic per ingeſtas affatim membris torpentibus turgentibusque Hare-

nas

nas illas calidas, excoquendus et euocandus esset: quale olim in fluxis nimiumque humidis Scytharum Nomadum, seu multiuagorum corporibus, sola vstione factum fuisse, scite obseruauit HIPPOCRATES noster, *Lib. de Aere, Aqua et Loc. p.* 355. qui et *Lib. de Victu Acut. pag.* 277. sal, milium et furfures torrefactos in eundem vsum sapienter commendat. Inde nunc bene CELSVS *Lib.* III. *Cap.* XXI. de Hydropicis: *Euocandus est sudor in arena calida, vel Laconico, vel Clibano*; conf. *Lib.* II. *Cap.* XVII. vbi bis occurrit, item et AVL. GELLIVS, *Lib.* XIX. *Noct. Att. Cap.* VIII. *Liberatum esse se aquae intercutis morbo diceret, quod Harenis calentibus esset vsus:* SYMMACHVS quoque *Epist.* 45. *Lib.* VIII. ita de se ipso; *Humor noxius, articulis illapsus, etiam nunc me tenet lectulo, et vix littorali siccitate tenuatur.* Vbi illa *littoralis siccitas*, paullo obscurius dicta, idem omnino est, ac *Harena littoris sole ignita*, in isto loco CAEL. AVRELIANI, hic mox sequenti. CAEL. pariter AVRELIANVS, *Lib.* III. *de Morb. Chron. Cap.* VIII. *pag.* 473. *Ex Harena Littoris sole ignita torrenda Hydropicorum corpora*, apud quem et in sequentibus, istarum feruentium Harenarum mentio frequentissime recurrit; SERENVS quoque SAMONICVS, *Cap.* XXVII. de iisdem: *Nec non et tepidis conuolues corpus Arenis.* PLINIVS denique, *Lib.* XXI. *Cap.* VI. omnium optime: *Nec non Arena Litorum Maris, praecipue tenuis et sole candens, in Medicina est siccandis corporibus coopertis Hydropicorum, aut Rheumatismos sentientium.* Ad quem singularem PLINII locum plura eiusmodi loca e DIOSCORIDE, CELSO, CAEL. AVREL. THEODORO PRISCIANO aliisque peropportune in eruditis Notis, allegauit HARDVINVS, quibus commode addere liceat, quae eandem in rem, docte et copiose ad supra laudatum SERENI SAMONICI locum, adnotarunt GABRIEL HVMELBERGIVS, ROB. KEVCHENIVS et PETRVS denique BVRMANNVS: Nec praetermittenda hic omnino doctissima B. SCHVLZII, amici quondam nostri, nunc desideratissimi, *Dissertatio, de antiquis Hydropis curationibus*, cum ceteris, qui idem argumentum dudum tractarunt. Praecipue vero huc tota spectat et hinc conferri omnino meretur *Epistola* illa gratulatoria Auctoris sub Literis A. D. latentis, ad DRESIGIVM,

Lips.

Lipſ. 1735. *de vſu Arenae externo, in curandis quibusdam morbis, praecipue ad illuſtrandum illum Symmachi locum, Lib.* VIII. *Epiſt.* XLV. in qua nempe iſtud ipſum de Arenis calentibus, aut candentibus argumentum diligenter, docte ac copioſe pertractatur; vt ex ampliſſimis Excerptis vberius intelligere licet, quae in *Commercio med. et litterario Norimberg. de ann.* 1735. *pag.* 185. *ſqq.* cum voluptate leguntur. Sed quid haec omnia, obſecro, ad claudicantem hic AVGVSTVM, qui arida potius, exſucca atque eneruata habebat femora ac crura; quam noxio humore turgentia, aut mucida pituita reſoluta: vnde rectius *ſaepe ungebatur, deinde perfundebatur egelida aqua, vel ſole multo calefacta: quia nempe calida fomenta non proderant*, vti infra mox narratur, apud noſtrum SVETONIVM *Capp.* LXXXI. et LXXXII. Cur igitur

Auxilium Membris calidas infudit Arenas?

vt de Antaeo, alio quidem ſenſu, ait LVCANVS, *Lib.* IV. *Pharſal.* Nihil ergo ipſi prodeſſe hic poterant arenae calidae; quin potius nimium exſiccando, condenſando, conſtringendo, et, vt cum SENECA loquar, rigidando, plurimuum ipſi adhuc nocuiſſent, ſi nempe praepoſtero mali Medici conſilio forſan vſus, eas intempeſtiue adhibuiſſet: quod tamen illum nunquam feciſſe, mox liquidius, opinor, apparebit. Mihi enim vix dubium, quin inſignem illam crurum femorumque debilitatem et claudicationem contraxerit olim AVGVSTVS ex acceptis potiſſimum vulneribus atque luxationibus, quas ſupra *Cap.* XX. ipſe ſic deſcripſit SVETONIVS noſter: *Vna acie, dextrum genu lapide ictus: Altera autem. et crus et vtrumque brachium, ruina pontis, conſauciatus.* En veram nunc originem, niſi fallor, vnde ingraueſcente inprimis ſenectute, crus femurque debilis adeo eſſet AVGVSTVS, vt ſaepe inde etiam claudicaret. Suſtentaculo ergo atque fulcimine ideo opus vel maxime habebat, ne inter progrediendum, indecore labaret, nimiumque claudicaret. Illud vero in Arundinibus, aut arundineis virgis, tabulisque luxatis membris arcte adſtrictis ac alligatis, ex ſolito nempe Veterum Chirurgorum more, apte inueniebat et commode; ἔδει γὰρ χρῆσθαι τῇ διὰ τῆς σανίδος πιλήσει, vt ſcite loquitur in hunc ſenſum PAVLLVS AEGINETA, *Lib.* VI. *Cap.*

CXVIII. vbi de Coxendicis Luxatione tractat. Neutiquam autem in Arenis fragilibus et male cohaerentibus, vt supra iam ostendimus. Istae igitur Arundines arctius pressiusque alligabantur femori crurique luxatis, aut fractis, per lora quaedam longa, lata atque tenacia, quae priscis Medicis Latinis vocabantur vulgo *Habenae*, vti mox pluribus docebitur; item et *fasciae*, *lintea*, *lora*, *vincula*, et *ligamenta*, vt saepius apud CELSVM aliosque legitur. Quis ergo ex his statim non videat, legendum in posterum hic, in SVETONIO, sat probabili, credo, coniectura, esse: *Remedio Habenarum atque Arundinum confirmabatur?* eiectis nempe plane arenis illis calentibus, aut potius, nimium hic frigentibus, ac siue iniuria temporum, siue incuria scribarum, perperam huic SVETONII loco illatis, vti hactenus liquido, vt spes est, ostendimus. Haec licet iam notissima sint; tamen aliquot locis praecipuis probare placet, quia de Habenis istis nemini Interpretum hic quidquam in mentem venit, excepto vnico forsan sagacissimo REINESIO, qui tamen et ipse viam, qua ad veritatem iretur, vidit potius eminus, quam cominus calcauit. Ita igitur CELSVS noster *Lib.* VIII. *Cap.* X. *Membrum deligandum ferulaeque superaccommodandae sunt, quae quum spatio laxentur, paulum Habenis suis coartari eas oportet;* item, *Cap.* XV. *Supinus homo collocandus, Fasciaque, aut Habena, media ala circumdanda est;* et *Cap.* XVI. *Extendi per duas manus, interdum etiam Habenis adiectis, satis est;* nec non *Cap.* XX. *Si tenerius membrum est, satis est, Habenam alteram ab inguine, alteram a genu intendi*, et paucis ibidem interiectis: *Qui easdem Habenas ad valida bacula deligarint*, et mox: *Ab vtraque parte axes sunt, ad quos Habenae illae deligantur.* Sed plura iam studio omitto in sequentibus passim occurrentia. Ex quibus nunc satis liquido, opinor, patebit, legendum hic, vt modo dixi, omnino esse: *Remedio Habenarum, atque Arundinum*, leuissima nempe mutatione, et grauissima contra ratione, vt nemini non iam plenius, vti arbitror, constabit.

Istae autem Habenae, quarum ope, arundines, seu ferulae, membris flaccidis, mutilis et luxatis, item et fractis, ad corporis firmamentum, secundum rectitudinem, seu κατ' ἰθυωρίην, vel εὐθυωρίην, vt saepius

pius loquitur HIPPOCRATES, adstrictius alligabantur, Veteribus Medicis Graecis, HIPPOCRATI nempe, GALENO, AEGINETAE, PALLADIO aliisque, vocatae sunt olim, ἱμάντες, item ἱμάντια, et ἱμαντάρια, passim et ταινίαι, ὀθόνια, λαμπάδια, κειρίαι, φασκίαι, χειρόμακτρα, ῥακία, et σφενδόναι, vt et ἐπιδέσματα et πέδαι, nec non apud AEGINETAM inprimis, *Lib.* VI. *Cap.* CXVIII. βρόχοι ὑφαντοὶ ἢ πλεκτοὶ, quanquam et haec ipsa quandoque diuersum quid significant: Recentioribus autem λῶρα, λῶροι et λώρια, vt ex HESYCHIO, PHAVORINO, SVIDA, CONSTANTINO HARMENOPVLO aliisque clarius patet; de quo vid. MEVRSII atque CANGII *Glossaria Graeco-Barbara.* GALENVS autem saepius habet, τελαμῶνας, vnde bene HESYCHIVS: τελαμὼν, λῶρος, ἢ δεσμὸς, ἢ φασκία, quomodo et SVIDAS, et IVLIVS POLLVX, in *Onomast. Lib.* IV. *Cap.* XXV. et HIPPOCRATES in *Hippiatricis*, de quo plura SALMASIVS, ad *Flau. Vopisci Aurelian. Cap.* IV. *pag.* 422. et STEPH. LE MOYNE, in *Obss. ad Varia sacra, pag.* 301. *sqq.* add. si placet, *Obseruat. nostr. ad Hug. Grotii Christ. pat. Tragoed. pag.* 683. *sq.* Ista vero ἱμάντια crebro occurrunt apud HIPPOCRATEM nostrum, in Libris Chirurgicis, de *Medici officina, Fracturis, Articulis*, et *Vectiario*, seu *Mochlico*, ex quo potissimum sequentia huc spectant, *pag.* 874. Ῥάβδοι τε σύμμετροι κρανίης καὶ μῆκος, καὶ πάχος, ὥστε διατείνειν, ἱμάντια δὲ ἐξ ἄκρων ἀμφοτέρωθεν ἔχοντα εἰς τοὺς κρίκους ἐνδεδέσθαι. ὡς τὰ ἄκρα ἐς τὰς σφαίρας ἐνστηριζόμενα διαναγκάζῃ. h. e. *Virgae autem corneae eam conuenientem tum magnitudinem, tum crassitudinem habeant, vt extensionem facere possint. Habenas vero vtrinque in extremis finibus habeant, quibus ad annulos alligentur, ita, vt extremi fines orbibus innixi, vi cogere possint*, (membra scilicet luxata,) quem locum, vt mille alia, CORN. CELSVS Latine verterat, vt ex superioribus constat. Sed rursus HIPPOCRATES, Libro de *Fracturis, pag.* 715. Ἐπὴν δὲ ἐπιδήσῃς τοῖσι ὀθονίοισι, τοὺς νάρθηκας περιθεῖναι χρὴ καὶ περιλαβεῖν ἐν τοῖσι δεσμοῖσι: *Postquam autem Habenis linteis deligaueris, ferulas, seu arundines, circumponere oportet, et vinculis circumdare.* Idem *pag. sq.* 716. Χρὴ δὲ ἐρείδειν τοῖσι νάρθηξιν πάνυ ἡσυχῇ, οὕτω τῇ γνώμῃ ἔχοντας, ὡς οἱ νάρθηκες φυλακῆς ἕνεκα, τῆς

ἐπιδέσιος προσκέωνται: *Oportet autem ferulis, ſeu arundinibus, valde leniter firmare, hoc cogitantes, quod ferulae deligationis conſeruandae gratia, apponuntur; non autem compreſſionis cauſſa, alligantur.* Qui ſane locus inprimis huc ſpectare videtur, quoniam idem propemodum Graece dicit, quod ſupra Latine dixerat SVETONIVS. Quo et potiſſimum pertinet illud DEMETRII, ſeu quisquis fuerit Auctor, *Lib.* I. de *Re Accipitraria, Cap.* CXXXVII. *pag.* 145. Κάλαμον ξύσας ἐμμελῶς, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ κόνδυλον ἐξισώσας, κύκλῳ περίθες τῷ ὄρνιθος τῷ ποδὶ, καὶ περίδησον, ὥσπερ ἔθος ἐστὶ ποιεῖν ἐπ' αὐτῶν τῷ τοιέτῳ πάθει περιπεσόντων. *Arundo poliatur, et eius nodus explanetur, eaque circumligetur pes* (luxatus aut fractus,) *Accipitris, vt fieri ſolet apud homines ipſos, qui tale quidpiam patiuntur.* Item *Cap.* CXLIII. *pag.* 145. Τὰ δυνάμενα θεραπευθῆναι κλάσματα ἐπιδήσας νάρθηκι ἢ καλάμῳ ἐξίσωσον, ἢ τὸν πόδα, ἢ ἕτερον μέρος. *Quae ſanari adhuc poſſunt fracturae, ad ferulam, ſiue Arundinem alligandae ſunt, ita nempe, vt pes, ſiue alia pars aequaliter extendatur et ad iuſtam Regulam exigatur.* vbi et plura in ſequentibus: Conf. VEGET. *Lib.* II. *Artis Veterinar. Cap.* XLVII. inprimis vero GALEN. et PHOTIVM, in *Lexico inedito*, apud KÜSTERVM, in *Not. ad Suidae Lexicon, Tom.* II. *pag.* 413. et primo omnino loco, PALLADIVM, *in ſcholiis ad* HIPPOCRATIS *Librum, de Fracturis,* de quibus luculentiſſimis et praeſtantiſſimis locis omnibus, mox infra plura et accuratiora dicentur, in *Exercitatione noſtra altera.* Sed iniiciendae nunc demum quaſi ſunt habenae his ipſis noſtris Habenis effuſis, de quibus nimirum ſatis, immo plus ſatis, hactenus diſſeruimus: forſan haud imitati illum, apud Poëtam,

Qui foedere certo
Et premere, et laxas ſciret dare iuſſus habenas.

Ideo etiam plura vbiuis locorum, inprimis autem apud GALENVM, in *Comment. ad Libb. chirurg,* HIPP. AEGINETAM, ORIBASIVM aliosque veteres medicos frequentiſſime obuia, de iisdem hic adiicere iam merito veremur. Pauca tamen, lectorum pace, de *Arundinibus,* SVETONIO quoque noſtro commemoratis, hic ſubiungere adhuc liceat.

Iſta

Iſta nempe fulcimenta ac ſuſtentacula lignea, ſeu arundinea, artubus luxatis, debilitatis et male locatis, habenarum miniſterio applicata, quae Arundines hic vocat SVETONIVS, idem HIPPOCRATES, laudatis iam libris chirurgicis, ῥάβδους, ſaepiſſime nominat, item νάρθηκας, σανίδας, σανίδια, et φίλυρας, DIOSCORIDES autem σχίδακας, σχίζας et σχιδία, GALENVS denique, AIGENETA, et ORIBASIVS, item Scriptores Rei Accipitrariae, cum aliis, βακτηρία, ξύλα, κάνονας, καλάμους, κοντοὺς, item σχινδαλμοὺς, ſeu σκινδαλμοὺς, vnde et Latini, vt VITRVVIVS, COLVMELLA, PLINIVS aliique fecerunt *ſcandulas*, ſeu rectius *ſcindulas*, de quarum recta ſcribendi ratione poſt TVRNEBVM, PHILANDRVM, atque BALDVM ad VITRVVIVM, multa haud indocte diſputant VOSSIVS et BECMANNVS in *Etymolog. et Origin. Latin. Ling.* WOWERIVS *ad Apulei.* MELCH. GVILANDINVS, *Lib. de papyro*, aliique: quo et denique ipſum noſtrum vernaculum *die Schindeln*, de tenerrimis aſſulis ligneis, commode referendum videtur. CELSVS autem, CAEL. AVREL. VEGETIVS, aliique Latine eadem fulmenta vocant *paxillos*, *ferulas*, *baculos*, *baculaque*, *axes*, et *aſſulas*; item *tabellas feruleas*, *ferulas ſciſſas*, et *ſectiles laminas*, interdum et *regulas*: Scriptores tandem mediae et infimae Latinitatis, *Aſtulas*, *Aſellas*, *Aſcellas*, *Haſtulas*, *Eſſoullas*, *Axegias*, *Baucas* et *Ferlas*, pro Ferulas, nempe, vt videre eſt ſuis locis, apud doctiſſimum et laborioſiſſimum CANGIVM, in *Gloſſario Med. et Inf. Latinitatis.* De Νάρθηξι autem, ſiue *Ferulis*, apud BODAEVM a STAPEL, ad THEOPHRASTI *Lib.* VI. *Hiſt. Plant. Cap.* II. *pag.* 582. et praeſertim apud GALEN. *Comment.* III. in HIPPOCRAT. *Lib. de Officina Med. Text.* XII. *pag.* 79. *Tom.* XII. *Opp.* per CHARTER. item in ſequentibus *Comment. in Libb. de Fracturis et de Articulis*, paſſim et apud AEGINET. *Lib.* VI. *Cap.* XCIX. et in *ſqq.* Sed de his obiter tantum, et veluti in tranſcurſu.

Illas autem Tabellas et Aſſulas firmandis male firmis membris quondam adaptatas, ex diuerſa olim materie paratas et fabrefactas fuiſſe, ex frequenti veterum medicorum et chirurgorum lectione, cuiuis manifeſto conſtat. Inde bene in hanc rem VIDVS VIDIVS, qui omnium optime de veteri chirurgia ſcripſiſſe videtur, *Lib.* III. *Chirurg.*

Cap. VIII. vbi de ferulis, tabellis, furculis, et aliis eiusmodi fulcimentis, ex instituto tractat: *vocantur ferulae, quod ab antiquis ex ferulis conficerentur: commode etiam fiunt ex ligno leui, quod facile flectatur, vt ex salice, palma, harundine, pinu: commodissime nunc praesto sunt e fago* etc. vbi vid. plura in sequentibus: quibus inprimis addantur, quae doctissime hac de re disseruit Medicus quondam praestantissimus IO. LANGIVS, *Epist. Med.* LXXXII. *Lib.* I. *p.* 455. Ita igitur σανὶς φιλυρίνη μὴ λεπτὴ, hoc sensu occurrit apud HIPPOCRATEM, *Lib. de Articul. pag.* 803. et apud ATHEN. *Lib.* XII. *Cap.* XIII. ARISTOPHANES in *Auibus pag.* 605. Cinesiam φιλύρινον appellauit, διὰ τὸ φιλύρας τοῦ ξύλου λαμβάνοντα σανίδα συμπεριζώννυσθαι, ἵνα μὴ κάμπτηται, διά τε τὸ μῆκος, καὶ τὴν ἰσχνότητα, *quod tabella e tiliae ligno sumta se circumcingeret, ne ob proceritatem et gracilitatem, corpus flecteretur.* De quo vid. ADR. IVNII *Adag.* 76. *Cent.* VIII. KÜHN. ad POLLVC. *Onom. Lib.* X. *Cap.* LII. *Segm.* 189. item PERIZON. ad AELIAN. *Lib.* X. *Var. Hist. Cap.* VI. *pag.* 652. DILHERRI *Disput. academ. philolog. Tom.* I. *pag.* 279. KÜSTER. ad SVIDAM *Tom.* III. *pag.* 614. et REINES. *Var. Lect. Lib.* II. *Cap.* V. et *Cap.* XVIII. Ita et GALENVS *Comment.* II. *in* HIPPOCR. *Libr. de Fract. Text.* 65. *pag.* 219. *Tom.* XII. *Opp.* Medici cuiusdam Pergameni meminit, ὃς ἐκ φιλύρου γεγονότας εἶχε πλείους τοιούτους σωλῆνας, *qui eiusmodi canales complures habebat ex tilia confectos,* ad crura nempe luxata aut fracta reponenda repertos. Quemadmodum *tabula tiliaris,* apud CAELIVM AVREL. et *tabula tiliacea,* apud IVL. CAPITOLINVM legitur, de quo loco mox plura. *Virgarum salignarum* in eundem vsum adhibitarum meminit ALEXIS COMICVS, apud ATHEN. *Lib.* XIII. *Cap.* III. *pag.* 568. et CLEMENT. ALEX. *Lib.* III. *Paedagog. Cap.* II. *pag.* 218. ex acutissima nempe SAMVELIS PETITI Emendatione, *Lib.* VII. *Miscell. Cap.* IX. *pag.* 174. *sq.* vbi et de hac re plura. Conf. NICOL. HEINS. ad OVID. Lib. III. *de Arte Am.* 273. *pag.* 675. *Tom.* I. *Opp.* per BVRMANN. et HVG. GROTII *Excerpta e Tragoed. et Comoed. Vett. pag.* 570. et ibidem in *Not. pag.* 972. item IOS. SCALIGERI *Coniectan. ad* VARRON. *de Ling. Lat. pag.* 56. Sicut *Arundinum,* seu assularum arundinearum mentionem hic fecit

SVETO-

SVETONIVS: et ſupra DEMETRIVS τῶν καλάμων, quod idem. Narrat denique facetiſſimus LVCIANVS, in perquam lepido Libello, Aduerſus Indoctum, multos Libros coëmentem, prope finem, *p.* 394. *Tom.* II. opp. imperitiſſimos Medicorum vaniſſimae oſtentationis cauſſa, in apparatu ſuo medico et chirurgico, inter alia plura ſplendida et pretioſa inſtrumenta, habuiſſe quoque ἐλεφαντίνους νάρθηκας, ſeu *eburneas ferulas*, aut *Tabellas:* quanquam id etiam de eburneis medicamentorum thecis, ſiue capſulis, explicari poſſe, me non fugiat. Quorſum et notiſſimae *Analectrides*, ſeu *Anabactrides*, *Anaplectrides*, aut *Anaclintrides*, aut *Anapectides* OVIDIANAE, *Lib. de A. A.* III. forſan pertinere videntur; de quo tamen perquam dubio plurimumque Eruditos inter controuerſo loco, alibi, ſpero, proxime, commodior dicendi erit occaſio. Ceterum ad hunc noſtrum Locum Suetonianum apprime facere videtur illud, quod de ANTONINO PIO narrat IVLIVS CAPITOLINVS, *Cap.* XIII. *Quum eſſet longus et ſenex, incuruareturque, tiliaceis Tabulis in pectore poſitis faſciabatur, vt rectus incederet.* Vbi in Notis legi omnino meretur IS. CASABONVS, item REINES, *Lib.* II. *Var. Lect. cap.* 18. *pag.* 293. *ſq.* vt et CLAVD. SALMASIVS, in *Commentario*, ad TERTVLLIANI *Lib. de Pallio*, *pag.* 336. item DIETERICVS, in *Iatreo Hippocrat. pag.* 395. et PLATNERVS, *Diſſert. de Thoracibus*, *pag.* 7. vbi tamen potiora et meliora ex ipſa antiquitate facile petenda, feſtinanter nimis omiſit. Nempe ANTONINVS PIVS tiliaceis Tabulis vtebatur, veluti AVGVSTVS hic arundinibus: et faſciabatur, ſcilicet per adſtrictas Habenas, quas expreſſit hic liquidius SVETONIVS noſter; reticuit autem IVLIVS CAPITOLINVS. Sed de his hactenus. Verbo vero adhuc monere hic liceat, facillimum eſſe inter *habenas*, atque *harenas*, in ſcribendo, lapſum: id quod vel ille MANILII verſus, *Lib.* V, 191. inter alia plura, confirmauerit, vbi vulgo legitur:

Sternere litoreis monſtrorum corpora habenis.

Pro quo tamen omnino legendum eſſe, *harenis*, recte oſtenderunt Viri maximi, IOS. SCALIGER et THOM. REINESIVS, ipſa nempe

ſana

ſana ratione praemonente. Quam perquam frequentem inter *Harenas* et *Habenas*, confuſionem et permutationem paſſim etiam obſeruarunt, VOSSIVS, SALMASIVS, BARTHIVS, PASSERATIVS, RIGALTIVS, aliique plures.

EXERCITATIO ALTERA EADEMQVE PLENIOR AD QVENDAM SVETONII LOCVM IN VITA AVGVSTI

DE

REMEDIO HABENARVM ATQVE ARVNDINVM,

IN QVA PROBABILIS ISTA EMENDATIO NOVIS ARGVMENTIS VALIDE CONFIRMATVR, ET A FRIVOLIS NVPERI CVIVSDAM ADVERSARII OBIECTIONIBVS SOLIDE VINDICATVR.

Veteris illius dicti PETRONIANI veritatem, *quod non expectes, e tranſuerſo fit*, vel hodie in memet ipſo experior: quum mihi iam praeter omnem opinionem neceſſitatem impoſitam eſſe video, Coniecturam meam haud plane degenerem de loco quodam SVETONIANO ante annum, non ſine eruditiſſimorum virorum applauſu, publice propoſitam, defendendi, eiusque probabilitatem ſolidioribus argumentis circummuniendi. Omnia enim potius alia eredidiſſem, quam mihi litigioſa iurgia exoritura eſſe, ab iſto praeſertim auctore, cuius nomen mentitur potius iſta contra me ſcripta Epiſtola, quam praefert, de quo mihi per longiorem conſuetudinem omnium optime conſtaret, quantum in re inprimis critica et elegantioribus literis valeret, vel non valeret. Sed hoc noſtro miraculorum aut portentorum feraci admodum ſaeculo, omnia nunc fieri poſſe condiſco, fieri quae poſſe negabam. Nempe fiunt ſubito e Rhetoribus Conſules, e Conſulibus rurſus Rhetores, e modicis Medicis magni Critici, ex ignauis ignarisque Graecae et Latinae linguae tironibus acutiſſimi Philologi, et vtriusque Linguae callentiſſimi Iudices et Interpretes, denique e quibuſuis nodoſis

nodofis lignis teretes Mercurii. Sic orbis vertitur, tanquam mola, et femper aliquid portentofi facit, vt homines in alias prorfus formas mutentur, quam quas ipfis natura aut ingenium induerat. Sed nunc fine longiore ambage ad ipfam noftram, fi placet, coniecturam, de qua iam nouae turbae, vt dixi, nobis a male fedulis hominibus concitantur. Nimirum ifta, fimul ac nata atque edita fuit, perquam natiua fua facilitate et liquidiffima luce, adeo vfque confeftim blande percufferat perftrinxeratque maximorum Virorum et acutiffimorum Criticorum mentes oculosque, vt illa nihil verius, nihil certius excogitari potuiffe, certatim et quafi e compofito vbique profiterentur: ex quibus nominaffe iam fufficiat bina illa praeluftria artis noftrae lumina fideraque fulgentiffima, RICHARDVM MEADVM ac GERARDVM van SWIETEN, vt taceam celeberrimos viros, MASCOVIOS, BERGEROS, HEISTEROS, HAHNIOS, BIANCONIOS, BERNARDOS, ALBERTIOS, HVNDERTMARKIOS, RICHTEROS, MENCKENIOS, HEBENSTREITIOS, REISKIOS, MENZIOS, FABRICIOS, LEISNEROS aliosque plures, quorum modum paene excedentia elogia ex ipforum Epiftolis hic referre, nec noftri eft pudoris, nec tui forfan, mi Lector, iam otii, ifta legere. His igitur praeftantioribus

Malim conuiuis, quam placuiffe Cocis.

Vnum tamen hic pace quidem, vt fpero, tua, teftimonium grauiffimum producere liceat e literis Viri apud exteros celeberrimi, Graece praefertim doctiffimi, et fcriptis variis eruditiffimis inter feliciffimos aeui noftri criticos iamdudum merito fuo pofiti et notiffimi; non quidem eum in finem, vt me friuola quadam in paruis oftentatione, temere efferam; fed potius, vt malignos et inuidos cenfores, nuper demum ad inftar infelicis lolii fubito exortos, eo validius reprimam, eorumque temerarios vfus fortius retundam. En igitur ipfa Viri illius praeftantiffimi et ab omni foeda adulatione alieniffimi verba: *Placuit mirum in modum certiffima in* SVETONIVM *Emendatio, quam plurimis meis redemtam vellem; quaeque nemini, nifi qui omnem pudorem decoxerit, vnquam difplicere poteft; neque dubito, quin Cl.* ALBERTI *merito fit demiraturus infignem tuam fagacitatem etc.* Idem ille rurfus in alia Epifto-

 la,

la, poſteaquam iam foedus ille et deformis Aduerſarii noſtri foetus, infauſto omine, in lucem prodierat: *Ex literis communis noſtri Amici, didici temeritatem S. qui certiſſimae tuae emendationi oggannire non erubuit. Non putaram, quemquam tam vecordem fore, vt tibi hac in re contradiceret. Verum erit nemo, cui de meliore luto finxit Titan praecordia, qui inſolentem iſtum prouocatorem non vituperabit. Placet tua Emendatio, ac placebit ſemper, quamdiu literis ſuus ſtabit honos, licet contrarium clamet ad rauim vſque aduerſarius tuus. Ego ſane eam plurimis meis redemtam vellem.* Hactenus ille vir longe celeberrimus. Quibus nunc, ſed ſine omni vana iactantia, adiicere hic liceat, hanc ipſam noſtram Exercitationem criticam eruditiſſimis beati Belgii viris adeouſque placuiſſe, vt anno vix elapſo, noua eiusdem editio, Amſtelodami 1751. forma octaua, ſplendidiſſime prodiret. Ibidem, paullo poſt, hanc noſtram emendationem cum inſigni elogio, addidit nouae ſuae SVETONII editioni nitidiſſimae celeb. OVDENDORPIVS. Eandem quoque extra omnem dubitationem poſitam eſſe, benigne et generoſe iudicauit cel. REITZIVS, haud poſtremum ſane literati Belgii decus, in Apologia, aduerſus criminationes ANONYMI in *Miſcell. Lipſ. pag.* 41. de quo rurſus infra. Sed verecunde iam taceo plura eiusmodi inuidenda paene elogia, in variis eruditiſſimis ſcriptis paſſim hinc inde obuia, ceu doctis opinor, notum. Decoxerunt tamen, quis credere auſit, adeouſque, omnem ſuum pudorem nonnulli maligni alienae laudis obtrectatores, ſuaeque ſolius clamoſi praecones, vt ſerio cogitarent de refellenda iſta noſtra feliciore coniectura, atque hinc nunc ringentes in circulis muſſitarent, nunc ad amicos ſcriberent, ſibi vel maxime iſtam noſtram diſplicere Emendationem a pluribus licet probatam ac defenſam, additis etiam minis, piis ſcilicet et quaſi religioſis, ſi diis placet, ſeſe cum Deo, ſeparatim oſtenſuros, plures grauesque dubitandi rationes adhuc ſupereſſe, ob quas iſthaec coniectura nullo plane pacto admitti poſſet: quaſi vero leuicula haec res tanti eſſet momenti, quod Deus ipſe in auxilium aduocaretur. Triſtis autem paullo poſt euentus affatim docuit, inanes illas fuiſſe minas et iactanter tantum ſonantes, fulgura ex pelui, cunctaque haec ſine numine di-

vum,

vum, infeliciter prorſus coepta fuiſſe et agitata: ad inſtar enim Montis illius parturientis, et immanes quidem, inanes tamen gemitus cientis, exilem ac depilem tandem muſculum pepererunt, magnaque et mira minati, extricarunt nihil quidquam, vt manifeſto, ſpero, apparebit. Quum enim ipſi trepidantes non auderent famae periculum ſuo nomine adire, alium potius ad miniſterium ſui erga nos liuoris, ſubdole delegerunt, ſuasque iras atque tela aduerſus me eiaculanda nuper commiſerunt Medico cuidam practico et Thermographo, qui dira lucis cupidine, alienis ſumtibus, opibus ac laboribus, ſine opera et ſudore, inclareſcendi accenſus, publicata longa ac verboſa Epiſtola, gladiatorio animo ad nos affectauit viam, atque in campum arenoſum, indecoro puluere ſordidus, proſiluit, vt vicariam illam pugnam nullos habituram triumphos, ceu quidem Parabolanus, procaciſſime ſubiret:

Impiger hinc mediae infert ſe, ſublimis arenae,
Tempora cui lentis velauit Naenia Cannis,
Tela ferens humero, ſpargensque volatile ferrum,
Vana ferit.

Ipſum enim lepidi iſtius opuſculi auctorem non eſſe, nec per rerum naturam, eſſe poſſe, niſi ſtupendo prorſus et inaudito quodam miraculo, (quando nempe et mentis erroribus in morbis agitatos, aut numine aliquo peregrino afflatos incognitis antea linguis loquutos fuiſſe, paſſim conſtat, vti videre eſt apud FERNELIVM, *Lib.* II. *de abditis rerum cauſis*, BORELLVM, *Obſeruat.* 54. *Cent.* II. CARDANVM, SENNERTVM, BONETVM, SCHENKIVM, alios que plures, ſed ſit hic, quaeſo, venia ſubito ioco,) tam certo ſcimus, profecto, quam nos viuere, atque haec ipſa ſcribere.

Nunquam enim, crede mihi, ipſi magnum aut diuturnum cum elegantioribus literis, Graecis et Latinis, interceſſit commercium; de re ipſa autem critica, ardua illa et plebeiis ingeniis prorſus inacceſſa, tantum ipſi profecto notum eſt, quantum mihi de remotiſſimis gentibus Hyperboreis, et quid iam hoc ipſo temporis puncto, in vltima Thule peragatur.

Namque ſemper cum CATONE cenſuit, *melius eſſe, Graecas literas obiter tantum inſpicere; quam penitus perdiſcere:* iure enim verebatur cum MARIO, apud SALLVSTIVM, ne virtuti ſcilicet officerent, cuius ſemper fuit ſtudioſiſſimus et obſeruantiſſimus cultor: *hinc parum placebat, Graecas literas diſcere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant.* Inde igitur olim ſaepe coram me aliisque amicis ingenue faſſus eſt, ſeſe in Graecis quidem literis nullum proceſſum habere, in Latinis autem vix nonnullum.

Quam ob rem non ſatis demirari mecum poteris, Lector, duram valde Medici illius conductitii frontem, aliena pro ſuis nimis confidenter, parumque prudenter vendentis, ſeſeque hinc omnium prudentiorum cachinnis et ludibriis incautius exponentis, qui nempe cuncti nobiſcum vna cum amicis clariſſimis et in proxima vicinia, et hic inprimis degentibus, illis ſcilicet ſtrenuis portentorum Grammaticorum debellatoribus, et deterrimi Augiae ſtabuli in iſto ſcilicet itinere latino late patentis, expurgatoribus patientiſſimis, ipſi ſatis notis, optime norunt, illum ipſum Virum doctiſſimum ab his cultioribus ſacris valde alienum eſſe, atque proinde omnia reliqua in illa Epiſtola ad ipſum pertinere, exceptis tantum rebus ac verbis, quae aliorum nempe inſtinctui atque efflatui prorſus debet. Verum ille ad eos praeſertim referri quodammodo videtur, de quibus QVINCTILIANVS ita quondam veriſſime et acutiſſime: *Nihil peius eſt iis, qui paullum aliquid vltra primas literas progreſſi, falſam ſibi ſcientiae perſuaſionem induerunt.*

Forſan tamen et ipſum modeſtum ſatis ſcribendi genus ad ipſum pertineat, licet intermiſtis paſſim aculeatis dicteriis et Catonianis ſupercilioſae frontis reprehenſionibus: quod equidem merito laudamus, vellemusque hinc, vt par pari referre hic liceret. Verum illud nos male omnino habet, quod iſte nouellus Criticus perſonatus nos ſubito adortus fuit, nulla antea iniuria a nobis laceſſitus, et nulla alia contra nos ſcribendi ratione permotus, niſi acri quidem, ſed inconſulta perpetuae famae cupidine exſtimulatus, potiſſimum vero, vt aliorum vlceroſae mentis aegritudini foeto obſequio velificaretur, et vicariam

operam

operam praeſtaret alienae petulantiae, et importuno nobis vane obloquendi ſtudio, dum nempe, poſito pudore,

aliis ſeruit miſer, atque
Ducitur, vt neruis alienis mobile lignum.

Illud enim Plinianum certo ſenſu ad ipſum vel maxime ſpectat: *Alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoſcimus, aliena memoria ſalutamus,* item, quod addo, *aliena viuimus et ſcribimus opera.*

Inde ſane propter effrenam illam proteruitatem traducis iſte ſapientiae tinnulus buccinator et de alienis opibus prodigus largitor, aequo iure haud incaſtigatus nobis dimittendus videbatur, atque ille inani tumens Graculus ſuperbia, alienis pennis exornatus, roſtris fugandus ac male mulcandus erat, ſi ita cum lepidiſſimo PHAEDRO loqui liceat, quam ſane contumeliam haud expertus fuiſſet, ſi intra ſuos fines exiguos ſeſe modeſte continuiſſet, Thermographus, immo potius Pſychrographus, manſiſſet, aliena arua et iura haud inuolaſſet, peregrina ſacra intacta et intractata ſiuiſſet, triumphum ante victoriam non ceciniſſet, ac per tabernas, popinas et tonſtrinas, de hoc ſuo foetu ſuppoſititio, et obſtetricantibus aliis, diro ſidere enato, iactantius gloriatus fuiſſet, neque demum eos temere et petulanter adortus fuiſſet, cum quibus tamen perpetuam pacem et concordiam alere, ob cauſſas ſonticas, ipſi plane cognitas, vel maxime ipſi conduxiſſet.

Aliquanto igitur animoſius, praeter conſuetum noſtrum morem, contra ipſum calamum hic ſtringentes, animum eius potius ſpectamus, haud ſatis candidum aut amicum, quam byſſina verba; deprehendimus enim gladium melle circumlitum, ſcimusque probe, *peſſimum inimicorum genus eſſe laudantes.*

Sed ſatis iam de his! Audiamus potius nunc, ſi placet quidem pauculas bonas horas male collocare, hominem ipſum loquentem, vel potius homines alios, per ipſum loquentes, eorundemque rationes et dubitationes, grauiſſimas ſcilicet illas de lana caprina tribusque capellis, aut arundinibus, data opera, expendamus ac diluamus.

Acris igitur, ſiue ridicula potius lis, nobis potiſſimum intenditur, propter ſequentem notiſſimum SVETONII locum, in *Vita Au-*

gusti, Cap. LXXX. *Coxendice, et femore, et crure sinistro, non perinde valebat, vt saepe etiam inde claudicaret; sed Remedio Harenarum atque Arundinum, confirmabatur.*

Quem ambiguum ac perobscurum TRANQVILLI locum vt scite explicarent et liquida luce perfunderent, diu multumque aestuarunt quidem doctissimi Interpretes Suetoniani; sed frustra omnino atque incassum, in hunc vsque diem. Haud enim commode docere poterant, quomodo nempe Harenis et Arundinibus Claudicatio tolli posset, neque de ridiculo illo et prorsus hactenus inaudito Arenarum et Arundinum simul compositarum remedio, ex omni antiquitate, vllum locum afferre poterant, vnde lux aliqua affulgeret SVETONIO, et de Remedio isto insolito ac peregrino satis constaret: et licet de Arenis illis rem omnem sese tenere, certo crederent, etsi perperam, vti infra luculentius docebitur; tamen, quid istis facerent Arundinibus, comminisci haud valebant. Hinc summus CASAVBONVS, ita ingenue, pro more, fassus, scribit in doctissimis ad istum locum notis: *Remedium Arundinum quid appellet hoc loco,* SVETONIVS, *ne Medicos quidem, Viros eruditione praestantissimos, satis exploratum habere scimus.* THOMAS igitur REINESIVS, eruditorum sui aeui per omnem Germaniam, facile princeps, ne ipsi hoc minus exploratum esse videretur, ita rem dubiam explicat, *Lib.* II. *Variarum Lect. cap.* 18. *Satius fuerit de Radice Arundinis, quam luxatis, et spinae doloribus, ob vim extractoriam, mederi, si trita cum aceto, illinatur, tradidere* DIOSCORIDES, *Lib.* II. *cap.* 115. et PLINIVS, *Lib.* XXIV. *Cap.* II. *intelligere. Cum enim destillationes anniuersarias et certo tempore recurrentes valetudines expertus sit* AVGVSTVS, PLINIO, SVETONIO, DIONE, SOLINO *testibus; ob crebriores autem Catarrhi ad coxam decubitus, et dolorum ὑποτροπιασμοὺς, articulos adeo debilitari, vt luxetur et excidat os femoris, mucoribus superuenientibus,* HIPPOCR. VI. *Aph.* 59. *constet, Medicinam ex Arundine trita, adplicare locis oblaesis & ininitantibus ἐξανίσασιν, non inconueniebat.*

Quae quin docte et ingeniose, pro solito scilicet summi Viri more, excogitata fuerint, nemo non, opinor, confestim fatebitur: simul

tamen

tamen ita etiam comparata esse, vt multae dubitandi et haesitandi rationes adhuc supersint; id vero nemo rerum probe intelligens, facile negabit. Vnde enim hic, quaeso, satis certo constet, Radices Arundinum cum aceto tritas hic intellexisse SVETONIVM, cum Arundinum tantum mentionem faceret? Qua porro ratione illae cum aceto tritae radiees, vna cum calentibus Arenis, commode artubus luxatis ac claudicantibus applicari potuerint? Quis pariter vnquam dixerit, istas Arundinum radices, Arenasque feruentes claudicationem emendare posse? et vbi demum mentio istius miri remedii ex Arundinum radicibus cum aceto tritis et Arenis calentibus, coniunctim sumtis, apud veteres medicos Graecos ac Latinos inueniatur? Vah! quanta vbique hic difficultatum, dubitationum et obscuritatum copia! quam nemo forte, nisi aliquo propitiore Numine afflatus, ac felicioris ingenii abundantia instructus, soluere ac discutere poterit. Hinc et ipse REINESIVS, pro mira sua in his interiorioribus literis, sagacitate ac iudicio acerrimo, quasi iusta prioris sententiae poenitentia actus, sibimetipsi diffidit, atque mutata feliciter coniectura ista, sequentem mox explicationem subiungit longe veriorem profecto, certiorem et concinniorem: *Potuit etiam sub claudo ex imbecillo et luxo crure, Arundo ea ratione, in Remedium expeti, quod σκινδαλμοὶ, seu assulae eius fissae manu repositum in sedem suam caput femoris continere aptae natae essent, si commode per habenas additas, alligarentur, quod corticibus arborum, vel lignis excauatis, alii praestiterunt. Sane Materies Harundinum gratissima fabricis, et sectiles earum laminae ad quaecunque liberet opera, aptissimae fuerunt,* PLIN. *Lib.* XVI. *cap.* 36. Verissime haud dubie et appositissime, quando nempe, bene monente EVRIPIDE, posteriores cogitationes sapientiores solent esse prioribus.

Quae quum legerem, inuenta iam feliciter, opinor, coniectura nostra, vt amici Cizenses adhuc probe norunt, ibi enim primum nata fuit, quum nouum SVETONIVM obiter per otium, perlegerem, nec libros haberem alios, nec aliud, quod potius agerem; mirum sane in modum laetatus fui, quod meam suspicionem tanti Viri grauissima auctoritate assensuque venerabili plane confirmatam animaduerterem,

terem, qua legendum mihi videbatur: *Remedio Habenarum atque Arundinum confirmabatur*: Sensu sane aptissimo, facillimo ac liquidissimo. Inde enim nunc optime cohaerent Arundines et Habenae; quiuis nunc sua sponte facile intelligit scitam medendi methodum chirurgicam; nemo nunc necesse habet, Radices Arundinum cum Aceto tritas operose comminisci, nemo modum illum difficillimum anxie excogitare debet, quo illae tritae cum aceto, Arundinum radices vna cum Arenis arentibus calentibusque apte et concinne componi et commisceri possint. Quin potius nihil adhuc amplius in hoc loco dubium et incertum, nihil confragosum et arenosum, nihil lutulentum fluit: e contrario autem, vnius tantum literae felici mutatione, omnia nunc plana, clara, perspicua et intellectu facillima, a quouis, vel mediocriter tantum docto, statim deprehenduntur. Haec tamen blanda et concinna verique simillima coniectura, cuius me nondum poenituit, nec poenitebit vnquam, licet fulgentissima sua luce ita radiaret, vt cunctis doctis, elegantibus ac generosis ingeniis, assensum non lente proliceret, sed confestim potius validissime extorqueret adeo, vt quamplurimis SVETONII exemplaribus eam adscriptam immo etiam nonnullis impressam, laeti hucusque conspexerimus, haec, inquam, coniectura tamen, quis credere ausit? soli displicere potuit commentitio illi nostro Censori, nisi potius illius mobilis tantum ligni clandestinis motoribus ac rectoribus, vt pro exsurdato suo palato, vel inuentis sic sapidissimis frugibus, glande adhuc insipida decidua vesci turpiter mallent. Hinc priorem sententiam Reinesianam, de Arundinum radicibus cum aceto tritis et Arenis calidis, ab ipso licet, maximo illo Viro, iam desertam ac retractatam, prae illa posteriore verissima ac commodissima, de assulis nempe arundineis, auidissime arripuit atque in suos vsus perquam exiguos leuiter conuertit Censor ille noster sine suffragio creatus, quo tantum haberet, quod incassum obloqueretur. Omnia autem Auctorum loca in suam sententiam ibi producta aut REINESIO debet, aut aliis, qui ipsum ad scribendum impulerunt, et sub eius vicario quasi nomine latere maluerunt, quam ipsi in arenam ac pul-

verem

verem fidenter prodire. Igitur bonus iſte homo atque vmbraticus pugil noſtras non audit habenas, ſed potius peruerſe ac praepoſtere

ſteriles elegit Arenas,
Vt caneret paucis, merſitque hoc puluere verum.

Pauciſſimi enim, et praeter ipſius impulſores ac machinatores, fortaſſe nulli, vt certa nos ſpes alit, et iamiam nobis abunde innotuit, futuri ſunt, qui crambem ab ipſo frigide recoctam, dudum autem faſtiditam, et ob emendationem noſtram reiectam, guſtaturi ac laudaturi ſint in poſterum.

Optimum nempe AVGVSTVM acerbiſſimis morbis articularibus, ſcilicet Chiragra, Podagra, coxarum dolore acutiſſimo, ſeu malo Iſchiadico, aliisque hoc genus Rheumatiſmis, frequentiſſime per vitam tentatum vexatumque fuiſſe, atque inde perquam moleſtam claudicationem contraxiſſe, non dubitanter, ambigue et verecunde, vt decebat nempe in re obſcura, incerta et meris coniecturis leuibus innixa, proponit; ſed certiſſimum eſſe, cenſoria potius fronte, et imperio quaſi pluſquam MANLIANO, aſſeuerat: ſicut et infra *certo certius ſcit*, AVGVSTVM *ex illo articulari morbo, Coxendicumque praeſertim dolore claudicaſſe et arenae calidae appoſitu, itemque illitu medicamenti, ex Arundinum radice, cum aceto parati, confirmatum fuiſſe*, de quo tamen infra plura. Scilicet haec omnia certo certius ſcit iſte Conſiliator, deorum, et vltra humanam ſortem longiſſime ſapiens augur,

qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentit,
Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae.

Ab acia et acu omnia exponit, inteſtina ipſa AVGVSTI nouerat omnia, tantumque non diceret, ſi quis ſcire vellet, quid pridie imperator coenaſſet: putaſſes illum ſemper cum AVGVSTO habitaſſe, et cum HORATIO atque VIRGILIO ad eius latus conſediſſe, atque honeſtiorem ipſius CAMELII vel ANTONII MVSAE locum digniſſime occupaſſe, ſi ita quidem cum PETRONIO iocari hic libere liceat. Fruſtra ergo, et ſaeuo potius cum ioco, a me erudiri et doceri cupit

tot saeculis ab AVGVSTI aeuo remoto, quum ipse omnia melius certiusque sciat et me potius inde docere possit, quoniam ipsis Imperatoris illius rebus praesens interfuisse videtur.

His praemissis et extra vllam controuersiam positis, pergit praeclare docere, saeuum istum articularem morbum, inprimis, vbi per longiores moras inualuit diuque inueterauit, insignem artuum debilitatem, crurumque adeo claudicationem frequentissime excitare, idque ipsum, quod nemo scilicet sanus nesciebat, aut negabat, multis HIPPOCRATIS, ARETAEI, GALENI, CELSI, et aliorum Auctorum locis notissimis, ex alieno Narthecio, pro more, depromtis, praeter vllam necessitatem, probat et confirmat, vt scilicet vane ostentaret, lectos ipsi illos Veteres Auctores esse, per omnem licet suam vitam forsan illectos, nec intellectos, quod haud obiter scimus, et vna cum multis amicis superius iam laudatis, qui hominem istum omnis venustae et eruditae Vetustatis valde ignarum, mecum propius norunt, sacramento Socratico paene contendere audemus. Negare interim non conatur, claudicasse pedibus AVGVSTVM, sicut nec ipse nego, Censorem ipsum ingenio interdum claudicare labique, nam vbi ille est, ibi consilium claudet: hac saltim intercedente differentia, quod ipse claudicationis vitium ex Arthritide obortum putet, ego contra ex grauissimo lapidis ictu, et violentissima praesertim pontis ruina accidisse censeam, inductus inprimis loco illo clarissimo, *cap.* XX. *Vna acie, dextrum genu lapide ictus: altera autem, et crus et vtrumque brachium, ruina pontis consauciatus.* Hoc autem validissimum, mea quidem opinione, argumentum vanissima argutatione eludere et infringere conatur, malletque bonum AVGVSTVM duo dextra fregisse crura, quam vnum sinistrum, vt tantum suae leuissimae coniecturae color et fides aliqua constaret: Sic enim declamatorio prorsus strepitu ampullatur: *De crure tacet* SVETONIVS, *vtrum dextrum, an sinistrum, laesum fuerit? Verisimilius mihi tamen videtur, illud etiam de dextro crure accipiendum esse, quod de dextro genu ante dixerat, licet breuitatis gratia vocem dextrum repetere noluerit. Tandem non video, cur* SVETONIVS *coxendice, et femore, et crure,* AVGVSTVM *non perinde valuisse dixisset, et tria ossa nominasset, si luxationem horum subaudiuisset*

audiuisset ossium. Siue enim solum femur osse coxarum excidit, cur crus adiecerit? siue crus tantum sede sua motum est, cur coxendicem simul appellauerit? En vero perbellam et peracutam, si diis placet, nouorum Criticorum veteres auctores explicandi rationem! Sed hic quaestionibus plusquam Domitianis immorari piget ac pudet; ipse bellus iste interpres eat et quaerat ex SVETONIO, cur sic, vt scripsit, nec aliter, vt Censor nempe mallet, scripserit: haec nihil prorsus ad me, nec ad rem ipsam quidquam faciunt, et a prudentioribus lectoribus resonabili cachinno, pro merito scilicet, excipientur. Censoria igitur grauitate Litigator licet pronunciet, dextrum crus sauciatum fuisse AVGVSTO; ego tamen eodem iure, si liceat, affirmare possum, sinistrum fuisse; hic enim Accio idem, quod Titio, ius esto! Nam quis quaeso, silente ipso SVETONIO, certi quid hic temere affirmauerit? neque enim nos in SVETONII silentio nostrae sententiae argumentum, aut tutamentum, frustra quaerimus, quod ficulneum prorsus auxilium soli nostro praecoci Censori lubenter relinquimus, nihil ipsi plane profuturum, vti infra manifestius patebit. Nimirum, si quis ea in re scientiam sibi vindicet, quae non potest sciri; nonne insanire videatur, si id affirmare audeat, in quo facile reuinci possit? Inde igitur, vel et vtrumque crus diffractum forsan fuerit AVGVSTO; In oppressis enim subita integri pontis disiecti ruina, vulnera inprimis non dari ad mensuram, vt loquuntur; sed omnia potius membra grauissime conquassari ac consauciari, quis est, obsecro, qui nesciat, aut negare audeat? Vnde et vtrumque brachium simul sauciatum fuisse, prudenter hic addit SVETONIVS: inde quoque, vt coniicere fere licet, enatus ille singularis dextrae manus eneruis torpor, cuius mox meminit SVETONIVS: *Dextrae quoque manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, vt torpentem, contractumque frigore, vix cornei circuli supplemento, scripturae admoueret:* licet, vt suae scenae inseruiret, de chiragra potius interpretari ista mallet fictitius noster aduersarius.

Qui et insuper arthriticae suae, vt sic loquar, de Arthritide AVGVSTI opinionis maximum pondus in aurea illa et quantiuis pretii particula *Saepe*, sese reperisse, tripudians exultat, putatque in illis potissimum

tiſſimum verbis: *Vt ſaepe etiam* claudicaret, plus inueniſſe, quam pueri in faba, quod dicitur, reperiant, quod etiam quibuſdam eruditis rei criticae et elegantioris literaturae haud ſatis gnaris, ita perperam viſum, vt vulgares iam Ephemeridum doctarum conſcriptores taceam, nobis quidem, quod dolemus, ſed modice, hic non ſatis propitii, qui de re non intellecta iudicium ferre haud valent. Sed

O imitatores! ſeruum genus! vt mihi ſaepe
Bilem, ſaepe iocum veſtri mouere tumultus.

Nihil enim profecto, vel certe parum, refert, ſiue ſaepe, ſiue ſemper, claudicauerit AVGVSTVS, quum interim certiſſimum ſit, illum claudicaſſe. Res ſane, me quidem iudice, intellectu facillima: Optimus Imperator violentiſſima illa pontis ruina, ſupra e SVETONIO noſtro commemorata, paene oppreſſus et conſauciatus, ſiniſtras potiſſimum corporis partes adeo debilitatus, concuſſus et vitiatus erat, vt nunquam exinde, per omnem vitam coxendice, et femore et crure ſiniſtro rectius valeret, aegriusque hinc ſemper incederet: ingraueſcente autem poſtea ſenectute, et ſuperuenientibus variis grauioribus morbis, deſtillationibus ac Catarrhis et Rheumatiſmis ab ipſo SVETONIO commemoratis, atque in illas debiles et offenſas iam partes potiſſimum pro more conſueto, acriter incumbentibus, quoniam *magis offenſis obnoxia eſt infirmitas*, iudice CELSO, et *in affecto iam corpore leuis cauſſa magis, quam valido, grauior, ſentitur*, bene monentibus LIVIO atque SENECA: tum vero malum illud dudum inueteratum, adeouſque ſenſim intendebatur et exaſperabatur, vt exinde ſaepe quoque claudicaret, variis inprimis tempeſtatum mutationibus ſubinde ingruentibus, ſicque *anniuerſarias ac tempore certo recurrentes valetudines* ipſi ſubinde inducentibus, vt ipſe ait SVETONIVS, atque hinc fulcimentis, Habenis nempe atque Arundinibus, ſaepius indigeret: quam noſtram ſententiam validiſſime ipſe noſter confirmat SVETONIVS, ita perſpicue ſcribens *cap.* LXXXII. *Quaſſato corpore, neque frigora, neque aeſtus, facile tolerabat* AVGVSTVS; quoniam eiuſmodi delicata et eneruata corpora valetudinaria vel ad leuiſſimarum ex tempeſtatibus iniuriarum motus, ſaepiſſime collabuntur, pulchre alicubi monente SENECA modo laudato.

Quae

Quae ſane explicatio noſtra ex ipſis SVETONII noſtri verbis ſua ſponte emergit, neque vllis fidiculis extorquenda eſt: *Coxendice, et femore, et crure ſiniſtro, non perinde valebat, vt ſaepe etiam inde claudicaret.* Nempe ex triſti illo ac funeſto caſu ſuperius commemorato, coxendice, femore et crure ſiniſtro nunquam bene valuerat AVGVSTVS, tandem vero, ſenio confectus, morbis variis ſenſim labefactatus, viribusque fractus, adeouſque illis vitiatis iam partibus, langueſcebat, vt etiam ſaepius exinde claudicaret. Quod ipſum luculentiſſime quoque confirmat vir quidam Graece doctiſſimus et Orientalium Linguarum et inter ipſas, praeſertim Arabicae, longe peritiſſimus, in Epiſtola nuper ad me data, his quidem verbis, Lectoris, vt ſpes eſt, pace, huc infra adſcribendis: *Perlegi chartulam Aduerſarii tui. Non animaduertit ille,* AVGVSTO *tendines et ligamenta laxa,* χαλαρὰ, *fuiſſe, vt Habenis et Schidiis opus habuerit, ſuppleturis id, quod tono fibrarum deerat. Vel natura, vel caſu, ex ictu vehementiore, id potuit habuiſſe, vt non ſemper claudicarit; Periodicum malum id potuit fuiſſe; vt videmus milites, quacunque demum corporis parte vulneratos in bellis, ad mutationes tempeſtatum, de doloribus illarum partium recidiuis conqueri. Sunt et alia multa, quae ipſi poſſunt obmoveri. Videtur generatim morbum* AVGVSTI *non perſpexiſſe* etc. hactenus vir ille praeſtantiſſimus, ſapientiſſime profecto, atque acutiſſime.

Quibus denique omnibus vel maxime adhuc accedit illud, os femoris iam atroci illo caſu nimis laxum luxumque, mucoribus crebro ſuperuenientibus, magisque partes illas iam offenſas relaxantibus, ſaepius ipſi excidere potuiſſe AVGVSTO, quod ex HIPPOCRATIS *Aph.* 59. *et* 60. *Sect.* VI. acute iam obſeruauerat ſupra REINESIVS, cuius tamen fidem fallere neſciam in dubium hic vocare mallet aduerſarius, ſolius quidem CELSI, et quidem male intellecti, auctoritate fretus, qui nempe *Lib.* VIII. *cap.* 20. obſcure nonnihil atque dubitanter de hoc caſu loquutus fuerat: quem tamen non rariſſimum, vt falſo! putat Cenſor noſter, ſed frequentiſſimum potius eſſe, in corporibus praeſertim humidioribus, fluxioribus et laxioribus, rurſus graviſſima ſua auctoritate validiſſime confirmat ipſe HIPPOCRATES *Lib. de Artic. pag.* 762. Edit. Lind. ita manifeſte ſcribens: συχνὸς γὰρ

ἄν τις ἴδοι, οἳ οὕτως ὑγροί εἰσιν, ὥστε, ὁπόταν ἐθέλωσιν, τότε αὐτοῖσι τὰ ἄρθρα ἐξίσ̈ανται ἀνωδύνως, καὶ καθίσ̈ανται ἀνωδύνως, *Multos enim videas, qui adeo humidi ſunt, vt, quando velint, articuli ipſis citra dolorem excidant, et abſque dolore reſtituantur,* quod et in ſequentibus ibidem pluribus probat, praeſertim vero in *Mochlico, pag.* 859. perſpicue docet, femoris os in humidioribus et laxioribus naturis ſua ſponte, ſaepiſſime ſede ſua excidere, atque nunc facilius, nunc difficilius, in eandem reponi poſſe, ad quae HIPPOCRATIS loca notatu certe digniſſima, quae iam cuncta exſcribere haud vacat, legi omnino meretur, in *Commentariis,* GALENVS, inprimis autem *pag.* 453. *ſqq.* et *pag.* 305. *Tom.* XII. *Opp. Comment.* IV. *Text.* XL. in HIPPOCRATIS *Librum de Articulis;* et aliis locis ibidem pluribus: nempe ad ſupra laudatos Aphoriſmos, *Tom.* IX. *part.* II. *pag.* 289. Quibus nunc denique nouiſſime accedat grauiſſima ASCLEPIADIS auctoritas apud ORIBAS. *de Luxat.* in *Collectione veterum Chirurgorum* NICETAE, per Cl. COCCHIVM, *Florent.* 1754. primum edita, *pag.* 155. vbi ipſe Cel. Editor in Notis doctiſſimis prouocat ſimul ad PETITI *Lib. de Morbis Oſſium, Cap.* XI. *pag.* 309. item SCHWENCKII *Hiſtoriam Sanguinis, pag.* 210. in *Append.* variaque iſtius ſpontaneae luxationis producit exinde exempla; qualia et plura collegit FALLOPIVS, *de Luxat. Cap.* XIII. *pag.* 85. *Tom.* II. *Opp.* et apud alios legere licet auctores laudatos a PLATNERO, *Inſtitut. chirurg. pag.* 808, vbi et ipſe de hac ſingulari luxationis ſpecie tractat, vt et HEISTERVS, *Chirurg. pag.* 193. HILDANVS, et alii. Conf. et SCVLTETI *Armament. Chirurg. Declarat. Tab.* XXVIII. *pag.* 80. et inprimis RIEDLINI *Lin. med.* 16. *ann.* 1696. *menſ. April. pag.* 178. *ſq.* item FABRIC. ab AQVAPENDENT. *Lib.* I. *Cap.* 5. BELLOSTIVS de la MOTTE, CLERICVS, alioſque opportune hanc in rem allegatos a Cel. REITZIO in doctiſſima *Apologia contra Criminationes Miſcell. Lipſ. pag.* 41. *ſqq.* vbi et ipſe perquam benignum de hac noſtra emendatione SVETONII iudicium tulit, eamque, ceu extra omne dubium poſitam, ſplendide laudauit; de quo magni ponderis aſſenſu tam praeclari viri merito vehementer gaudemus.

Quid

Quid igitur mirum, si similibus ex caussis os femoris laxum luxumque AVGVSTO saepe excideret, quod et saepe idem apte reponeretur, et modo repositum, Habenarum atque Arundinum remedio, confirmaretur? quod nempe, docente vberius ipsa chirurgia, in eiusmodi casibus, et summae necessitatis et maximae vtilitatis solet esse ministerium, qua de re infra suo loco pluribus tractabitur. Nihil ergo, nihil prorsus praesidii aut effugii repositum hic amplius habet adversarius in aurea illa et gemmea particula *saepe*, vti quidem vane ac ridicule gloriatur: Si enim ex quacunque demum caussa *saepe* claudicauit AVGVSTVS, necessario quoque *saepe* Habenarum atque Arundinum remedio indiguit, ad confirmandos nempe a que continendos elapsos artus, modo ope chirurgica in sedem suam pristinam consuetam scite et perite repositos. Sed satis iam de morbo AVGVSTI ipso.

Accedamus nunc, hem! tempus est, si lubet quidem, ad bina illa contra eum Remedia, Harenas nempe calidas atque Arundines frigidas: vtrasque satis frigide languideque defendit iste pugnax, vt sic loquar, Arenarius. Videamus iam paucis, de singulis. Primum operose nimis atque superuacua prorsus opera, docet, Arenas calentes hydropi, Cachexiae, Neruorum resolutioni atque articulari demum morbo conduxisse, quae scilicet ad nauseam vsque, cuiuis notissima sunt. Quum vero ego obiter ostendissem ex ipso nostro SVETONIO, nec feruidas Harenas, nec calida fomenta quidquam profuisse; quin potius plurimum obfuisse AVGVSTO, si ea quidem incautius adhibuisset, hocce validum omnino argumentum vt subdole eluderet, maluit duos AVGVSTI morbos diuersos, duasque diuersas plane medendi Methodos, vnam nempe excalfactoriam, et alteram refrigeratoriam comminisci, viditque per nubes atque inania, alter veluti PENTHEVS,

Et Solem geminum, et duplices se ostendere Thebas.

Neque sane in summas angustias adductus, commodius effugium, quo elaberetur, reperire poterat, nisi hoc vnicum, quod nempe misero AVGVSTO duplicem affingeret Arthritidem, vnam scilicet mitiorem, alteram

alteram autem atrociorem. Quum enim e variis HIPPOCRATIS, ARETAEI, GALENI, CELSI et aliorum locis, ex aliena liberalitate ipſi pro more, ſuggeſtis, ſero ſerioque didiciſſet, ſaeuam, diuturnam ac nodoſam Arthritidem frigida potius expoſcere Remedia, quam calida, id quod pluribus probant MERCVRIALIS, *Lib.* IV. *Var. Lect. cap.* 2. ANTON. SNEEBERGERVS, de Medicamentis contra Articulorum dolores, HOLLERIVS, LIEBAVTIVS et alii, praeſertim autem HERMANNVS VAN DER HEYDEN, in *Diſcur. med.* III. et THOM. BARTHOLINVS, *Lib. de Vſu Niuis med. Cap.* XXVIII. add. PETRI PETITI *Comment.* ad ARETAEVM, *pag.* 215. commodiſſimum ſane erat, fingere, leuiore illa arthritide, AVGVSTVM calidis Harenis vſum ſalutariter fuiſſe; altera autem ſaeuiore, lauacris frigidis, potionibusque gelidis; ſed quid, quaeſo, tum fiet potentiſſimis illis, ſi Diis placet, Arundinum Radicibus, quae in loco noſtro SVETONIANO, proxime coniunguntur cum Arenis illis calidis mitigatoriis, et tamen in ſaeuiſſimo et pertinaciſſimo Articulorum morbo, teſtibus DIOSCORIDE et PLINIO, aliisque, adhiberi demum, ceu vltimum praeſidium, conſueuerunt?

Duplicem igitur, ex noſtri quidem Cenſoris ſententia, ſimul Arthritidem paſſus fuiſſe videtur AVGVSTVS, vnam benignam, morigeram et arenis calidis facile cedentem; alteram autem malignam, moroſam ac peruicacem, tritis cum aceto Arundinum Radicibus, extractoriam vim habentibus, demum expugnandam et abigendam: Mitiora igitur et valentiora remedia ſimul, et, quod maxime mirum, vno eodemque tempore, adhibita ſunt, vetantibus licet recte HIPPOCRATE, CELSO, GALENO aliisque, et ipſa praeſertim ſana ratione: Sic enim corpore in vno, vnoque tempore *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis, Mollia cum duris;* quod tamen in ipſo articulari morbo rectius curando, merito damnat GALENVS, *Lib.* I. *de Remed. parabil. cap.* 16. *pag.* 599. *Tom.* X. *opp.* et praeſertim, *Lib.* X. *de Compoſ. Medic. ſecundum Locos, cap.* 2. *pag.* 630. *ſqq. Tom.* XIII. ſaepiusque alibi paſſim. Inſolitum ergo hocce Naturae portentum quomodo commode ita fieri poſſit, ipſe nunc viderit dixeritque pro maſcula ſua eloquentia, noſter

Aduerſa-

Aduerſarius. Sed haec iam in tranſitu; plenius enim de iis infra rurſus ſumus acturi.

Verum, vt me ad propoſitum reducam, ponamus iam et largiamur tantiſper, AVGVSTVM a duplici illa Arthritide, leuiore nempe, ac grauiore, vexatum fuiſſe, atque nunc per vices, fomentis calidis, vel frigidis, adiutum ac leuatum fuiſſe: Quis quaeſo, vnquam, vel fando, vel auditu, vel denique lectu, perceperit, fomenta calida, aut frigida claudicationem ſuſtuliſſe, atque artus labentes ita confirmaſſe, vt erectius incederent? id quod tamen clariſſime dixit SVETONIVS: *Vt ſaepe claudicaret; ſed Remedio Harenarum atque Arundinum confirmabatur.*

Poſſunt quidem, non negamus, Arenae calidae in leuiore Arthritide, dolores primulos et incipientes Verminationes aliquantulum mitigare, atque materiam arthriticam adhuc diſſipabilem, nec corporis partibus altius infixam ſenſim reſoluere ac diſcutere: poſſunt quoque ex altera parte, in inueterata iam ac pertinaci Arthritide, frigidiſſima fomenta acerbiores articulorum dolores potentius obtundere, atque dolentibus partibus inde blandum torporem inducere: Sed nec calida, nec frigida fomenta vnquam poſſunt claudicationem ex ſaeuiſſimo articulari Morbo ſemel obortam penitus tollere, aut artus rigidos, diſtortos, ac vigore ſuo naturali ſemel orbos, rurſus confirmare, ac ipſis priſtinum vigorem, nouaſque eundi et ſeſe mouendi vires infundere, id quod nemo ſanus affirmauerit: Quando complures nos vidimus ipſi manibus pedibusque articulari morbo diſtortiſſimis, atque inde foede claudicantes, quibus nec calida, nec frigida Remedia auxilium vllum afferre poterant, quod ſcilicet a ſola Chirurgorum opera, per Habenas nempe et Ferulas, baculos ac ſcipiones, aliaque eiusmodi ſolita et conſueta ſuſtentacula ac fulcimenta, petendum potius erat.

Inde et SVETONIVS imbecillum ac torpentem frigoreque contractum dextrae manus digitum AVGVSTI, non Arenarum calentium ope; ſed *cornei portius circuli ſupplemento*, confirmatum, munitum et erectum fuiſſe ſcribit: et tamen, quod mirum, calentes Arenae arentesque Arundines ipſam totius ſiniſtrae Corporis partis Claudicationem ſuſtuliſſe creduntur, atque arenoſa iſta commenta verboſe potius,

quam folide, defenduntur. Quanto igitur fatius erat, mecum ex Harena, Habenam facere, quam, quod infeliciter agit Aduerfarius, ex Habena, Harenam, aut, quod vulgo dicitur, funem ex Arena nectere, aut arenam fine calce, ac commiffiones meras componere?

Par autem fragile leuis fuae opinionis praefidium inuenit in tremulis Arundinibus, quippe quod arundineis plane crufculis innititur, vt mox manifeftius patebit; licet, quod fane rifum, aut potius miferationem, meretur, ita exclamare haud erubefcat: *Certiffime fum perfuafus, me non facile a recto aberraturum effe tramite:* Sed bonus ifte Vir, crede mihi, magnorum fuorum Heroum et acerrimorum Inftigatorum veftigia fallentia et labentia dum incautus perfequitur, non folum a recto rationis et veritatis tramite aberrat; fed adeo ipfo toto coelo errat. Putat nimirum, *rem extra dubitatinem pofitam effe, fi ex Veterum monumentis probari poffet, prifcis Medicis tale Remedium omnino in vfu fuiffe, quod ex Arundinum partibus compofitum, in coxendicum et artuum doloribus, membris vexatis admouerunt.* En igitur! tale fauftis auibus inuenit tandem beatulus ille, poft REINESIVM fcilicet indicem, apud PLINIVM, *Lib.* XIV. *Cap.* XI. et DIOSCORIDEM, *Lib.* I. *Cap.* CXIV. En vero illa PLINII verba linenda cedro et leui feruanda cupreffo! en! inquam, illa ipfa: *Medetur et luxatis, et Spinae doloribus, Radix Arundinis in aceto illita*: fed en et alterum luculentum DIOSCORIDIS teftimonium, ipfo auro obryzo contra charum et rarum: ἡ ῥίζα τοῦ καλάμου καταπλασθεῖσα λεία, καὶ καθ' ἑαυτὴν, καὶ σὺν βολβοῖς, σὺν ὄξει, στρέμματα καὶ ὀσφύος ἀλγήματα παρηγορεῖ, h. e. *Arundinis Radix trita per fe, aut cum Bulbis fuis, atque illita cum Aceto, luxata et Coxendicum dolores mitigat.* Nempe ita verterat haec DIOSCORIDEA Vir et graecae Linguae, et rei inprimis herbariae iuxta peritiffimus, et noftri aeui Crateuas, aut THEOPHRASTVS, atque fimul, quod nemo Botanicorum adhuc vidit, nec videbit, credo, vnquam, princeps ac primipilaris, nos rem miram et ftupendam docet, Arundinum fcilicet Radices veros et proprie fic dictos Bulbos habere, quas tamen hactenus longas, nodofas, geniculatas ac ferpentes tantum effe, feu γονατώδεις, ὥσπερ αἱ τῆς ἀγρώστιδος ῥίζαι, ad inftar nempe radi-

cum

cum Graminis, vt Botanici graeci recte obseruant, crediderunt post ipsum THEOPHRASTVM, PLINIVM et alios Veteres, BOERHAAVII, TOVRNEFORTII, RIVINI, STAPELII, LINNAEI, et alii mediocres scilicet Botanici, ipsa nempe inspectione id quemuis liquido docente. Tam facile enim fuerit, opinor, in Arundine iam adulta, verum et proprie sic dictum Bulbum inuenire; quam in scirpo nodum, in pumice aquam, in quercu ficum, aut in scilla Rosam: Interim illi, cui facile erat, in AVGVSTO duplicem Arthritidem, atque in Harenis et Arundinibus certissimum contra claudicationem Remedium inuenire; non sane difficile quoque erat, Bulbos etiam veros in Arundinis Radice longa et nodosa reperire, vt pilos in caluo, aut vestimenta in nudo. Addendo igitur, siue ex sua, siue aliena potius penu, nimis liberaliter, *suis Bulbis*, infeliciter profecto lapsus est vir iste bulborum hic nimium amans; Licet enim, quod nemo nescit, primae illae gemmae, seu oculi ac nodi, in Arundinis Radice conspicui, ex quibus in terram defossis, Arundines ipsae prognasci solent, per abusionem, Bulbi quoque vocari consueuerint, vti scilicet abunde constat e CATONE, COLVMELLA, PLINIO, THEOPHRASTO, Scriptoribus Geoponicis, aliisque, qua de re vberius tractat IO. BOD. a STAPEL, in *Comment.* ad THEOPHRASTI *Hist. Plant. Lib.* I. *cap.* X. *pag.* 36. et alibi: conf. BEROALD. apud GESNER. in *Lexico Rust. pag.* 18. voce *Bulbi*, hoc tamen loco, illos Bulbos minus proprie sic dictos, neutiquam intelligendos esse, et ipsa graecorum verborum structura et positura, ac res et experientia inprimis ipsa euidentissime docet. Quamobrem ipsum DIOSCORIDEM alios longe Bulbos, veros ac proprie sic dictos, ipsis quoque Herbariorum pueris et aniculis herbilegis notissimos hic indicasse, locus infra, *Lib.* II. *cap.* 200. manifestissime euincit: Βολβοὶ ποιοῦσι καταπλασσόμενοι πρὸς σπέμματα, θλάσματα, σκόλοπας, καὶ πρὸς τὰς τῶν ἄρθρων ὀδύνας, nempe eadem, vt vides, hic sunt verba, idemque sensus, ac in superioribus, vbi et pariter legitur: ἐπισπᾶται σκόλοπας. Dicit igitnr DIOSCORIDES in isto superius laudato loco, qui nobis iam in manibus est, *Arundinis radicem, vel per se, vel cum illis acrioribus et ex-*

calfactoriis Bulbis permixtam et viribus sociis auctam, luxata et coxendicum dolores mitigare, sensu nempe planissimo, clarissimo verissimoque: vt manifestius adhuc patet ex ipsius *Lib.* I. *parabil. cap.* 167. vbi ad extrahenda corporis infixa spicula et aculeos, separatim nunc commendatur *Arundinis radix,* nunc *Bulbus,* id quod de iisdem Bulbis obseruavit quoque PLINIVS, *Lib.* XX. *c.* 9. PAVLLVS AEGINETA *Lib.* IV. *cap.* 29. *pag.* 64. b. item et GALENVS, *Lib.* VII. *de Simpl. Med. Facult. Cap.* X, 3. *pag.* 183. *Tom.* XIII. *opp.* qui tamen ibidem, acrem illam extrahendi virtutem Arundinis Radicibus simul denegat, vel saltim dubiam adhuc reddit, vnde sane maximum praesidium et eximium fulcrum infirmo Aduersario nostro subito corruit. Verum haec obiter de loco illo Dioscorideo, indicanda tamen vel paucis, per occasionem, ideo potissimum erant, vt exinde plenius aliquanto constaret eruditis aequis Lectoribus, quam egregie, perite ac feliciter sic Censor noster ipse versatus esset in interpretandis et latine vertendis Veterum Graecorum locis, cuius rei infra inprimis, in ipsius opusculi nostri grogressu, luculentiora adhuc exempla passim occurrent. Sed nunc bene valeat cum bulbis suis, eosque gramiosis suis oculis tempestiue applicet, quo in posterum, si pote, acutius cernere valeat: nam et hunc vsum praestare laudatos istos Bulbos, ibidem docet DIOSCORIDES, cum aliis.

En igitur, vt reuertamur iam ad propositum, en, inquam, bina illa eximia ac ponderosissima, si Dîs placet, DIOSCORIDIS PLINIIque loca, quos, sicut omnes alios primipilares auctores, diligentissime et rarissime noster perlegit Auctor! Sed quid ista nunc demum probant? ex ipsius quidem praesumta vana opinione plurimum, immo omne; ex mea contra rectiore sententia, nihil prorsus. Quid enim, obsecro, illa ad locum nostrum SVETONIANVM: *Arundinum et Harenarum remedio confirmabatur* claudicans scilicet AVGVSTVS? vbi enim, quaeso, accuratiore, vt decet, istorum locorum comparatione instituta, vel vestigium in locis illis PLINII AC DIOSCORIDIS inveniatur, radices arundinum claudicationem vnquam recorrexisse, atque loripedem rectum fecisse, ac denuo eius gressus confirmasse?

Quid

Quid haec ad affectum et aegritudinem AVGVSTI? PLINIVS et DIOSCORIDES hic ſane nihil aliud dicunt, quam arundinum radices in aceto illitas luxatis, et ſpinae coxendicumque doloribus mederi; minime autem claudicationem inueteratam, pertinacem et inexpugnabilem tollere. Sed ſeſe abunde probaſſe opinatur quidem fortiſſimus noſter imbelli dextra pancratiaſtes, AVGVSTVM ex coxendicum dolore ſaeuiſſimo, ſeu acerba lumbagine iſtam claudicationem contraxiſſe: Verum id ipſum profecto adhuc in quaeſtione eſt, et petitio, vt in ſcholis quidem loquuntur, principii, vti ſupra ſat liquido, ſicut ſpes eſt, oſtendimus: Quare ruinoſo iſti et arenoſo arundineoue fundamento nihil prorſus ſuperſtruendum, quoniam ſcilicet omnia tam facile corruunt, ac viles caſulae, in arena gracili ac malefida aedificatae. Quamobrem omnino non erat, quod rapido quaſi mentem correptus ab oeſtro, dulcique fortuna ebrius, ita clamoſe peroraret noſter tinnulus Declamator: *Quid igitur, obſecro, opus Habenis? quid Ferulis? quid incantationibus? quid aliis coniecturis? quum certo certius ſit,* AVGVSTVM *ex articulari morbo, coxendicumque praeſertim dolore, claudicaſſe, et appoſitu arenae calidae, et illitu medicamenti, ex Arundinum Radice, cum aceto parati, confirmatum fuiſſe?* etc. Scilicet haec omnia *certo certius* ſcit Vir iſte multiſcius et paene omniſcius, ſi ita per iocum dicere liceat; ego autem contra, et quiuis rectius ſapiens et ſobrius, iſthaec omnia pro incertiſſimis potius commentis, et audaciſſimis quin et intolerabilibus prorſus poſtulatis iure ſummo habemus.

Adhuc enim vel maxime ſub iudice lis eſt, vt iam ſupra monui, vtrum ex articulari morbo coxendicumque dolore; an potius ex violentiſſima illa pontis ruina, iſtam ſiniſtri lateris debilitatem atque claudicationem contraxerit AVGVSTVS? praeſertim, quum potius pro mea, quam altera, ſententia pugnet ipſe SVETONIVS, quando generatim tantum, nec addita vlla articularis morbi mentione, ſcribit: *coxendice, et femore, et crure ſiniſtro, non perinde valebat, vt ſaepe etiam inde claudicaret.* Illud igitur ceu certum et exploratum, temere praeſupponit, quod tamen vel maxime adhuc ceu incertum, in controuerſia voluitur, vt iam ſupra monui.

Deinde, vbi quaeso, in loco SVETONIANO, de *calidae arenae* appositu, quidquam commemoratur? Generaliter tantum vocatur, *harenarum remedium*, vt vulgo quidem legitur: PLINIVS autem, CELSVS, COELIVS AVRELIANVS, THEODOR. PRISCIANVS, GELLIVS, SERENVS SAMONICVS, ceterique auctores omnes, quos in mea exercitatione priori laudaui, illas arenas medicatrices vbiuis fere, additis epithetis, appellant *calentes*, *calidas*, *candentes*, *sole candentes*, *sole ignitas*, *sole feruefactas*, *tepidas*, *feruidas*, *feruentes*, *torridasque*, vt alia taceam: sicut et Graeci, vt GALENVS, AEGINETA, AETIVS, aliique pariter dicunt, τὰς ἄμμους, ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἢ ἀνθράκων, ἢ πυρὸς πυρωθείσας, conf. DIOSC. *Lib.* V. *cap.* 267. Auget igitur hic vel maxime iustam mendi SVETONIANI suspicionem, quod non Arenarum calidarum, vt consueti alias moris erat, et sensus ipse exigebat; sed Arenarum tantum, iusto obscurius, mentionem fecerit. Sed hoc leuius est, atque hinc eo facilius condonandum.

Illud autem, quod sequitur, longe intolerabilius indeque seria ac seuera castigatione tanto dignius est, quod iste haud secundis auspiciis creatus Censor eruditos atque prudentes lectores pro meris fungis, aut arundinibus habere videtur, dum ipsis insolentissima audacia persuadere conatur, per arundinum remedium SVETONIVM intellexisse radices arundinum cum aceto tritas, atque dolentibus ac claudicantibus AVGVSTI partibus, in praesentissimum scilicet immedicabilis claudicationis remedium impositas. Quod inauditum sane figmentum ne per somnum quidem in hoc SVETONIANO loco quisquam, credo, vidisset, multo minus vigilans et acerrimae meditationi intentus, in ipso quaesiuisset, aut inuenisset: hinc et ipse REINESIVS leuem hanc et subito natam coniecturam mox repudiauit, et longe meliorem et certiorem sapientissime substituit, vt supra manifestissime ex ipso ostendimus. Vbi enim, quaeso, vel minimum radicis arundinis tritae vestigium? vbi, obsecro, vel leuissima aceti suspicio? Nihil profecto, nihil prorsus aceti inuenio in hoc SVETONII loco; an vero multum illius in pectore suo habeat subtilissimus hic SVETONII interpres, ipse nunc sero pudore suffusus, viderit: ego sane vix crediderim;

rim; nec quisquam alius me prudentior ac sagacior, facile, opinor, existimauerit: Nam potius ille, pro aegro suo palato,

Pannosam faecem morientis sorbet aceti.

Hoc enim profecto est, bonos auctores corrumpere, rectos deprauare, et prudentibus incongruum plane et ineptum sensum temere affingere.

At dicat forsan in aliquam, etsi leuem, sui defensionem, SVETONIVM, vtpote breuitatis studiosum, atque Historicum potius, quam Medicum, et radices arundinis et acetum, ceu res ad se nihil proprie pertinentes, studio hic omisisse. Verum, permittat mihi, quaeso, homo noster acutissimus, ipsissima sua verba ipsi hic commodum regerere: *Si dicendum, quod res est: certe non omisisset hoc loco* SVETONIVS, *si arundinis radices in aceto tritas ac illitas contra claudicationem adhibuisset* AVGVSTVS, *id addere, quum alias leuioris momenti res adiecerit:* Ita enim prorsus supra clamose argutabatur: *Si dicendum, quod res est; certe non omisisset hoc loco,* SVETONIVS, *si ita fuisset laesus* AVGVSTVS, *vt femur, vel crus sedibus suis excidissent, id addere, quum alias leuioris momenti res adiecerit,* et alibi rursus: *Quod certe* SVETONIVS *haec momenta, de femoris nempe osse sede sua crebrius elapso, non silentio praeteriisset.* Sit itaque praeclarus ille sagittarius, aliena pharetra decorus, ipse se, quod vehementer equidem doleo, telo suo misere percussit et letalem fere plagam accepit: Quid igitur pugnem amplius aduersus eum, qui suo sibi gladio perire cupit? quid incassum laborem, vt eum destruam, quem sua ipsum destruit atque adfligit oratio? Videat inde ipse, quam vana verique inania argumenta ad suam tuendam fragilem debilemque sententiam, vbique produxerit, et quam lacera atque pannosa velamenta, ad suam Helenam, aut Hecubam potius ornandam, infeliciter attulerit.

Denique et illud adhuc potissimum hic vrgendum; apud nullum scilicet, quantum ego quidem sciam, probatum medicum veterem, siue Graecum, siue Latinum, ullum locum inueniri posse, ex quo liquido probari queat, arundinis radices cum aceto tritas, vna cum

are-

arenis calidis, quod inprimis probe notandum, in claudicationis remedium, immo, vt liberaliores simus, in Coxendicum dolorum, vnquam adhibitas, aut praescriptas fuisse. Euoluat igitur, euoluat nouus noster et singularis plane SVETONII Interpres omnes illos suos, quos iactat, Auctores primipilares, immo diligentissime illos a capite, ad calcem vsque, peruoluat; certus tamen, immo paene certissimus sum, illum, per omnem vitam, frustra quaerendo, oleum et operam prorsus perditurum, neque vllum omnino locum inuenturum, ex quo liquido ostendi et confirmari possit, arundinis radices cum aceto tritas, et simul cum arenis calentibus, impositas, aut ab Auctoribus Medicis, in certum commodumque Claudicationis Remedium, commendatas fuisse, aut re ipsa, Claudicationem emendasse, vel inueteratam, ac nodosam et lapidosam Arthritidem ex voto, plene persanasse. Sed quid quaeso, iuuat his leuissimis argutiolis ac friuolis inanibusque sententiolis refellendis diutius immorari? quum quiuis iudicio, ingenio, doctrina et aequitate iuxta pollens, ex hactenus dictis, facillime, spero, perspiciat, rem plane deploratam infelicissime defendisse nostrum audaculum oblocutorem, nihilque prorsus in medium attulisse, quo vllo illam praesidio circummuniret, praeter inania tantum verba, argumentaque leuibus ventis paria volucrique somno simillima, vt, vel me tacente, liquidissime vbiuis apparet. Quodsi enim in arenis illis aliquod, arenosum licet, suae sententiae inuenisset fundamentum; arundines tamen, illae inquam, infelicissimae cum vappido aceto, arundines illius alas potissimum verberant, ita, vt nullum amplius supersit commodum elabendi effugium, vt inexpugnabilibus, sicuti speramus, rationibus modo affatim ostendimus, quippe quas, supra ingenue fatente ipso summo CASAVBONO, in hoc nostro obscuro SVETONII loco, nemo vel praestantissimorum eruditione medicorum adhuc satis commode explicare valuit. Facile tamen, si ita quidem lubet, quid enim nostra refert? Auctorem, vel quemuis alium, suo sensu, suisque calidis aut frigidis arenis et arundinibus cum aceto tritis, frui permittimus, eumque libenter spectamus *equitare in arundine longa*, quod et ipsum SOCRATEM et AGESILAVM, at quantos

tos

tos viros, fecisse aliquando constat, nec aegre ferimus, si quis manibus amens nostras effundit habenas, et potius tanquam

in vacua regnat Basiliscus Arena.

Primus autem sapientiae gradus, iudice recte LACTANTIO, *est, falsa intelligere; secundus deinde, vera cognoscere. Igitur, apud quem hoc primum nostrum examen profecerit, quo falsa deteximus, excitabitur haud dubie ad Veri cognitionem,* aut probabilis nostrae sententiae de hoc loco SVETONIANO demonstrationem ac confirmationem, ad quam nunc vt progrediamur, tempus demum monet.

Nimirum, quum aliquando obiter tantum controuersum istum locum SVETONIANVM inspicerem; protinus animaduerti, Arenas atque Arundines perquam male ibi esse coniunctas, nec vllum commodum satis sensum efficere: Quare mox in eam delapsus sum sententiam, leuissima vnius tantum literae mutatione, cum ingenti quidem longe melioris sensus commodo, legendum esse, non *Harenarum*, sed *Habenarum* potius, *atque Arundinum Remedio confirmabatur.* Quo facto, illico nempe omnes euanescebant difficultates, alias fere insuperabiles, neque necesse amplius erat, aut arenas calentes frigide praesupponere, multo minus Arundinum Radices cum Aceto tritas e longinquo, frustra arcessere; aut SVETONIO ipsi inuitissimo violenter obtrudere, vt antehac nonnulli eruditi Critici fecerant, quos vano consilio, et improspero plane successu, vt hactenus vidimus, temere sequutus nuperus noster Censor, qui negotiosum nostrum Otium importuna sua loquacitate, sine vlla tamen ratione, turbauit, nosque eo adegit, vt inviti licet atque coacti, Deum et conscientiam meam hic sancte testor, responderemus, ne sibi, quod iamiam, posito omni paene pudore, fecerat, soli sapere, aut de nobis triumphasse videretur, quamuis nullam haec victoria habeat laudem, dum bella geri placuit, nullos habitura Triumphos. Vtinam enim, qui haec nostra legent, scire possent, quam inuitus plane susceperim scribenda, quo facilius caream rixarum, contentionis atque arrogantiae crimine. Cuius tamen praeter omnem rationem, et contra omnem morum humaniorum elegantiam, sine vlla fronte, me publice reum fecerunt nonnulli mercenarii Rela-

tionum publicarum et diariorum vulgarium fabricatores, qui, ceu saeui et intonsi Catones, aut rigidi asperique Rhadamanthi, de hoc ipso scripto nostro durissimam et iniquissimam sententiam tulerunt: quod tamen nec ipsi satis intelligebant, nec de ipso argumentorum pondere aut stili robore solide vereque iudicare poterant. Produnt enim vbique fere in peruersis suis iudiciis, improbos potius liuidi animi affectus; quam probos cultioris ac solidioris doctrinae profectus: et plerumque Graecam fidem magis amant coluntque, quam Graecam quidem eruditionem. Sed haec obiter, solo veritatis studio. Plura autem de hoc teterrimo cacoëthe, infra sub finem.

Quum enim ille, siue illi potius, qui per illum, ceu per vocalem quendam Tubum stentoreum, loquuntur, inuidi et maligni stimulatores et concitatores, aegre admodum ferrent, quod haec nostra coniectura, quam tamen nosmet ipsi, ex more scilicet nostro consueto, pro re minoris potius, quam maioris momenti, semper merito habuimus, tam communi eruditissimorum Virorum et acutissimorum Criticorum applausu ac laudatione vbiuis locorum, excepta esset; exiguam istam ac facile perituram gloriolam, si qua sit, nobis, si non plane eripere, quod scilicet non poterant, viribus destituti; at infringere tamen ac diluere, subdole conati sunt: dum nempe per istum suum Emissarium conductitium publice tradiderunt, istam nostram coniecturam satis quidem ingeniosam videri, magnis tamen multisque difficultatibus adhuc premi, vt ideo nullo pacto recipi posset, nec proinde tanta vbiuis elogia promereri. Istas igitur graues, seu leues potius, difficultates, quae multum habent inanitatis et vani, ac plus sonant, quam valent, illas inquam, difficultates, iam, si lubet quidem, audiamus, atque, quantum fieri potest, potest autem facillime, tollamus ac dissipemus.

Sed audiamus, si lubet quidem, illum ipsum facilium illarum difficultatum machinatorem iam suis verbis altisono quasi ore, vociferantem: *Nullus,* inquit ergo primo, *tam veterum, quam recentiorum Medicorum, atque Chirurgorum, quos ego quidem euolui, euolui autem primipilares, ferulis atque habenis sanare conatur artus, quos Morbus articularis,*

ris, ſeu Arthritis, infirmos fecit: Sic quidem ille ſuperbe: Sed *Citharoedus*

Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

Vbique enim, et ad fluentem vſque nauſeam, imaginariam ſuam AVGVSTI Arthritidem fruſtra crepat Cenſor noſter, nondum quippe ſatis probatam, nec vnquam, ſpero, ex verbis quidem SVETONII dubiis et ambiguis, liquido probandam, vt ſupra late demonſtrauimus.

Deinde nihil profecto pertinet ad Chirurgos, ſolicite et ſcrupuloſe nimis inquirere, vnde quis artuum luxationem, aut claudicationem contraxerit; ſiue enim lapidoſa Chiragra articulos fregerit, ſiue nodoſa podagra pedes diſtorſerit, ſiue denique acerrimus Coxarum dolor claudicationem immedicabilem induxerit; ipſi ſane perinde erit, vnde malum illud prius ortum fuerit. Quodſi enim Medicorum *Remediis externis internisque, et Victus ratione, quae pituitam fluidorum et bilem innocentiorem reddere valeat,* vt egregie ſcilicet hic Cenſor pronunciat, ſedulo quidem; at incaſſum tamen, contra pertinacem mali inexpugnabilis ſaeuitiam pugnatum fuerit; tum ſane eiusmodi deplorati fere aegri, valgi, vari, claudi et loripedes, ſola potentiorum Chirurgorum manu, ſolo, inquam, arundinum et habenarum remedio, ſimilibusque valentioribus praeſidiis, adiuuantur ac confirmantur, vt pedibus rectius incedere valeant.

Vitia enim, iudice optimo CELSO, *vbi Medicamentis non vincuntur, manus auxilium deſiderant,* quippe quae in his plus omnino praeſtat, quam victus ratio, aut medicamenta omnia. Igitur inanis prorſus, vt quiuis nunc ſtatim videt, haec eſt obiectio, et nodus in ſcirpo quaeſitus. Interim tamen acutiſſimo noſtro Critico pituitam fluidiorem, et bilem quoque innocentiorem ex animo apprecamur. Hactenus enim pituita lenta ipſius ſtomacho tumultum tulit, ac ſplendida bilis ipſius praecordiis inaeſtuauit.

Inde nunc et perquam expedita Reſponſio ad alteram illam leuem obiectionem mox illi ſubiunctam: *Quotquot ex probatiſſimis Auctoribus, miranda ſane diligentia, collegiſti loca atque exempla, vbi habenae et ferulae*

commendatae atque admotae fuere, ea omnia, ſi conferre inter ſe velis, de oſſibus luxatis, aut fractis loquuntur, minime vero de Membris ex Arthritide rigidis atque morboſis. Nimirum omnia illa loca, admiranda, ſi diis placet, diligentia a me collecta, non eum admirandum in finem produxi, vt operoſe probarem iſtud, contra fracta et luxata ſcilicet membra commendatas et adhibitas fuiſſe ferulas atque habenas, id quod nempe erat notiſſimum, nec inde prius anxie confirmandum; ſed vt potius liquido oſtenderem, ſemper ferulas et habenas vna coniunctas reperiri; ſicuti hic noſtro SVETONII loco, arundines atque habenas, pari modo ſimul poſitas eſſe deprehendimus. Inde merito nunc ridendus praeſipiens quidam ſapientiae magiſter, qui noſtras *Habenas* et *Arundines*, pro ſuperuacuo tantum pleonaſmo habuit; eodem ſcilicet modo, ac ſi diceret quis: *aegrotus puluerem*, vel *tincturam, ſumſit in cochleari.* Euge! belle! optime! hui! quanti eſt ſapere. Ah! vereor, vt amabilis ille puſio ſit vitalis, nam ſapientia heu! nimium praecoci laborare videtur.

Arundines autem et ferulas omnino Synonyma eſſe, inferius paullo, inexpugnabilibus prorſus argumentis, contra quoſuis inaniſſime diſſentientes, liquidiſſime et validiſſime probabo.

Deinde autem in ipſa mea Diatribe ſimul obſeruaui, ferulas illas, ſeu arundines, vna cum habenis, non ſolum ſpeciatim, in membris luxatis ac fractis reponendis et reſanandis, olim adhibitas fuiſſe; ſed et in confirmandis generatim artubus, ex quacunque demum cauſſa, flaccidis, debilitatis, infirmis, incuruis ac claudicantibus, etiam ſine praeuia luxatione, aut fractura, egregium vſum praeſtitiſſe, atque hinc frequentiſſime eum in finem, fuiſſe corporibus collabentibus et male firmis, in firmamentum, admotas. Id quod liquidiſſime, opinor, oſtendi iam alibi, ex ALEXIDIS Comici loco, apud ATHENAEVM, *Lib.* XIII. *cap.* 3. et CLEMENTEM ALEX. *Lib.* III. *Paedagog. cap.* II. item ex ARISTOPHANIS *Auibus*, de Cineſia τῷ φιλυρίνῳ, ita dicto, quod Tabella tiliacea ſeſe infirmum titubantemque circumcingeret, ne ob nimiam proceritatem et gracilitatem, corpus flecteretur: quem tamen locum perperam ac ridicule explicat, poſt ARISTOPH.

Schol.

Schol. pag. 605. SVIDAS, *Tom. pag.* 614. bene notante ibi KÜSTERO, ex ipſo REINESIO, *Var. Lect.* II. *cap.* 18. *pag.* 294. et *ibid. cap.* 5. *p.* 147. Inprimis autem ex ſingulari prorſus et noſtro SVETONIANO ſimillimo plane loco IVLII CAPITOLINI, *Cap.* XIII. de ANTONINO PIO: *Quum eſſet longus et ſenex, incuruareturque, tiliaceis tabulis, in pectore poſitis faſciabatur, vt rectus incederet.* Ad quem egregium locum ita doctiſſime commentatur CASAVBONVS, vt iam verbo indicaueram in mea priore Exercitatione: *Petitum ab arte medica exemplum: Nam in Medicorum libris, tabularum huiuſmodi multiplex docetur vſus. Parens artis,* HIPPOCRATES *vocare ſolet* νάρθηκας, παρερμάσματα, et ὑποςηρίγματα: *vtebantur et feminae, ad celanda corporis vitia: meminit vetus Comicus* ALEXIS, *et* κοντὸς *appellat comice, etc.* ſcil. apud laudatum modo ATHENAEVM, *Lib.* XIII. *cap.* 3. *pag.* 568. et CLEMENT. ALEXANDR. *Paedagog. cap.* 2. *pag.* 218. Conf. GROTII *Excerpt. vett. Trag. et Com. pag.* 570. SAM. PETITI *Lib.* VII. *Miſcell. cap.* 9. *pag.* 174. IOS. SCALIGERI *Coniect. ad* VARRON. *de Lingua Lat. pag.* 56. NIC. HEINS. *ad* OVID. *Lib.* III. *de Arte Am. v.* 273. *pag.* 675. *Tom.* I. *Opp.* per BVRMANN. aliosque plures, in ſuperiore exercitatione a me iam laudatos.

Senex igitur ANTONINVS PIVS, incuruus, infirmus, et aegre et indecore incedens, ferulis ac faſciis, ſeu habenis, in corporis nutantis et labantis fulcrum ac firmamentum, commode vtebatur, vt rectior nempe incederet: Et ſenex pariter AVGVSTVS coxendice, et femore, et crure ſiniſtro non perinde valens, vt ſaepe etiam inde claudicaret, arundinibus, ſeu ferulis atque habenis, in rectiorem corporis habitudinem, itidem ſalutariter adiuuabatur, ſeu *arundinum* et *habenarum remedio* ita *confirmabatur,* vt ipſius SVETONII verbis loquar, vt indecoram illam claudicationem iſto externo Chirurgorum Remedio et Praeſidio, plurimum emendaret, et erectiore corpore ingrederetur. Quid quaeſo, nunc clarius, quid probabilius his ipſis eſſe poſſit? et tamen, quod vtique mirandum, imo dolendum, hic multorum ventoſorum verborum inanis vbique ſtrepitus, et fluctus in Simpulo.

Sed veniamus iam, ſi lubet, ad capitalem illam Quaeſtionem de ipſa SVETONII latinitate in controuerſiam, quod maxime mirum, hic vocata, de qua nempe ita tinnulum Cymbalum quatit homo latiniſſimus ſcilicet: *Minus Latine dictum eſſe opinor, Remedio Habenarum atque Arundinum, confirmabatur. Latinos auctores potius ſcripſiſſe arbitrer: vel Habenarum atque Arundinum ope, ſeu miniſterio, vel Habenis atque Arundinibus confirmabatur. Dubito, an vſus Inſtrumentorum externorum, quibus ad operandum vtuntur chirurgi, remedium proprie vocari queat? Nemo fortaſſe dicet: Remedio Machinamentorum ſanatus fuit* AVGVSTVS. Scilicet haec omnia intra breuiſſimum fugacis anni decurſum, nunc admiranda ſane ſua diligentia, pleniſſime perdidicit feliciſſimus ingenio foecundo auctor, quae ante illud tempus adhuc ignoraſſe, cum amicis quibuſdam fide digniſſimis, ſuperius iam laudatis, tam certo propemodum ſcio, quam me viuere, atque haec ipſa hic mea manu, Vitembergae, non aliena, Lipſiae, aut Londini, ſcribere.

Quid autem in hac SVETONII loquendi ratione potiſſimum cum ratione ſuſpectum habeat nouus hic noſter ARISTARCHVS, id equidem, pro mea perquam mediocri quidem, fateor, in his rebus ſcientia, perſpicere haud ſatis valeo. Siue enim Arundines illae mecum ſumantur pro Tabellis, ſeu Ferulis arundineis, ſiue, vt Latinitatis periſſimo auctori, et alias forſan nemini, placet, pro Radicibus Arundinum cum mordaci aceto tritis, ſemper tamen vtrinque manebunt arundines in remedium admotae: par fere eſt ratio cum *Harenis*, ſiue *Habenis;* ſemper enim vtraſque remedii et adiumenti loco adhibitas fuiſſe, ſatis conſtat. Cur igitur remedio machinamentorum, ſeu ferularum et habenarum, vel faſciarum, aliquem claudum confirmatum atque a claudicatione nonnihil liberatum fuiſſe, Latine dici non poſſit, nemo Orbiliorum, aut Priſcianorum omnium facile diuinare, aut expiſcari, credo, vnquam poterit. Praeſertim quum cuiuis, ſpero, ex ima doctorum cauea notiſſimum iam ſit, *Remedii* vocem non ſolum ſpeciatim de internis vel externis morborum medicamentis; ſed etiam generatim de rebus aliis omnibus, quibus cura operaque noſtra quidquam adiuuamus, emendamus, aut melius reddimus, ſiue ſenſu phy-

ſico

ſico, ſiue politico, oeconomico, aut morali, ſiue denique mechanico, aut chirurgico, alioue ſumantur, frequentiſſime accipi ſolere.

Id quod innumeris paene exemplis ac teſtimoniis facillime oſtendi et probari iam poſſet, ſi per omnes auctores veteres libere vagari per anguſtum temporis ſpacium liceret, aut per taedium longioris ſcriptionis, iam dudum nobis iuſte obortum, liberet. Interim tamen ex quamplurimis haec pauca iam ſufficiant: Ita ipſe noſter SVETONIVS infra in *Vita Neronis Cap.* LVI. *icunculam puellarem* commemorat, *quae quaſi remedium inſidiarum* illi monſtro fuerit: quem ſingularem locum valde miror illis veteranis in mentem non veniſſe, qui totum SVETONIVM cum cortice et medulla ſeſe deuoraſſe credunt, licet male saepius eundem digeſſerint, vt liquidius proxime demonſtrabimus in nouo noſtro in illum praeſtantiſſimum auctorem commentario, iam ad prelum parato*): Sed propius huc PLINIVS, *Lib.* X. *cap.* 54. *Remedium contra tonitrus, clauus ferreus, ſub ſtramine ouorum poſitus*, quod ſuperſtitioſum remedium etiam apud COLVMELLAM extat, *Lib.* VIII. *cap.* 5. Nimirum *clauus ferreus* hic dicitur *remedium*, et tamen, quod mirum *remedium arundinum et habenarum*, Latine dici poſſe ridicule negatur. Idem autem PLINIVS, *Lib.* II. *cap.* 9. *Lunam* elegantiſſime dixit *remedium tenebrarum*, et *Lib.* XXVIII. *cap.* 4. *Aliquid e ligno fulgure icto, remedio eſſe produnt;* apud quem ſolum innumera paene in hunc ſenſum loca commode quaeri et facile inueniri poſſunt, conf. interea *Lib.* XXXVI. *cap.* 4. et 15. et alibi ſaepiſſime; vt et apud CICERONEM, TERENTIVM, TACITVM, QVINCTILIANVM *Lib.* II. *Inſtit. Orat.*

*) Ex quo nos iam alibi, ſpeciminis loco, et guſtus veluti gratia, tres ſingulares locos, et quidem graecos, feliciter ſatis, opinor, emendatos, produximus, ab omnibus tamen interpretibus, ne nouiſſimis quidem exceptis, per tot ſaecula, hucusque ſecure nimis praeteruiſos, et in mendo relictos: Legentes nempe, in *Vita Auguſt. cap.* 72. τεχνόβιον, pro vulgato τεχνόφυον, porro in *Claudio, cap.* 38. μωρῶν ἀνάπλασις, pro corrupto μωρῶν ἀνάστασις, et denique *Lib. de Illuſtr. Grammat. cap.* III. Πανὸς ἀγάπημα, pro mendoſo ἄγημα, aut ἀγάσημα; quas omnes probabiles admodum, immo veriſſimas, emendationes ibidem multis adductis exemplis et teſtimoniis appoſitis, ſatis opportune valideque confirmauimus. Vid. interim Diſſ. noſtr. *de morte ſubita ex nimio Violarum odore oborta in prooemio.* Verum haec obiter

Orat. cap. 4. pag. 72. et alibi saepe, et alios, praesertim autem SENECAM, veluti *de Consolat. ad* MARC. *Cap.* X. et *Lib. de Ira,* I. *cap.* 16. aliisque locis plurimis: PETRONIVS quoque *Cap.* CII. eundem in sensum, *Atramentum* lepidissime, pro more, dixit *fraudis remedium.* Ita saepissime elegantissime dicitur passim *ignis frigoris remedium, pax belli remedium;* sic *remedia censuum, vectigalium, collationum* et *stipendiorum,* pari lepore scripsit TERTVLLIANVS *Lib. de Fuga in persecut. cap.* XII. et alibi. Inprimis autem in Pandectis sic dictis atque Codice *remedium* eiusmodi tropico sensu saepissime occurrit: Ita *L.* I. *ff. de iureiur. Maximum remedium expediendarum litium in vsum venit iurisiurandi religio,* item *L.* 66. *ff. de iure dot. Quidam remedii loco putauerunt introducendum, vt vel locet vsumfructum maritus* etc. et *L.* 3. §. 2. *ff. de stat. Lib. denique etiam remedii loco, hoc monstratur domino statu liberi,* etc. ita etiam alibi simili sensu *nuptiale remedium* vocatur *donatio ante nuptias,* vt alia id genus plura iam mittam Iuris consultis vtique notiora, quam mihi: quibus profecto diutius immorari, merito taedet ac piget. Conf. interim, si placet, CANGII *Glossar. med. et infim. Latinit. Tom.* V. *pag.* 1313. *sq.* Quoniam autem haec similiaque plura exempla in Glossariis vulgaribus et aliis huiusmodi primipilaribus suis auctoribus lexicographis, sinistro suo fato haud inuenerat Latinitatis peritissimus noster Censor; idcirco, grauissimis his nempe rationibus inductus, seuere pronunciabat, Latine nequaquam dici potuisse a SVETONIO: *remedio habenarum atque arundinum confirmabatur:* id vero infelicissime et falsissime. Quis enim, quaeso, iure neget, bene Latine dici, *hamas ac siphones in remedium incendii allatos esse,* aut, *distorta membra scamni Hippocratici remedio, recorrecta atque in naturalem suam sedem reposita fuisse,* vel, *veteres ferulas et habenas in remedium luxationum et fracturarum adhibuisse?* Inde recte CASTELLVS, BRVNO et alii vocum medicarum interpretes: *Remedium comprehendit sub se non solum medicamenta, sed et chirurgicas operationes,* etc.

Sed vt nunc demum omnem illam vanissimam dubitationem plenissime tollam, istamque friuolam obiectionem penitus euertam, en locum ipsi Aduersario oppono potissimum huc facientem e SENE-

CAE

CAE *Lib.* III. *de Ira cap.* 39. *Medicum aiunt, cum regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leuiter fouet, scalpellum spongia tectum induxisse: Repugnasset puella Remedio palam admoto.* Ex quo sane egregio loco nunc apertissime liquet, *scalpellum*, id est, *instrumentum* externum, *quo ad operandum vtuntur Chirurgi*, elegantissime vocari *Remedium:* quo et illud pariter pertinet eiusdem SENECAE *Lib. de Prouident. cap.* III. *Remedii caussa quibusdam et radi Ossa, et legi, et extrahi Venas, et quaedam amputari Membra;* nempe haec omnia sunt Remedia, etsi dura, quae per instrumenta chirurgica externa corporibus male affectis in salutem adhibentur. Immo ipse CORNELIVS CELSVS, purissimae certe Latinitatis auctor, eundem prorsus in modum loquutus est *Lib.* VIII. *cap.* 3. extremo: *Os capitis collisum exasperatumque radi et laeuari satis est: sed, vbicunque idem incidet in ceteris ossibus, eodem REMEDIO vtendum,* nempe *radendi laeuandique* ossa per ferrum, seu scalpellum: vbi CELSVM imitatus videtur SENECA, vt saepe scilicet solet, de quo alibi. Rursus vero CELSVS *Lib.* VII. *cap.* 29. de foetu emortuo: *REMEDIO est, ceruix praecisa.* Praesertim autem huc eximie facit SCRIBONIVS LARG. *Cap.* X. *Compos.* LIII. *Ad dentium dolorem quamuis plurimi dicant, forcipes REMEDIVM esse:* eodem scilicet sensu, ac hic *Habenarum atque Arundinum REMEDIVM.* Paullo post vero *Cap.* XLIII. *Compos.* CLXXI. corii Hyaenae particulam brachio alligatam, *Hydrophobiae Remedium* vocat idem SCRIBONIVS LARGVS. Inde et scite aliquoties dixit CELSVS, *Curationem scalpelli*, et TERTVLLIANVS pari elegantia, *Medicinam de scalpello et cauterio*: conf. RITTERSHVS. *ad* SALVIAN. *de Gubernat. Dei pag* 248. *sqq.* vbi plura: sed et Graecis pariter medicis frequentissimo in vsu et θεραπεία διὰ σιδήρου, πυρὸς, ὀθονίων, ναρθήκων, σικυωνίων, κ. λ. qui et ὄργανα χειρουργικὰ simili elegantia saepissime vocant ἰάματα καὶ βοηθήματα, *remedia* et *auxilia;* ita aliquoties apud HIPPOCRATEM, *in Libris chirurgicis*, item GALENVM, AEGINETAM et alios, occurrit ἴημα τρυπάνου, σιδήρου, πρίονος, μήλης, σμιλίου, μαχαιρίου, et similia, sicuti et apud PLVTARCHVM *in Symposio septem sapient. pag.* 93. τὸ βοήθημα ταῖς σικυωνίαις: apposite quoque rursus ad hunc nostrum locum

cum dixit idem HIPPOCRATES *Lib. de Medici officina pag.* 617. αὕτη ἡ ἐπίδεσις τῶν ὀθονίων ἰῆται, *linteorum, fasciarum*, seu *habenarum deligatio sanat*, siue, quod idem, *remedio est*. Immo *Lib. de Artic. pag.* 791. ipsas deligationes, siue fascias, ipsis auribus fractis applicatas, manifesto appellasse videtur φάρμακον πρὸς ὦς, *remedium ad aures*, quod ipsum locum nostrum SVETONIANVM egregie prorsus illustrat. Sed mitto alia plura passim obuia. Eat ergo nunc, immo currat, pudore suo suffusus, et ocyus sarcinulas et machinamenta sua colligat nouus ille nouae Latinitatis fabricator, nec amplius vllo modo dubitet de elegantiore phrasi illa SVETONIANA: *remedio habenarum atque arundinum confirmabatur*. Si enim ego, vt tandem aliquando finiam, scriberem, exempli tantum caussa: *Doctissimus noster Aduersarius et Graeca et Latina lingua, atque arte inprimis critica ac grammatica non perinde quondam valebat, vt saepe etiam inde claudicaret et turpiter laberetur: Sed remedio alienae paullo doctioris et malignioris simul pennae, haud ita pridem adeo confirmabatur, vt gloriabundus, in publicum campum audacter prosiliret, et in alieno prorsus foro infeliciter litigaret.* Quis quaeso sanus, haec Latinissima, vt ita dicam, plane SVETONIANA et verissima simul esse negaret?

Igitur si ipsi illi fastidiosi et fastuosi censores et noui Latinitatis sublimioris reductores et reformatores aliquando alium SVETONIVM ex suo genio et ingenio capitali, edituri sint, scribant, si lubet, non repugno, *Habenarum atque Arundinum ope*, seu *Ministerio confirmabatur*: Intereae autem, donec illud horribile secretum pateat, permittant quaeso, placide, vulgarem quidem nostrum SVETONIVM scripsisse: *Habenarum atque arundinum remedio confirmabatur*, quippe quod longe elegantius et significantius, altero illo magis vulgari ac protrito, dictum esse constat.

Vltimum denique argumentum, quod omnium validissimum ac fortissimum esse censet imbellis noster Ballistarius, si sic loqui liceat, cui promta ad omnem coniecturam mens est; nos autem contra, pro omnium aridissimo et imbecillissimo maximo iure habemus, vti mox euidentissime sumus demonstraturi, directum potissimum est contra

Ferulas,

Ferulas, ſiue *Arundines*, quas nempe pro ſynonymis habuimus et adhuc iure ſummo habemus. Iſtam enim ſententiam noſtram veriſſimam ſatis ſuperque probaueramus, firmaueramusque grauiſſimo praeſtantiſſimi Viri VIDI VIDII teſtimonio, cui nunc accedat alterum non minoris certi momenti, Viri maximi, THOMAE REINESII, ſupra iam productum; praeſertim autem, binis illis eximiis prorſus locis, ex *Hieracoſophico*, ſeu opere *de Re Accipitraria*, commode et opportune depromtis, rem adeo liquide demonſtraueramus, vt nemo ſanus, vti ſpes quidem erat, de veritate ipſius noſtrae ſententiae amplius ambigere iure vllo poſſet: proterue tamen atque petulanter contra tot valentiora argumenta, vaniſſimo impetu et inaniſſimo ſtrepitu inſurgit noſter clamoſus oppugnator, audacterque pro more pronunciat, nos nec probaſſe, multo minus probare poſſe, *Chirurgorum ferulas olim ex arundinibus fuiſſe paratas, hincque illas nequaquam pro ſynonymis eſſe habendas:* inde quoque nos ſeuero quaſi tetricoque plagoſi paedagogi vultu grauiter increpat, quod *nimis ſcilicet in noſtras partes proni, ferulas ſemper atque arundines* in noſtra Latina Graecorum locorum verſione *coniunximus;* ipſe ſane in deuios ſemper errores et turpes lapſus nimis pronus, immo praeceps. Prouocat ergo primo, ridicule prorſus, ad CELSI et PLINII praeſertim ſilentium, *qui multa nempe de vario vſu tot generum arundinum memorans, ne verbulo quidem tradiderit, veteres arundinibus pro eiuſmodi fulcimentis, vſos fuiſſe.*

Deinde eadem animi leuitate, venerabilem VIDI VIDII fidem et auctoritatem ideo eleuare conatur, *quod fontem ad marginem libri non addiderit, ex quo ſententiam ſuam hauſerit argumentumque petierit.* Bina denique illa primaria et euidentiſſima ex Hieracoſophicis petita, nulla fere fronte, maluit peſſima et coactiſſima verſione corrumpere et incruſtare, ac limpidae lymphae furuam ſepiam doloſe affundere, quam verum lubenter perſpicere, et, vt decebat, perſpectum candide fateri. Nonnullis tamen, etſi hebetioribus, conſcientiae nondum penitus occallatae, aut veternoſae ſtimulis agitatus, his ipſis potentiſſimis ſcilicet ſuis argumentis, hanc mox confeſſionem ſubiungit: *Quamuis prorſus negare nondum audeam, priſcos Chirurgos ex Arundine confeciſſe ferulas.*

 In

In quo quidem loco, ſemel, quod mirandum, per omnem hanc ſuam compilationem, ſapuit, vt demum ad ſeſe aliquantulum rediiſſe videatur. Alias enim, vt ſupra ſtupentes vidimus, *omnia certo certius ſciuit*, ſcilicet, *quod dextrum, non ſiniſtrum, crus* AVGVSTO *ſauciatum fuerit, quod dira duraque arthritis ipſum frequentius inuaſerit, quod exinde claudicauerit, et quod denique arenarum calidarum et radicum arundinis cum aceto tritarum et impoſitarum remedio confirmatus rurſus ac ſanatus fuerit*: neque porro hoc etiam ignorat, *quod nempe* SVETONIVS *cogitauerit, aut non cogitauerit; quod ſcribere voluerit, aut noluerit; quid Latinum, aut minus Latinum eſſe cenſuerit*; haec nempe, et plura alia hactenus expenſa ac confutata, *certo certius* ſciebat acutiſſimus iſte abditarum rerum indagator, feliciore quodam ſidere afflatus: Id autem vnicum, (ſed cum mille aliis ſcilicet,) ignoraſſe videtur, vtrum nempe ferulae ex arundinibus olim fuerint confectae, nec ne? *Hoc vno reſponſo animum deluſit Apollo.* Vt igitur et hoc ipſum *certo certius* inpoſterum ſciat, nihilque ſaeculo profuturum tanto Viro latuiſſe videatur; eum ſecurum plane, immo certiſſimum eſſe iubemus, veriſſimum ſcilicet, nullique amplius contradictioni opportunum eſſe, quod ferulae olim potiſſimum ex arundinibus fuerint paratae, vt nos mox paullo inferius certo certius ſumus demonſtraturi. Interim tamen mirum, immo ridiculum prorſus eſt, Auctorem hoc ipſum quidem non negare, et tamen ſimul etiam negare, quoniam euidentiſſima noſtra argumenta refellere conatur, quod profecto ſimul flare et ſorbere eſt, et proteſtatio ipſi facto contraria, vt Iurisconſulti loquuntur.

Quod autem iam ad illa ipſa argumenta, aut argumentorum potius vmbras, attinet, ea profecto refellere, pudet paene, piget atque taedet: adeo vſque ieiuna, leuia ac friuola ſunt. Interim tamen paucis ad ea reſpondere, neceſſitate, vel inuiti, cogimur.

Quod igitur ad primum ſpectat, a ſilentio PLINII atque CELSI petitum, illud ſane adeo iamiam exploſum vbiuis atque exſibilatum quaſi eſt, vt nemo rectioris ingenii aut honeſtioris pudoris hodie illo adhuc facile vtatur. Quis enim quaeſo, ab Auctore quodam iure exigat, vt aut omnia ſcribat, quae ſciat, ſicque omnia promiſcue promat,

mat, quae tamen ipſe pro notiſſimis, aut minus ſcitu neceſſariis reputet, aut ea proferat, quae ipſe neſciat? aut ſcire, vel memoriae prodere, ſingularibus rationibus Lectori ignotis, inductus, ſtudio ſuperſedeat? Quid igitur mirum, ſi CELSVS ferularum tantum nomen generatim adhibuerit, quum ſciret, ferulas ex diuerſa materie, nempe Tilia, Fago, Salice, Arundine, et aliis lentis fruticibus parari ſolere? Quis rurſus, obſecro, miretur, PLINIVM nihil de ferulis ex arundine confectis commemoraſſe, quum perquam probabile ſit, ipſum vel hunc vſum arundinum chirurgicum, vtpote leuem, ignoraſſe, vel, quod adhuc aliquanto probabilius, iſtum, tanquam notiſſimum vbiuis et vulgatiſſimum, ſtudio ſilentio praeteriſſe? alia vt iam taceam: Sed ficulneo huic, immo plusquam arundineo argumento, quod glacies ceu futilis, ictu mox diſſilit, diutius immorari merito piget.

Neque ſane alterum de fide VIDI VIDII ſuſpecta, maiore attentione dignum eſt; quin potius ſeria caſtigatione afficiendum videtur: Indecens enim et importunum prorſus eſt, de alterius fide et ingenuo candore vel minimum dubitare, donec certiſſimis documentis et argumentis validiſſimis liquido conſtiterit, illum ipſum aut fallere quenquam voluiſſe, aut re ipſa fefelliſſe; quod de iſto tamen VIDIO, tantae auctoritatis, candoris et honeſtae doctrinae Viro, nunquam probari, ſpero, poterit. Illum ipſum autem ſuos grauiſſimos Auctores omnino habuiſſe, quos in eo ſecure ſequeretur, quod ferulae olim ex Arundine paratae fuerint, licet illos, ex more veteri, non anxie, aut ſolicite, adnotauerit, paullo inferius liquidiſſime ſum oſtenſurus.

Sic nemo probus, quantum equidem ſciam, fidem IOS. SCALIGERI, HVGONIS GROTII, CLAVD. SALMASII, IS. CASAVBONI, IVSTI LIPSII, IANI GRVTERI, THOM. REINESII, et aliorum ſummorum Virorum, temere adhuc in dubium vocauit, quod in ſcriptis ſuis optimae frugis pleniſſimis, ſaepe generatim varias res ritusque, ex diligentiſſima veterum lectione ſibi probe cognitos, nec ipſis doctis Lectoribus, vt ſperabant quidem, prorſus ignotos, verbo tantum, et exſerto quaſi digito, obiter indicauerint, non adiectis

tamen illis ipſis Veterum Auctorum locis, aut nominibus, vnde iſta nempe, veluti in tranſitu, leuiter indicata, hauſerant, nec in margine Librorum ſuorum, vt Cenſor quidem noſter nimis imperioſe voluit, ſcrupuloſius adnotatis. Sed ſane miſerrimum hoc eſt aſylum, vt quiuis videt, et certiſſimum de perquam curta pauperculae eruditionis ſupellectile indicium et documentum.

Haec tamen omnia Aduerſario noſtro in ſummas iam anguſtias redacto condonari facile poſſent; in eo vero ingenuum candorem et honeſtum pudorem propemodum iure deſidero, quod loca illa ex Hieracoſophico petita et ſententiae noſtrae de Arundinibus, vel maxime fauentia, maligno in nos ſtudio, foediſſime corrupit, turpiſſime maculauit, et lucidiſſimum ipſorum verborum ſenſum contortiſſima verſione et violentiſſima interpunctione obnubilauit ac caliginoſa nocte circumiecit. Maluit enim, en animum degenerem, pertinacem et contentioſum! maluit, inquam, Graecae Linguae; ſed, quod longe maius, ipſi ſanae rationi, primisque Artis Chirurgicae Regulis, vim atrociſſimam inferre; quam veritatem a nobis liquidiſſime defenſam, vltro fateri, aut certe tacite illam praeterire. Sed haec inprimis bina loca contra illum vehementiſſime pugnabant, et pro me contra, quam maxime militabant: ideo omnia potius inuertenda, turbanda et contorquenda erant, quo perſpicacioribus lectorum oculis ſordida fraudis nubes obiiceretur, vt a recto veritatis tramite, in deuia abducerentur.

Sed nunc ſine longiore ambage, ad rem ipſam! Prior igitur Locus his quidem verbis conceptus eſt: Κάλαμον ξύσας ἐμμελῶς, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ κόνδυλον ἐξισώσας, κύκλῳ περιθὲς τῷ ὄρνιθος ποδὶ, καὶ περίδησον, ὥσπερ, ἔθος ἐςὶ ποιεῖν, ἐπ᾽ αὐτῶν τῷ τοιέτῳ πάθει περιπεσόντων: Quae ſane nemo, niſi Graecae Linguae plane rudis, et ſani ſenſus artisque praeſertim Chirurgicae prorſus expers, aliter, Latine, credo, redderet, niſi in hunc, vt fecimus quondam, modum: *Arundo poliatur, et eius nodus explanetur, eaque circumligetur pes Accipitris, vt fieri ſolet apud Homines ipſos, qui tale quidpiam patiuntur:* Vel paullo accuratius et liquidius adhuc: *Arundinem accurate politam, et explanato eius*

eius prius Nodo, pedi Accipitris circumponito, et fasciato, seu *per fascias et Habenas, circumligato, quemadmodum scilicet mos est facere in ipsis hominibus, qui in eiusmodi calamitatem inciderunt.* Qui sane certissimus et euidentissimus huius planissimi loci sensus, quem et acutissime, pro mira sua sagacitate, dudum perspexit lactifluus ille Gallorum LIVIVS, THVANVS, in Libris eximiis de *Re accipitraria,* metricis, ad Virgilianam maiestatem proxime accedentibus, quum hos ambos de *Re Accipitraria,* locos Graecos scitissime verteret, atque simul quasi interpretaretur, sequentem in modum, *Lib.* III. *pag.* 80.

tum crura include cauatis
Rupta prius Ferulis, aut lentae caudice Cannae,

Et nonnullis interiectis, paullo post, sequentia leguntur, *pag.* 85.

luxati medium calami indue truncum
Diffisso caule inuoluens, vinclisque coërce.

Hunc tamen liquidissimum Scriptoris nostri Hieracosophici sensum ita maligne et imperite prorsus peruertit nouus noster Graeculus, siue esurientes potius Graeculi per ipsum, obscure loquentes: *Id quod circumligari et vinculi officio fungi debet, potius fasciae, vel ligamenti nomen meretur, quam ferulae. Dicit enim Auctor:* Κύκλῳ περιθὲς τῷ ποδὶ τȣ͂ ὄρνιθος, καὶ περίδησον, i. e. *in orbem circumdes pedi arundinem, et circumliges. Vinciri igitur pedem arundine iubet, cui rei etiam aptior est arundo, quam ferularum vicibus fungi.* Immo non iubet, inquam ego, Auctor, nec vllus vnquam vel mediocrium Chirurgorum tam inepte iussit fracta grauius membra fasciis tantum circumuoluere, omissis plane ferulis, aut arundinibus, in eum potissimum finem salutarem, solicite adhibendis circumponendis, vt ossa fracta, aut fissa in suam sedem naturalem modo apte per Chirurgum reposita, per illa ferularum fulcimenta ac firmamenta, immota maneant, nec rursus foede dehiscant, aut disiecta, sedibus suis emoueantur; donec nempe, temporis processu, internato salutariter Callo consueto, sensim conferueant, et pristinum robur, pristinamque posituram naturalem adquirant; vulnera igitur tantum fasciis circumligantur; at ossa fracta aut vehementius luxata circumpositis simul ferulis et arundinibus, fasciantur, optime

id

id monentibus ipſo HIPPOCRATE, GALENO, AEGINETA, DIOSCORIDE et aliis. Id ergo omnes profecto ſciunt Chirurgorum pueri, neque aliter, ſat ſcio, tractabunt vnquam Accipitris pedes fractos, multo minus hominum membra luxata aut crura fracta. Dicit enim apertiſſime noſter Auctor, fractos accipitrum pedes eodem plane modo, nempe per ferulas, ſeu arundines, atque habenas, tractandos et ſanandos eſſe, ac quidem tractandi ſint vulgariter fracti ipſorum hominum pedes: Illos autem ſemper fere, pauciſſimis tantum caſibus exceptis, (vbi nempe circa ipſas oſſium fracturas, aliquanto profundiora, feruidiora, magisque ſinuoſa ac ſerpentia fuerint vlcera, aut immaniora et aſperiora vulnera, de quibus, poſt HIPPOCRATEM, GALENVM, CELSVM et alios, omnes hodie Chirurgi vberius tractant,) illos, inquam, per circumpoſitas ex omni parte ferulas et adſtrictius circumligatas habenas, ſeu faſcias, fulciendos, confirmandos, et ad priſtinam poſituram reducendos eſſe, in Libris Chirurgicis, iam a me indicatis, diſtincte, ſolide et copioſe docent HIPPOCRATES, GALENVS, AEGINETA, PALLADIVS, AETIVS, CELSVS, et alii primipilares nempe Auctores veteres; vt recentiores, ſcilicet VESALIVM, VIDIVM, FALLOPIVM, PARAEVM, HILDANVM, FABRICIVM, SCVLTETVM, HEISTERVM, PLATNERVM, et innumeros alios iam taceam, quoniam res nempe notiſſima, vulgatiſſima, et a quotidiana experientia vbiuis exploratiſſima, adeo, vt hinc profecto plurimum taedeat, talia vulgaria ac protrita hic quidem docere: Vnde et maximopere miror, illos ipſos medicos, quos et in praeclari illius facinoris ſocietatem accitos fuiſſe, fama circumfertur, quum nimirum vitrea iſta faba in me cuderetur, haec quidem vulgaria neſciuiſſe, aut, quod verius puto, ſtudio diſſimulaſſe, vt ſaltim ſic haberent, quod incaſſum obloquerentur. Sed vt rudes ſunt hominum mores, ita, quod dolendum, noſtri etiam mores ſunt accommodandi, atque hinc multis ad nauſeam vſque docenda, quae nemo ignorat, et de quo nemo ſanus dubitat.

Vae inteaim miſerrimo illi Accipitri, qui in illotas eiuſmodi imperiti chirurgi manus infeliciter incidit, qui fractum eius pedem arundineis

dineis tantum foliis ſeu vinculis circumligat, neglectis interea prorſus ad ſtabilimentum neceſſarium ferulis; tum enim ex tali egregio tractandi modo ſemper pedes claudos, praue diſtortos, contractos ac male natos habebit certiſſime, nec per totam inpoſterum vitam vnquam ad venationem rurſus educi poterit, neque molles columbas, vt antea ſolebat, amplius adurgebit. Sed vae adhuc magis illis ipſis hominibus infortunatiſſimis, quorum penitus fracti, aut luxati grauius artus eadem peruerſa, rudi et inconcinna methodo tractantur, ita, vt laxis tantum et cedentibus facile faſciis circumligentur, nullae autem ſimul ferulae, ſeu arundines apte circumponantur, quorum nempe ſolo remedio, ſeu miniſterio repoſiti, in ſua naturali ſede immoti permanere, et ad ſolitam poſituram ac ſitum priſtinae naturae accommodatum ſenſim redire queant. Verum lepidum, immo lepidiſſimum prorſus eſt, quod in ſuam ſenticoſam ſententiam confirmandam mox ſubiungit idem ille lepidiſſimus Cenſor: *Veteres, ſicut et noſtri hodie faciunt, arundine, ligandi cauſſa, vtebantur:* Rara nempe res, quae PLINII et COLVMELLAE locis inprimis operoſe doceri merebatur! ſed quid tandem, quaeſo, docent PLINIVS atque COLVMELLA? Scilicet Arundine fiſſa, vel Arundinum foliis, vulgo ad palum alligari ſolere teneras vites, aliasque fragiles et male firmas arbuſculas et frutices: Sed quid, malum, hoc ipſum ad artus fractos, aut luxatos, eorumque faſcias, vincula atque habenas? Nempe belliſſimum et acutiſſimum eſt ratiocinium, a baculo ſcilicet ad angulum, vt vulgo loquuntur: quoniam vites per arundines palis adiunguntur, ergo et pedes fracti ſolis faſciis ex arundine confectis circumligantur.

Verum ex mea, et cuiuſuis ſani hominis ſententia, ita potius concludere fas erat: Sicut tenerae vites et flexiles frutices per arundinea vincula ad palos in firmamentum alligari ſolent; ita et chirurgi fractos et collapſos artus remedio habenarum et faſciarum, ad rigidiores et ſolidiores ferulas atque arundines in fulcimentum alligare et firmare ſolent. Quomodo enim fracta, aut ſedibus ſuis dimota, membra ſola faſciatione, ſine vlla tamen ferularum aut arundinum adpoſitione adſtrictiore, dirigi, extendi, in ſua ſede contineri, compingi, ſolidari ac

confirmari possint; id profecto, quantum equidem sciam, nemo adhuc docuit, nemo in posterum, credo, docebit.

Illud autem CELSVS et omnes chirurgi contra vbique clare docent, fissas circumpositasque ferulas, per habenas adstrictius alligatas, ossa modo reposita in sua sede vnice continere, atque ad pristinam figuram posituram ac solidamentum sensim reducere, de quo nemo plane dubitat.

Neque vllum porro praesidium peruersae suae versionis et falsae sententiae, vt putat qnidem, inuenit nouus noster Chirurgiae Magister in illis potissimum verbis: Κύκλῳ περιθὲς τῷ ποδὶ τοῦ Ὄρνιθος, καὶ περίδησον, h. e. *in orbem circumdes pedi arundinem, et circumliges*: Quum certo certius sit, τὸ περιθὲς, vnice respicere ad κάλαμον, seu arundinem aut ferulam arundineam; alterum autem περίδησον, ad fascias, seu habenas, illis circumpositis ferulis ex more, superaccommodandas et circumligandas. Sic enim semper et vbique fere veteres Medici et Chirurgi Graeci loqui consueuerunt, vt scilicet dicant, περιθεῖναι, προστιθέναι, προσπεριθεῖναι, et ἐπιθεῖναι, item Κύκλῳ περιθέναι, νάρθηκας, ἢ καλάμους, ἢ φίλυρας, vt et κυκλοτερῶς περιλαμβάνειν νάρθηξιν καὶ ταινίαις τὸ θεραπευόμενον μέρος, nec non νάρθηξιν κατορθοῦν, item et ἐν νάθηξιν περιδῆσαι, et ἐπιδῆσαι: Ex altera autem parte, περιβάλλειν, περιδῆσαι, ἐπιδῆσαι, περιειλεῖν, ἀμφιελίσσειν, ἐπιδέσμους, ταινίας, φασκίας, λῶρα, ἱμάντας, λαμπάδια, apud ARISTOPHAN. SVID. HESYCHIVM, PHOT. et alios, item κειρίας, τελαμῶνας, et similia plura, alibi iam a me copiose producta, quibus nunc adde varios de fasciis auctores apud GALEN. *Tom.* XII. *Opp.* in fine: vnde et frequentissima mentio apud eosdem, τῶν ἐπιδέσμων, τῶν ὀθονίων, τῶν ἱμάντων et τῶν ταινίων περιβολῆς, περιειλήματος, et περιελίξεως, vbiuis occurrit. Quod sane sexcentis hic locis veterum, nihil enim frequentius obuium est, facillimo negotio probari et confirmari posset, nisi nos inutilis et ingloriae scriptionis taedium iamdudum cepisset, nobisque hinc et temporis et spatii iam pridem occupati ratio omnino habenda esset. Pauca tamen ex quamplurimis selecta loca ac testimonia rudiorum et ipsius potissimum Censoris etiam aliquanto rudioris in gratiam, huc congerere,

necesse

necesse videtur, vt ille nempe elatas cristas submittat, et sero pudore suffusus, obmutescat.

Miror autem vel maxime, illum coeco vane contradicendi impetu abreptum, clarissimum istum locum HIPPOCRATICVM, e libro de *Fracturis pag.* 751. a me in ipsa mea priore Diatribe, dudum productum non animaduertisse, sed intactum potius subdole praeteriisse, quoniam nempe pro me valide pugnaret, ipsum autem validissime impugnaret. Sic autem ille: Ἐπὴν δὲ ἐπιδήσῃς τοῖσι Ὀθονίοισι, τὰς νάρθηκας περιθεῖναι χρὴ, καὶ περιλαβεῖν ἐν τοῖσι δεσμοῖσι: qui sane locus, si vel vnicus esset, satis tamen inuertere prorsus et eneruare poterat frigidam et ieiunam Censoris sententiam, dum nempe aperte et lucide docet, ferulas, seu Arundines circumponi, fascias autem, seu Habenas, circumligari, adeo vt illum DEMETRII locum hactenus explicatum egregie prorsus illustret ac clarissima luce perfundat, nostramque inprimis sententiam validissime circummuniat, adeo vt nullus plane contradictioni locus iure amplius esse possit. Omnia enim exactissime in vtroque loco sibi respondent, mutuamque lucem atque auxilium foenerantur. Dixerat nempe Rei Accipitrar. Auctor: Κάλαμον κύκλῳ περιθὲς τῷ ποδὶ, HIPPOCRATES autem pariter iisdem paene verbis: τὰς νάρθηκας περιθεῖναι χρὴ: alter porro scripserat paullo breuius: Καὶ περίδησον, HIPPOCRATES autem multo luculentius ac plenius: ἐπιδήσῃς τοῖσι ὀθονίοισι, et mox: περιλαβεῖν ἐν τοῖσι δεσμοῖσι. Nullum igitur, nullum inquam, prorsus restat dubium, quin vtriusque loci idem sit sensus, et alter obscurior paullo DEMETRII locus ex clariore hoc HIPPOCRATIS omnino explicari et confirmari debeat. Inde ergo nunc liquidissime patet, τὸ κύκλῳ περιθὲς, vnice respicere ad τὰς νάρθηκας, seu καλάμους; alterum autem περίδησον, ad fascias, seu habenas illis circumpositis ferulis circumligatas, vt supra iam monuimus. Verum plura huiusmodi loca huic plane gemina, in HIPPOCRATIS libris chirurgicis, *de Medici officina, Articulis, Fracturis et Mochlico,* quaerant, et inuenient vbique ii, quibus plus otii voluptatisque ad haec talia superest; nos enim, candide fatemur, iam dudum merito taedet pigetque inglorii et ingrati huius laboris, inprimis quum hactenus, et

praesertim hoc ipso de ferulis seu arundinibus argumento dolentes indignantesque deprehendimus, nobis cum homine, aut hominibus potius, rem esse, qui ex insanabili obloquendi cacoëthe ventosoque fastu paedagogico, et aliis foedis animi vlcerosi morbis, euidentissimas quoque veritates proterue in dubium vocant, de lana caprina aut tremulis arundinibus, acerbe litigant, ac cassos arenarum casses, tricasque meras, praeter vllam rationem, nectunt, et vbi nullus puluis adest, tamen illum ipsum nullum ridicule prorsus excutiunt.

Sed et GALENVM, vt e diuerticulo iam in viam redeam, eodem plane modo, de circumponendis ferulis, saepissime loquutum fuisse, ex vastis eius operibus, passim abunde constat. Ita in *Comment.* I. in HIPPOCR. *Lib. de Fractur. Text.* XLI. *pag.* 179. *Tom.* XII. *Opp.* τὰς νάρθηκας ἀναγκαῖον περιβάλλομεν, et mox: αὐτῷ περιτίθησι τὰς νάρθηκας, ibidem quoque *Comment.* III. *Text.* XI. et XII. *pag.* 237. occurrit νάρθηκας προστιθέναι, νάρθηκας ἐπιβάλλειν, item in sequentibus, νάρθηκας περιτιθέναι καὶ περιβάλλειν, vt et οἱ νάρθηκες προστίθενται, et περιτίθενται, veluti *Lib.* VI. *de Methodo Med. cap.* 5. *pag.* 147. *Tom.* X. ἐγχωρεῖ νάρθηκάς τε περιτιθέναι: Sic et in *Comment.* III. *in Lib.* HIPPOCR. *de Officina Med. p.* III. *et sqq.* mentio fit aliquoties τῶν ναρθήκων κυκλοτερῶς περιτιθεμένων, et περικυκλουμένων, item ἑκατέρωθεν, et κυκλόθεν περιτιθεμένων, vt et τῶν ἱμάντων καὶ ναρθήκων κυκλοτερῶς περιτιθεμένων et περιβεβλημένων, vt supra iam obiter monui. Sed haec ex innumeris fere per omnes istorum in libros HIPPOCR. chirurgicos, commentariorum paginas, locis late dispersis raptim collecta, iam sufficiant, quae mihi obiter tantum et cursim spatiosa ista GALENI Volumina peruoluenti subito mentem oculosque perstrinxerunt: quum longe sane plura id genus coaceruari huc potuissent, si nempe necesse fuisset visum, aut vllus sanus de hac liquida veritate vnquam dubitasset.

Sic enim et praeter quosuis veterum medicorum alios PAVLLVS etiam AEGINETA saepius loquitur, vti *Lib.* VI. *cap.* 99. τοὺς νάρθηκας ἐπιβάλλειν, et περιβάλλειν, vbi et τῶν ναρθήκων ἐπιβολῆς mentio fit. Praesertim autem huc sequens facit locus, ibidem: Ἐρίῳ, ἢ στυπείῳ,

τοὺς

τοὺς νάρθηκας περιειλίσαντες, ἐπιβάλομεν πέριξ τοῦ κατάγματος, *Lana, aut ſtupa circumuoluentes ferulas, illas ipſi fracturae circulo circumponimus*: Ex quibus nempe nunc clariſſime ſimul patet, τὸ πέριξ ἐπιβάλλειν, idem eſſe, ac ſupra in noſtro de Re Accipit. loco, κύκλῳ περιτιθέναι, et apud GALENVM, κυκλοτερῶς ὀθονίοις καὶ νάρθηξι περιλαμβάνειν τὰ πεπονθότα μέρη, vel ὀθόνια, ἢ ταινίας, καὶ νάρθηκας περιβάλλειν, ἢ περιτιθέναι. Ita et ABSYRTVS in *Hippiatricis*, vbi de Fracturis agit, dixit πλάστιγγας προστιθέναι, πλάστιγγας ἐπιτιθέναι, et alibi, in ſequentibus, πλαστίγγια περιτιθέναι, vbi πλάστιγγες, ſeu πλήστιγγες, quod idem, nihil aliud ſunt, quam ipſi νάρθηκες: Ita enim in Gloſſario HIPPOCRATICO GALENVS: πλήστιγγας, νάρθηκας, παρὰ τὸ πλήσσειν. Alias enim plura alia iſtam quoque vocem ſignificare, vberius docent HESYCHIVS, SVIDAS, POLLVX, ATHENAEVS et alii.

Quemadmodum autem, vt pergam, per ipſam rerum naturam, et ex ipſo conſueto vbique artis chirurgicae vſu, Graeci Medici hac de re, non aliter loqui poterant, quam νάρθηκας, ἢ καλάμους περιτιθέναι, et περιβάλλειν, vt hactenus liquidiſſime, opinor, demonſtrauimus; ſic et probos Latinos Scriptores et Medicos, et non Medicos, iisdem paene loquendi modis ſaepius vſos fuiſſe, certo conſtat, vt nempe dicerent, *Ferulas circumponere, Ferulas circumdare, Ferulas circumiicere*, et *Ferulas* denique *circumducere:* Sic igitur CORNELIVS CELSVS, loco illo luculento, a me iam in priore mea Exercitatione producto, *Lib.* VIII. *cap.* X. *Ferulae ſuperaccommodandae ſunt, quae fiſſae circumpoſitaeque, oſſa in ſua ſede contineant;* item ibidem, paullo poſt: *Quinto die Ferulae circumdandae:* Pariter COLVMELLA, *Lib.* VII. *cap.* V. *Fracta pecudum, non aliter, quam hominum, crura, ſanantur, inuoluta lanis oleo atque vino inſuccatis, et mox circumdatis Ferulis conligata*: qui locus inprimis exacte reſpondet noſtro ex opere de Re Accipitraria, hactenus explicato et vindicato, in quo nempe pari ſenſu, legebatur: ὥσπερ ἔθος ἐστὶ ποιεῖν ἐπ' αὐτῶν τῷ τοιούτῳ πάθει περιπεσόντων Denique huc et illud VEGETII *Lib.* II. *Artis Veterin. Cap.* XLVII. *Circumductis Ferulis alligabis*, ſcilicet fracturam, ſiue fracta crura. Neque ſane aliter

de Ferulis circumponendis, poſt hos veteres, recentiores loquuntur Chirurgi praeſtantiſſimi, vti VESALIVS, HILDANVS, PARAEVS, SCVLTETVS, MAGATVS, CHALMETEVS, et alii, immo HEISTERVS, SCHVLZIVS, PLATNERVS, et alii paene innumeri. Sed de his hactenus, quibus id vnum adhuc adiicere liceat; praeceperat nempe ſupra Hieracoſophici auctor: κάλαμον ξύσας ἐμμελῶς, κ. τ. λ. id quod ipſe quoque iubet pari ſententia, GALENVS, *Comment.* III. *in Hippocr. Lib. de Med. Officina, Text.* XII. *pag.* 79. *Tom.* XII. *Opp.* dum commendat praecipue in vſum Chirurgicum, τοὺς νάρθηκας ἀποξεσμένους ἀτρέμα κατὰ τὴν κάτω χώραν, quos ſcilicet HIPPOCRATES in ipſo ſuo libro, vocauerat λείους, ὁμαλοὺς καὶ σιμούς. Alias enim Arundines nodis inſtructae ſunt, vnde *nodoſa Arundo*, apud PERSIVM, PLINIVM, AVSONIVM, et alios. Inde igitur noſter Hieracoſoph. Auctor: τὸν ἐν καλάμῳ κόνδυλον ἐξισώσας: hoc eſt, *arundinem* ſeu *calamum fac enodem,* vt eleganter ait CELSVS, et ſaepius PLINIVS. Quid autem, quaeſo, opus erat, Nodum prius in Arundine explanare, ſi de foliis arundineis ſermo ibi eſſet, in quibus nempe nulli plane ſunt nodi, qui potius in ipſo arundinis ſcapo inueniuntur, vt vulgo quidem notiſſimum? Hoc ergo vtique erat nodum in ſcirpo, aut in folio, fruſtra quaerere.

Verum haec de iſto quidem loco iam demum monita ſunto: ex quibus aequus et eruditus Lector, ſat ſcio, non ſine graui indignatione, protinus intelliget, quam inique et ſubdole, et cum ipſo illo loco, et nobiſcum praeſertim, egerit: cum iſto quidem, quod praua et implicita verſione clariſſima verba foede corrumperet; nobiſcum autem, quod nobis praeter neceſſitatem ac rationem vllam, duram illam neceſſitatem imponeret, ad eiusmodi abiectas minutias, praeter conſuetudinem noſtram, diffuſe reſpondendi, nemini non notiſſima vberius explicandi, atque adſcitis vndique teſtimoniis et exemplis fortius confirmandi.

Iam vero ad alterum eiusdem de Re Accipit. Scriptoris locum illico tranſeamus, quem pari quidem temerario auſu, ſed et pari infelicitate et ſiniſtro prorſus euentu, adortus eſt idem ille vel innocentiſſimorum

tiſſimorum verborum penſitator, ſi Diis placet, ſubtiliſſimus: Scilicet, *vbi*, vt VELLEIVS acute ait, *ſemel recto deerratum eſt, in praeceps peruenitur.* Licet enim locus iſte, vti mox videbimus diſtinctius, ipſa fere luce meridiana clarior ſit, licet nulla plane in verbis obſcuritas, nullum prorſus in ſenſu ipſo dubium appareat; tamen et hic, quis credere auſit? turgidi fluctus quaſi in ſimpulo, ridicule mouentur, clariſſimae luci ſordidae nebulae inducuntur, et liquidiſſima verba horrida plane ac prodigioſa verſione ita inuoluuntur, et infeliciſſima interpunctione, adeo vſque diſtorquentur, vt vix vllum ſani ſenſus veſtigium, vel ſimulacrum perquam exiguum inde relictum maneat. Sed en nunc illa ipſa verba, ſuo clariſſimo quidem lumine radiantia: *τὰ δυνάμενα θεραπευθῆναι κλάσματα ἐπιδήσας νάρθηκι ἢ καλάμῳ, ἐξίσωσον ἢ τὸν πόδα, ἢ ἕτερον μέρος:* Quae ſane per ipſam rerum naturam, et natiuam ipſius graecae Linguae indolem, nunquam, nunquam inquam, aliter latine verti poſſunt, ac debent, quam illo, quo nos iam fecimus, modo: *Quae ſanari adhuc poſſunt, Fracturae, ad Ferulam, ſiue Arundinem alligandae ſunt, ita nempe, vt pes, ſiue alia pars, aequaliter extendatur, ad iuſtam Regulam exigatur.*

Sed planiſſima hac et veriſſima noſtra verſione non contentus nouus noſter Logodaedalus, quia ſcilicet in rem ſuam haud videretur; hanc potius nouam et inauditam hactenus interpretationem audacter procudit, vt ſcilicet noctem peccatis et fraudibus ſuis nubem obiiceret: *Quae ſanari adhuc poſſunt fracturae, alliges ferulae, aut arundine adaeques, ſiue ſit pes, ſiue aliud membrum:* Deinde poſt hanc ſemibarbaram atque ſoloeciſſantem verſionem, egregie pergit latinitatis ſcientiſſimus noſter auctor; *Opponitur igitur arundo ferulis, quae vinculi, aut faſciae vicem penſare dicitur, eadem ratione, ac ante dictum eſt. Si νάρθηξ, et κάλαμος, non eſſent res diuerſae; certe Auctor vnicuique voci non adiunxiſſet proprium verbum:* Haec quidem ille; lepidiſſime, vt nempe putat, et acutiſſime: aſt, vt ego verius cenſeo, et protinus re ipſa liquidius demonſtrabo, omnium falſiſſime et inconſideratiſſime. Quot enim fere in hac propoſita ſententia et peruerſa verſione extant verba; tot profecto grauiſſimi lapſus et foediſſimae hallucinationes in

eadem

eadem vbiuis deprehenduntur. Namque, vt ex ſuperius dictis affatim iam, opinor, conſtabit, νάρθηξ atque κάλαμος, ceu res diuerſae, hic nequaquam ſibi inuicem opponuntur, multo minus vnicuique voci proprium adiungitur verbum, vt temere quidem traditur; ſed potius apte ſciteque inter ſe inuicem componuntur, et pro aequipollentibus plane ſynonymis ſumuntur, adeo, vt proinde falſiſſimum ſit, vnicuique voci proprium hic adiunctum fuiſſe verbum; quum omnia potius e contrario, verba et voces arctiſſime inter ſe coniungantur, ita, vt diuelli a ſe inuicem, ſine ſenſus detrimento, prorſus nequeant, vti ſcilicet ex ipſa naturali verborum iſtorum ſerie manifeſtiſſime, opinor, patet.

Quid enim illa quaeſo, verba: κλάσματα ἐπιδήσας νάρθηκι ἢ καλάμῳ ἐξίσωσον, κ. λ. aliud queant ſignificare, quam hoc ipſum: *Fracturae alligandae ſunt,* (ſcilicet per faſcias, ſeu Habenas,) *ad ferulam, ſiue,* quod idem, *ad Arundinem, vt pes fractus, ſiue aliud membrum fractum, fiſſum, aut colliſum, earum ope ac Remedio, aequaliter extendatur, atque in ſedem ſuam naturalem modo repoſitum, immotum aequali poſitura contineatur?* ἐξισώσασθαι enim καλάμῳ ἢ νάρθηκι, hic idem prorſus eſt, ac quod HIPPOCRATES, GALENVS, AEGINETA, PALLADIVS et alii dicunt, νάρθηκι κατορθῶν, vt ſupra iam monitum. Quid igitur, malum, in illa obſcuriſſima Cenſoris verſione, illud eſt: *aut arundine adaeques?* quis ſanus, obſecro, haec intelligat? quomodo enim foliis arundineis, quae hic iterum incaſſum crepat nouellus interpres, fracta membra, ſine circumpoſitarum commode ferularum et arundinum miniſterio et adiumento, adaequari poſſint, nemo artis chirurgicae vel mediocriter peritus facile dixerit, vt ſupra iam liquidiſſime oſtendimus. Quare profecto non erat, quod ſuperbe adiiceret ſubtiliſſimus noſter Criticus: *eadem ratione, ac ante dictum eſt:* Quum ſcilicet ex ſuperius dictis iamiam abunde conſtet, eum nihil prorſus dixiſſe, nec vlla ratione iſtam vaniſſimam ſuam de vinculis arundineis opinionem probaſſe, aut confirmaſſe. Nec hic quidquam, crede mihi, cum ratione vlla dixit; quin potius adhuc grauius lapſus eſt, et nihil

prorſus

prorſus aliud, niſi petulantiſſimam temere obloquendi et omnia conturbandi libidinem manifeſtiſſime prodidit.

Quibus vel maxime adhuc accedit, ipſum HIPPOCRATEM, *Libro de Fracturis, pag.* 743. eodem plane, ac apud noſtrum Auctorem, hic legitur, modo, dixiſſe, νάρθηξι τελέως ἐπιδεῖν, *Ferulis perfecte deligare*, nempe per circumiectas Habenas, quod nemo prudens de vinculis ferulaceis temere intellexerit: Nam in antecedentibus, diſtincte docuit HIPPOCRATES de Fracturis prius lanis tantum et linteis, ſine adiectis ferulis, deligandis; nunc autem diſerte praecipit, quo demum tempore, ferulae ſint etiam circumponendae, et faſciis alligandae, vbi vid. GALEN. in *Comment. Tom.* XII. *pag.* 251. ἐπιδήσας igitur νάρθηκι ἢ καλάμῳ, nullum alium, nullum prorſus alium habere hic ſenſum poteſt, quam illud Hippocraticum, νάρθηξιν ἐπιδεῖν, quae ipſo ſole meridiano fere ſunt clariora. Quodſi ergo noſter Rei Accipit. Auctor ſcripſiſſet; ἐπιδήσας καλάμῳ, ἢ νάρθηκι ἐξίσωσον, κ. τ. λ. tum ſane ipſe Cenſor aliquem forſan, etſi leuiſſimum, colorem ſuae contortae futilique ſententiae inducere potuiſſet: Dum autem contra ille potius ſcripſit: ἐπιδήσας νάρθηκι ἢ καλάμῳ ἐξίσωσον, nemo non, vel ipſo Tireſia caecior, protinus manifeſtiſſime, opinor, perſpicit κάλαμον atque νάρθηκα ſynonyma prorſus eſſe, neque vllo modo, et per rerum naturam, et per ipſas Grammaticae regulas, vti ſupra oſtendi, a ſe inuicem diuelli poſſe. Si enim ferulis artus fracti alligantur; ſequitur exinde liquidiſſime, et arundinibus illos alligari poſſe et ſolere, cum, quia ferulae et arundines hic indiſſolubili copula coniunguntur; tum, quoniam arundines olim frequentiſſime ipſarum ferularum vſum praeſtiterunt, vti mox euidentiſſime demonſtrabitur. Quid enim diutius iuuat vano indulgere labori, et cum laruis et lemuribus amplius incaſſum luctari, aut febriculoſa iſta inſomnia in vagos ventos, volucresque fumos confeſtim ſua ſponte euolatura operoſe nimis refellere?

Scilicet nunc, hem tempus enim eſt! temerarius noſter aduerſarius vno eoque grauiſſimo ac valentiſſimo ictu, ſemel ſimulque profternendus ac contundendus eſt, ipſique omnis elabendi occaſio penitus

nitus circumcidenda, vt pudibundus moestusque, fateri tandem cogatur, sese hucusque frustra tantum imbelli et obtuso ferro, vel tremula potius arundine, vanas vmbras diuerberasse, oleum et operam prorsus perdidisse, atque a recto veritatis tramite toto quidem coelo aberrasse, licet supra, vt scilicet more suo iactanter solet, *certissime persuasus esset, sese non facile ab illo aberraturum.*

Nimirum iam paucis, verissime tamen ac certissime, docendus est homo indocilis, vt nempe et hoc, sicut omnia alia, *certo certius* in posterum sciat, *Ferulas olim ex arundinibus frequentissime fuisse confectas, hincque ferulas atque arundines omnino esse synonyma et promiscua vocabula:* inprimis, quum vtraeque congeneris fere essent naturae, adeo, vt inde THEOPHRASTVS, *Lib.* I. *cap.* 9. et *Lib.* IX. *cap.* 16 *Hist. Plant.* et alibi, κάλαμον καὶ νάρθηκα, scite coniunxerit, et *Lib.* VI. *cap.* 2. manifestius addiderit: τὰ γόνατα περιειληφότα τὸν καυλὸν τῦ νάρθηκος ἐπὶ πολὺ, καθάπερ τὰ τῦ καλάμυ, item et HESYCHIVS bene inde scripserit: Νάρθηξ, εἶδος καλαμοειδῦς ἐλαφρῦ, qua de re vid. GORRAEVM, *in Definit. Med.* suo loco, vt et RITTERSHVSIVM, *ad Oppiaui Lib.* IV. *Cyneget. pag.* 146. praesertim autem CLAVD. SALMASIVM, *de Homonym. Hyles Iatr. cap.* III. vbi plura, quae et huc spectant, et ad ea, quae in sequentibus mox dicenda restant, inprimis pertinent.

Istae igitur Assulae, siue Tabellae Chirurgorum veterum, primo tempore, ex ferulis potissimum parabantur; deinde autem, quum illae ferulae non vbiuis locorum, commode essent habendae, inprimis, quum nondum satis certum et exploratum sit vel inter ipsos veteres, qualis planta, vel frutex proprie fuerit ferula ista in Chirurgorum quidem vsum potissimum expetita, quod ex THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, PLINIO et aliis, liquido ostenderunt IO. BOD. a STAPEL, CLAVD. SALMASIVS, laudato modo loco, SIMON. PAVLI, in *Quadripart. Botan.* GORRAEVS, DALECAMPIVS, et nostri aeui Theophrasti, ac Crateuae, MORISON, RAIVS, BOERHAAVIVS aliique plures; quanquam ipse TOVRNEFORTIVS se veram veterum ferulam deprehendisse, commemorat, in eruditissimo suo itinerario,

rio, *Tom.* I. *Epiſt.* VI. *pag.* 290. *ſqq.* et in *Corollar. Inſtitut. Rei Herbar.* XXII. quum, inquam, rarius iſtae verae ferulae inuenirentur; inde ergo factum eſt, vt poſtea iſtae Aſſulae, ſiue Tabellae ex alia magis obuia et parabili diuerſarum arborum materie pararentur; priſtinum tamen ferularum nomen generale omnibus illis ferulis vicariis impoſitum nihilominus ex conſuetudine, remaneret: Quemadmodum ſic pyxidem auream et argenteam ex more, vocare ſolemus, quae tamen prius ex ſua origine, a ſola buxo nomen ſuum ſortita erat, bene monente SENECA, *Lib.* V. *de Benef. cap.* 13. vbi vid. LIPSIVM, GRONOVIVM et alios, nec non, ſi placet, *Obſeruat. noſtrar. Crit. Lib.* IV. *cap.* 8. *pag.* 343. *ſqq.* item pari modo, chartam plumbeam, et pocula Thericlea, argentea, aurea, eburnea, et terebinthina, quae tamen prius tantum erant fictilia, vt notum ex variis Auctoribus ibidem a nobis allegatis: *Quaedam enim,* eodem SENECA acute obſeruante, *etiamſi vera non ſint, propter ſimilitudinem tamen, eodem vocabulo comprehendi saepius ſolent.*

Hinc ergo nomen νάρθηκος omnibus illis arboribus ac fruticibus poſtea adhaeſit, quorum teneriores ramuli ac virgae ferularum, ſeu baculorum vſum praeſtabant: Inde paſſim apud Graecos legitur: νάρθηξ ἰτέας, φηγȣ͂, φιλύρας, φοίνικος, καλάμȣ, πεύκης, ἐλάτης, λεύκης, κρανίας, πτελέας, κώμυθος, δρυὸς, πρίνȣ, ἀμπέλȣ, καρύας ἡρακλεωτικῆς, et ſimilia plura paſſim hinc inde obuia.

Rectiſſime proinde, et ex veterum quidem mente veriſſime ſcripſit quondam VIDVS VIDIVS, Vir magni nominis, in iſto loco, perperam et procaciter in dubium ab Aduerſario vocato: *Vocantur ferulae, quod ab antiquis ex ferulis conficerentur: commode etiam fiunt ex ligno leui, quod facile flectatur, vt ex ſalice, palma, arundine, pinu: commodiſſime nunc praeſto ſunt e fago,* vbi vide ſequentia. Conf. et inprimis IO. SCVLTETI *Armament. chirurg. Tab.* XXVIII. *Declarat. pag.* 84.

Tilia autem potiſſimum materiam primitus ſubminiſtrabat ferulis illis chirurgicis fabricandis: id quod luculentiſſime teſtatur GALENVS, *Comment.* III. *in* HIPPOCRAT. *Lib. de Med. Officina, Text.* XXXII. *pag.* 101. *Tom.* XII. *Opp.* ἐκ φιλύρας, ἤ τινος ȣ͂τως εὐτόνȣ τε καὶ μαλα-

κȣ ξύλȣ ποιȣ́μενοι δὲ λεπτὰ σανίδια, *ex tilia, vel ex tali aliquo ligno ita firmo mollique tenues asserculos paramus;* conf. ibidem *Comment.* II. *in* HIPPOCRAT. *Lib. de Fracturis, Text.* LXV. *pag.* 219. inprimis autem eximium illum ac primarium PALLADII locum mox producendum: Inde igitur σανὶς φιλυρίνη, apud HIPPOCRATEM, *Lib. de Articul. pag.* 803. *Tom.* II. *Opp.* et σανὶς φιλύρας τȣ̃ ξύλȣ, apud ATHENAEVM, ARISTOPHAN. POLLVCEM et alios; indeque Imperator ANTONINVS PIVS, teste IVLIO CAPITOLINO, *tiliaceis tabulis fasciabatur*, ex quibus quippe locis iam supra, et in ipsa nostra priore Exercitatione, opportune adductis, luculenter nunc certe patet, frequentissimum olim fuisse vsum tiliacearum ferularum, seu assularum, ex tenero tiliarum ligno confectarum. Longe tamen frequentiori et vulgatiore in vsu ipsas fuisse *arundines*, vbi nempe nulla praesto esset tiliacearum tabellarum copia, sequens inprimis praestantissimus PALLADII Iatrosophistae Alexandrini quondam celeberrimi locus notatu sane dignissimus, manifestissime euincit, et liquidissime testatur. Legitur autem iste primipilaris quidem locus, vt cum nostro primipilari in postremo Eruditorum agmine critico magnifice loquar, in PALLADII scholiis, in HIPPOCRATIS *de Fracturis Librum, Tom.* XII. *Opp.* GALENI, *pag.* 277. et in *Opp.* HIPPOCRATIS, per FOES. *pag.* 923. vbi ex instituto de Ferularum materia longitudine et latitudine tractat, ex quo haec inprimis verba huc vel maxime pertinent: δεῖ τȣ́τȣς νάρθηκας παραλαμβάνειν, ἢ ξύλα φιλύρινα, ἢ εἰ μηδὲν τȣ́των εὑρεθῇ, δεῖ Καλάμȣς λαμβάνειν, *Ferulas has assumere oportet aut ligna tiliacea, aut, si horum nihil reperiatur, arundines adhibendae:* quibus paullo post haec subiungit: ȣ̓ δεῖ εἰς τὰ ὑπόξηρα φορεῖν τȣ̀ς Καλάμȣς, ἢ ἐγγὺς τȣ̃ μικρȣ̃ δακτύλȣ, *Non oportet arundines illas*, seu *ferulas arundineas, in partes extenuatas ferri, aut prope paruulum digitum:* item *pag.* 282. ȣ̓ δεῖ δὲ καλάμȣς βάλλειν, *non sunt autem arundines apponendae*, et *pag.* 284. μὴ δὲ ὅλως δεῖ καλάμοις χρήσασθαι, *in totum*, (in inflammatione scilicet) *arundinibus vti haud licet*: semper autem νάρθηκας καὶ καλάμȣς, ibidem pro synonymis habet Auctor. Sed ne vel minimum prorsus dubii, aut effugii relinquatur, addamus his, vt liberales simus, alium non minus

nus

nus insignem et egregium locum e *Libro* III. *de Remediis parabilibus*, GALENO vulgo adscripto, *Tom.* X. *Opp. pag.* 661. πρὸς Κλάσμα ὀστέων, λαβὼν πίσσαν, καὶ κόνιν τῦ λιβάνυ, καὶ φοινίκια, καὶ ἄνθος μαλάχης, καὶ τῦ ὠῦ τὸ λευκὸν, ἐπιθὲς δὲ ἐπάνω στυππεῖα, καὶ Καλάμωσον, καὶ φάσκίωσον, καὶ ἰᾶται, h. e. *ad ossa fracta: Recipe picem, thuris puluerem, palmulas, maluae florem, et oui album: mixta imponito, et stupa superaddita, Arundines circumponito, et Habenis, seu fasciis, deligato, sanabitur.* Vbi sane vel maxime notanda bina illa et distincta verba: Καλάμωσον καὶ φασκίωσον, quae nemo prudens, spero, interpretabitur: *arundineis vinculis circumligato:* Verbum enim Καλαμώσασθαι, seu καλαμᾶσθαι, hic idem est, ac ναρθηκίσαι, apud GALENVM, vt creditur quidem, in *Introd.* seu *Medico, cap.* XX. *pag.* 398. *Tom.* II. et PAVLVM AEGINETAM *Lib.* VI. *cap.* 106. *pag.* 100. κατεαγότα κῶλα ναρθηκίζειν, vt plura alia passim obuia iam taceam. Vnum tamen his omnibus adhuc omnino adiiciendum hic hanc in rem est testimonium et argumentum, et quidem longe grauissimum et luculentissimum, quod ex inedito adhuc PHOTII *Lexico*, peropportune produxit Cel. KÜSTERVS, ad SVIDAE *Lexicon, Tom.* II. *pag.* 413. voc. λαμπάδια. En vero nunc ipsa PHOTII verba, notatu certe dignissima: οἱ δὲ νάρθηκα (immo forte rectius, νάρθηκας,) καὶ καλάμυς, οἷς δεσμῦσι τὺς τὴν κνήμην κατάξαντας, *quidam vero Ferulas et Arundines per* λαμπάδια, *intelligunt, quibus deligant* scil. chirurgi, *illos, qui crus, seu tibiam fregerunt.* Qui locus sane eximius, vnus omnium manifestissime et solidissime probat, id quod iam toties dicendo monendoque iteraui, νάρθηκας nempe atque καλάμυς, seu *Ferulas* et *Arundines*, vbique fere συνωνύμως sumi solere in Veterum Medicorum et Chirurgorum Libris. Sed hac commoda occasione, luxato aut fracto cuidam HESYCHII loco quandam criticam veluti arundinem et habenam simul applicare liceat, quo rectior ille scilicet in posterum incedat. Sic autem vulgo legitur: λαμπάδιον, τὴν λεπτὴν κηρίαν, ἐν ᾗ ἐπιδιδῦσιν: quae quum perquam obscura sint, et sensu perspicuo careant; ita mihi commode emendanda videntur: τὴν λεπτὴν κειρίαν, ἐν ᾗ ἐπιδέυσιν, vel ἐπιδεσμῦσι, scil. τὺς νάρθηκας, ἢ καλάμυς, vel et κατεαγότα

 κῶλα,

κῶλα, ἢ ὀςᾶ, h. e. λαμπάδιον *tenuem fasciam, seu habenam vocant, qua alligant ferulas vel arundines, aut fracta membra seu ossa deligant,* sensu nunc plano prorsus atque manifesto, qui ipse valide confirmatur ex egregio illo PHOTII loco, modo allegato. Ceterum autem κειρίαν, pro vitioso illo κηρία, legendum esse, recte iam vidit SONINGIVS, in *Notis.* Sed haec hactenus.

Quid igitur his ipsis exquisitissimis plane locis, vna cum illis ex opere de Re Accipitraria, supra iam productis et grauiter vindicatis, luculentius, manifestius, aut validius reperiri possit, ad tutandam et circummuniendam nostram de ferulis et arundinibus, ceu synonymis, sententiam, et simul ad euertenda penitus ac contundenda infelicissimi oppugnatoris ficulnea plane argumenta, atque arundinea tela confringenda; id equidem exputare non facile possum. Certe enim omnia in illis tam liquida, manifesta, perspicua, plana et incontrouersa deprehenduntur, vt ne ipse quidem Carneades, si ad superos forsan rediret, sat scio, de istorum confessa et explorata veritate vnquam esset dubitaturus. Nihil igitur, nihil prorsus nouae, durae ac tenebricosae versiones hic proderunt cum *Bulbis suis,* nec vllum profecto praesidium inueniendum amplius erit in infirmis fluxisque illis vinculis ex arundinum foliis male nexis, maleque tenacibus.

Quid vero nunc ad haec noster conductitius Altercator? Quale nunc consilium in arena capiet gladiator hic circumuentus? forsan ad hoc lucidissimum veritatis inconcussae iubar, exsanguis, attonitoque similis, stabit, per metum iuste promeritae poenae, voce etiam suppressa: forte et curret, satager, trepidabit, tanquam mus in matella, vt ille ait: scilicet

Has importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa.

Haud tamen, si quid adhuc ingenui pudoris superfit, spero, resistere ac repugnare contra veritatem audebit. Sed cur bonus iste homo non tacuit? cur alienum plane negotium curauit? *cur rei ad se nihil pertinenti sese temere immiscuit?* vt POMPONIVS Ictus sapienter monet: cur sua exigua sorte non contentus, alieno consilio et auxilio maior

doctior-

doctiorque videri voluit, quam re ipsa erat? immemor prorsus sapientissimi illius consilii a GAIO nobis relicti: *l.* 8. *ff. ad Leg. Aquil. Quum affectare quisque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii* (imo hic sibi) *periculosam futuram.* Cur alium ipso forsan paullo fortiorem, imbellior ipse, in arenam procaciter prouocauit? cur inanissimis suis iurgiis meliorem molestauit, qui ipsum prius nunquam inquietauerat? Sed ipse nunc sibi soli imputet, si digne plectatur, nec leuibus arundineis foliis vinctus detineatur, sed validioribus potius Arundinum ferulis vehementius percutiatur. Ipse enim sibi mali sui fontem suo genio repperit, ipse hanc technam in se struxit, et Camarinam temere commouit; ideoque etiam nunc exedat, quod sibimet ipsi intriuit:

Tibi, quod intristi, exedendum est; sic vetus verbum iubet;
Compedes, quas ipse fecit, ipsus vt gestet Faber.

Sed nunc ipse illos suos aridos fontes adeat, ex quibus aquas suas furtiuas hausit; ipse nunc accedat illos suos Auctores, Augures et Petauristarios, qui sibi et scribendi contra nos, calidum nimis consilium, at frigidum nimis auxilium subministrarunt, vt sibi nunc demum, tot malis atrocissimis circumuento suppetias ferant, seque penitus prostratum, humique fusum et extentum potenti dextra erigant, mortique propinquae eripiant: Verum ter frustra fidos suos, aut perfidos potius sodales ingenti clamore vocabat. Ipsi enim illi calidi incitatores, male sibi conscii, turpi iam fuga dilapsi, terga fugacia verterunt, relicta non bene parmula, ipsumque in luto misere haerentem, diuosque incassum inclamantem, et conantem plurima frustra, praecipitem, ac socios nequicquam saepe vocantem dolose deseruerunt:

Ipse rotis saliens frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem,
Da dextram misero, atque instantibus eripe fatis.

Verum, ne ancipiti mentem formidine pressus, in extremum plane discrimen adducatur, dimittamus, si lubet quidem, nunc demum hominem, haud prorsus, credo, malum, et aliena potius, quam sua, culpa peccantem, et in has ineluctabiles aerumnas coniectum, inprimis,

quum

quum vt ipſe de ſe modeſte, pro more ſuo praedicat, *mox ad thermas Carolinas ſit profecturus, et quidem ocyus, hoc praeſertim anno, quam alias conſueuerit; quoniam nempe nonnulli aegroti iam laetum ipſius aduentum anxie ibi expectent.* Quod vero cur huic epiſtolae nunc publicatae, et ad plures lectores, quam me ſolum, directae, inſeruerit, ego quidem diuinare haud poſſum, nec volo. Forſan tamen ipſa vera huius indicii, magni ſcilicet momenti, cauſſa et arcana ratio facile indagari poterit. Ne igitur in publica commoda proterue peccemus, illosque nonnullos, aut nullos aegrotos ad extremam vſque ambiguae ſalutis deſperationem noſtra quidem culpa, adigamus; ſed potius ad laetiorem ſpem reuocemus, qui tanti benignioris AESCVLAPII praeſentiſſimum ſcilicet auxilium impatientiſſime operiuntur; ipſum nunc demum arundineis ſuis vinculis cum bulbis quoque ſuis, arctius conſtrictum, data prius venia, exſoluamus, et hoc tam neceſſarium ac multis ſcilicet ſalutare iter libere proſequi ſinamus, additis tamen; pace quidem ipſius, ſequentibus Viatici loco, monitis ſaluberrimis, vt nempe habeat, quo in moleſto illo et confragoſo in ipſas Thermas Carolinas, itinere tempus vtiliter fallat, animum vacuum ſalutaribus praeceptis inſtruat, et in poſterum rem ſuam cautius agere diſcat.

Primo igitur per omnem ſuam vitam aeternum ſileat de abiectiſſimo illo atque inaniſſimo argumento ex PLINII, CELSI, SVETONII, et aliorum veterum auctorum ſilentio petito; illudque, ceu venuſtiore ingenio plane indignum, inpoſterum abominetur. Manifeſtiſſime enim ex his ipſis hactenus late diſputatis, nunc, ſpero, ſero licet nimis, intelliget, PLINIVM ac CELSVM nihil quidem de vſu ferularum ex Arundinibus confectarum commemoraſſe; et tamen illo ipſo altiſſimo ſilentio non obſtante, veriſſimum ſimul ac certiſſimum eſſe, quod Arundines in chirurgicarum Ferularum frequentiſſimum vſum perpetuo fuerint adhibitae, quod ſcilicet tot argumentis plane inexpugnabilibus ſuperius probauimus, vt nulli prorſus, etiam ne minimae quidem contradictioni vllus pateat locus, aut vllum effugium.

Secundo, ſupplex, et ſero frontem pudore perfuſus, ad optimi VIDI VIDII clementiam confugiat, grauiorisque delicti veniam petat,

tat, quod ipſius fidem et auctoritatem temere ac proterue ſubleſtam reddere conatus fuerit: hincque venerabilem illum Senem enixe oret atque obteſtetur, ne ſemet ipſum ex merito quidem, ſecundum *leg*. 33. ff. *de S. C. Silaniano*, minaci ferula aut habena, excipiat, iubeatque

Vt ſubeant tenerae verbera ſaeua manus.

Tandem ſeria poenitentia actus, exinde diſcat, idoneos vtique, ac grauiſſimae auctoritatis Auctores habuiſſe eundem VIDVM VIDIVM, licet breuitatis ſtudio, non indicatos, quum aſſereret, Veterum ferulas ex Arundine fuiſſe paratas, ſcilicet GALENVM, PALLADIVM, PHOTIVM, *Scriptores Hieracoſophicos* aliosque ſupra late commemoratos ac productos.

Tertio, deterrimas illas ac falſiſſimas Verſiones Latinas binorum iſtorum Locorum, ex iis ipſis de Re Accipit. Scriptoribus deſumtorum ac ſuperius grauiter vindicatorum, indignabundus, plane deleat, et aeternis tenebris damnet, vltroque fateatur, grauiſſimis nempe illis Scriptorum modo laudatorum teſtimoniis plane pleneque conuictus, nihil illis quidem infelicius et ab ipſa Graecae Linguae indole ac veritate ipſa, alienius vnquam excogitari, aut in dias luminis auras protrudi potuiſſe.

Quarto, et ipſum ſerio pudeat, quod ipſe nimis in errores, praeiudicia, et caecae improuidaeque feſtinationis vitia pronus, ſcribere tamen non erubuerit, *nos nimis pronos in noſtras partes, Ferulas atque Arundines falſo, pro Synonymis habuiſſe, quod nullus Interpretum Hippocraticorum fecerit.* Hinc potius candide, moneo, fateatur, nos recte quidem feciſſe, quum iſta HIPPOCRATIS Graeca ita Latine verteremus, ex rationibus nempe ſupra abunde datis; ſe ipſum autem contra male omnino iudicaſſe, et de re non intellecta nimis audacter et caſtigatoria quaſi ſeueritate, pronunciaſſe. Ad haec doleat quoque, ſi pudorem adhuc habeat, quod hac ſua deſidioſa occupatione, negotioſum noſtrum otium temere interturbauerit, nobisque aliquot meliores horas non redituras eripuerit, vt illas labori potius perituro, quam multum profuturo, impendere cogeremur.

Quinto denique, et illa dictatoria contra nos verba pudibundus, retrahat et aboleat penitus: *Cur potius faveamus mutationi atque correctioni, quam nec vnius Codicis MSti auctoritas, aut fides probauit? Sed quae tantum coniectura nititur: quum bono Interpreti omnino religio sit, mutare Lectiones, dum Codices silent, bene memori dicti illius Martialis: Improbe facit, qui in alieno Libro ingeniosus est.*

Nimirum hic demum, suo ipsius indicio, se vel maxime prodit Sorex, suoque ipse laqueo capitur, alienamque prorsus, etsi sterilem, messem metit nouus noster Criticus, dum ad Veteres Codices MStos prouocat, quos tamen nunquam vidit, multo minus versauit, aut versare vnquam didicit: Quam ridicule nos de probo boni Interpretis officio admonet, sicque lepide prorsus plus docet, quam didicit ipse, nimius sane in praedicandis doctrinis suis Venditator: Quasi nempe bene calleret, quale demum boni Interpretis esset officium, quo nunquam ipse, omnium autem minime, in hoc ipso Suetoniano loco explicando, functus fuit. Sed quam multa hic ad has minutulas ac vulgares obiectiones facillimo negotio responderi, obsecro, possent, si nos quidem aut otio, aut scribendi voluptate ac voluntate iam abundaremus, aut nobis denique cum homine harum rerum elegantiorum paullo peritiore, hoc loco, res esset? Nempe omnibus doctioribus Viris dudum constat, maioris omnino esse laboris, quam ingenii aut doctrinae, Veteres Codices MStos ab edacibus tineis paene exesos solicita cura versare, et variantes hinc inde Lectiones scrupulose, sine discrimine, colligere: Sed quid tum proderit quaeso, inglorius et inutilis iste Labor, vbi ex vno mendoso Codice antiquo, antiqui illi Errores in reliquos omnes transcribendo, sensim propagati fuerint, qualis tum, obsecro, fides habenda erit venerandis illis et adorandi quasi situs plenis, si Diis placeat, Codicibus? Quale de TACITI, PETRONII, PLINII, APVLEII, VELLEII, OVIDII, immo ipsius nostri SVETONII, item THEOPHRASTI, ARISTOTELIS, ATHENAEI, ARETAEI, APPIANI, AELIANI et aliorum Auctorum Veterum Codicibus MStis, dudum recte obseruarunt LIPSIVS, GRVTERVS, TORRENTIVS, CASAVBONVS, HEINSII, SALMASIVS,

SIVS, BVRMANNVS, ELMENHORSTIVS, PRICAEVS, et praesertim in *Arte Critica*, IO. CLERICVS, conf. FREIND, in *Histor. Med. pag.* 381. et *nostras Obseruat. Crit.* passim: vt taceam iam notissimam vbiuis Veterum Librariorum et Scribarum inscitiam et supinam negligentiam: *) Tum sane magni Laboris, maioris tamen ingenii, et maximi denique iudicii res est, tectas illas et aliis indeprehensas mendas sagaciter indagare, indagatas indicare, indicatas acute, blande et ingeniose emendare, emendatas autem validis argumentis et idoneis exemplis locisque congruis vndique confirmare, sicque ad summum probabilitatis gradum sensim euehere, vt nemo non, velit nolit quasi, eiusmodi ingeniosis et verisimilibus Emendationibus assensum suum statim sua sponte praebere cogatur. Qua insigni sublimioris Artis Criticae felicitate, aeternam nominis sui famam sibi quondam peperisse, arcesque quasi igneas attigisse constat Viros omni aeuo maximos, SCALIGEROS, LIPSIOS, GRVTEROS, LEOPARDOS, MVRETOS, CANTEROS, HEINSIOS, RVTGERSIOS, MEVRSIOS, VOSSIOS, GROTIOS, SALMASIOS, CASAVBONOS, REINESIOS,

*) Hac opportuna occasione, non possum hic reticere lepidissimam illam Historiam de celeb. FVLVIO VRSINO, et quidem purissimae Latinitatis stilo, nitidissime relatam a IANO NIC. ERYTHRAEO, in *pinacothec.* I. *pag.* 10. *peruetustis Codicibus, quorum multos in sua Bibliotheca habebat, immania pretia faciebat: atque illud accidit perridicule, quod, cum die quodam,* FRANCISCO CARDINALI TOLETO, TERENTII *comoedias ostendisset, easque affirmasset, ante annos mille, fuisse conscriptas, ac re vera essent antiquae; sed mire deprauatae atque corruptae, et addidisset, nullam esse pecuniam, quae antiquissimi illius Codicis aestimationi par esset; proh Deus! Cardinalis inquit, quid audio? equidem mallem Codicem vnum, quantumuis recens impressum; sed castigatum emendatumque; quam decem alios mendosos et corruptos, quamuis Sibyllae manu exaratos: Risus omnium, qui aderant, est factus, quum viderent, rerum earum pretia, quae ille in Coelum efferebat, Cardinalis aestimatione, sic concidisse.* Hactenus elegantissimus ERYTHRAEVS, siue vero nomine ROSCIVS. Ex quo memorabili exemplo discant nunc cum rubore, isti Veterum Codicum admiratores nimis religiosi, aut rectius, superstitiosi; quam parum illis saepius sit fidendum, vtpote a scribis mercenariis, rerum et linguarum plerumque admodum imperitis, exaratis! atque hinc ingenium noui Critici felix, foecundum, perspicax et praesertim modestum, plus omnino valere et conferre ad emendandos Veteres Auctores; quam MStor. Codd. obscura, ambigua et fallacia Oracula, aut Sibyllina folia. Conf, CLERICI *Art. Crit. Part.* III. l. 3. SALMES. CASAVB. et alios.

PALMERIOS, GRONOVIVS, RVBENIOS, aliosque plures, quos noſtra aetate paribus fere paſſibus glorioſe ſequuti ſunt BOSII, KVSTERI, BENTLEII, WESSELINGII, HEMSTERHVSII, ARNALDI, ALBERTII, BERNARDI, MARKLANDI, TAYLORII, DAVISII, HORREI, HERINGAE, ABRESCHII, REITZII, YONCKII, ROEHRII, GOENSII, LENNEPII, SCHRADERI, VALKENARII, aliique plures, qui ingenti elegantiorum Literarum Commodo, maximam partem, adhuc viuunt, quibusque eximiis plane Reipublicae literariae ornamentis longiſſimam vitam apprecamur. Illos autem temerarios, praecoces, importunos et violentos Criticos e contrario, merito damno, qui ſanos Auctores vulnerant prius ipſi, vt ſanent, et nodos nectunt, vt ſolvant, *quid enim boni eſt, nodos operoſe ſolvere, quos ipſe, vt ſolveres, feceris?* vt grauiter quaerit, ni fallor, SENECA, *quique demum in veteribus Libris reperta imperite mutare ſolent, et dum Librariorum inſectari volunt inſcitiam, ſuam confitentur,* vt acute ait QVINCTILIANVS.

Ex his igitur nunc tandem malus noſter boni SVETONII Interpres bonas, ingenioſas et veriſimiles probi Interpretis ac Critici coniecturas melius aeſtimare, et maiore in pretio, ex dignitate ſua, habere ſerio diſcat, relinquatque Veteres Codices, et eorundem emendationes, arduasque Artis Criticae leges ac rationes ſibi plane incompertas, iis felicioribus aliquanto ingeniis, quae pares tanto negotio vires, pauciſſimis mortalium proſperius tractando, benigniore Coeli fauentis munere, quondam acceperunt, atque

laetas Artes, Vitaeque colendae
Invenere viam, nec dedignanda Parenti
Carmina fuderunt Phoebo.

Amice ergo candideque rogo ſic illum harum arduarum rerum plane expertem tironem, vt ſic monitus caueat, ne forte negotii quid incutiat ſibi ſanctarum inſcitia Legum, iſti quidem Arti ingenioſae non minus, quam periculoſae, impoſitarum, vti iamiam luctuoſo exemplo oſtendit in explicando SVETONIO.

Ceterum

Ceterum nescio sane, quid sibi velit idem nouus noster MARTIALIS forte nunc primum ipsi visi Lector improbulus, dum illa ipsius verba plane quidem inconuenienti modo, maligne tamen in nos detorquet: *Improbe facit, qui in alieno Libro ingeniosus est:* Poëta enim ibi, vt vel pueri vident, loquitur aperte de malignis, lasciuis ac satyricis suorum Epigrammatum interpretamentis, a male solertibus et in ipsius solum damna ingeniosis tantum Lectoribus inique excogitatis, quod vel euidentissime liquet ex proxime antecedentibus ibidem: *Absit a iocorum nostrorum simplicitate malignus Interpres, nec Epigrammata mea scribat,* vbi omnino videndi Enarratores lasciui illius Poëtae.

Sed quid hoc quaeso, ad Suetonium, nostramque in eum coniecturam, qua potius plurimum adiutus, quam deprauatus fuit, vt liquidissime ostendimus? Ego autem hinc potiore iure, iisdem quidem Martialis verbis, verissime contra pronuncio: improbe facit, qui ex alieno labore ingeniosus, et de raptis opibus liberalis est; improbe facit, qui ea se scire profitetur, quae nunquam didicit: improbe facit, qui secum non habitat, nec scire vult, quam curta ipsi sit eruditionis suppellex; improbe facit, qui ea confutat, quae non intelligit; improbe facit, qui alienae famae incumbit, quique in alieno foro litigat; improbe facit, qui in tenui re, maiores nido pennas extendit: improbe facit, qui vecordem parat excitare rixam, vt sic perueniat in ora vulgi; improbe facit, qui munus appetit, cui ferendo non est, quum aptari onus viribus debeat; nec plus occupari, quam cui sufficere quis possit: improbe facit, qui alienae obtrectandi libidini sua vernili vilique opera turpe inseruit; improbe denique facit, qui

fragili quaerens illidere dentem,
Offendet solido.

Immo ita hunc improbum Censorem cum CICERONE ipso, postremum alloqui hic liceat: *Quid tu, Vir optime? ecquid habes, quod dices? mihi ausculta: Multa proterve,* (longe durius atque atrocius hic ipse loquitur CICERO, vt ibi videri potest,) *multa audaciter, multa improbe fecisti: vnum inconsideratissime, profecto tua sponte etc.* Eat ergo nunc

improbus Cenſor, Viroſque probos, nec male de ipſo meritos, improbitatis inſimulare inpoſterum, ſi ſapiat, ſerio erubeſcat.

His itaque ſaluberrimis monitis iam opipare potius, quam aeſtive, viaticatus, in Thermas demum Carolinas ocyus, bonis avibus, abeat, et aliquando aere vel auro grauis, propitiis fatis, ad ſuos redeat: Haec pia noſtra atque ingenua ſunt vota, quibus ipſum proſequimur.

Finire iam volebam, et manus ſpectabat ad clauſulam; quaedam tamen adhuc, Lectorum quidem, vt ſpes eſt, pace, his ipſis adiicienda videbantur: Ex his nempe in iſtum locum Suetonianum longe lateque hactenus diſputatis, ad quem nobis aliquantiſper adhuc, quaeſo, regredi liceat, nunc liquidiſſime, niſi fallor, patere arbitror, noſtram in eundem coniecturam criticam, qua legendum nobis videbatur, et adhuc vel maxime videtur: *Remedio Habenarum atque Arundinum confirmabatur,* non ſolum ingenioſam videri, id quod nec ipſi aduerſarii, quamvis ringentes et inviti, negare prorſus audent; ſed et adeo veriſimillimam eſſe, immo vero proximam. Manifeſtiſſime enim hactenus demonſtrauimus, Habenas atque Arundines, ſiue, quod idem, Ferulas, ſemper vna coniunctas deprehendi: porro, easdem Habenas et Arundines membris fractis, luxatis, claudicantibus ac malefirmis, in firmamentum atque fulcimentum vacillantis corporis, adhibitas fuiſſe: et denique iſtas Ferulas olim frequentiſſime ex Arundinibus fuiſſe confectas. Quibus omnibus nunc demum ipſum accedit verbum SVETONIANVM, *confirmabatur:* quo ſcilicet noſtra ſententia tanto magis confirmatur. Significantiſſime enim, et ex ipſius Artis Chirurgicae vſu regulisque, peritiſſime, iſto quidem verbo vſus hic fuiſſe SVETONIVS iure videtur: quoniam e ſedula veterum Medicorum Lectione affatim conſtat, illas circumpoſitas Membris luxatis fractisque, ope Habenarum, Ferulas, ſeu Arundines, vocatas olim fuiſſe *fulcimenta, ſtabilimenta* et *ſuſtentacula,* quia nempe luxa laxaque Membra confirmarent, item repoſita in ſuam ſedem naturalem oſſa fracta continerent, ac ne rurſus ſuo loco elaberentur, firmando, conſtringendo ac fulciendo, prohiberent: quemadmodum ſic Graecis pariter Medicis, νάρθηκες ſeu κάλαμοι, etiam vocantur στηρίγματα et ὑποστηρίγματα, ἀποστηρίγματα,

item

item ἐρείσματα, ἐρμασμοὶ, ἐρύματα, ἕρματα, ἐρμάσματα, παρέρματα, et παρερμάσματα; et ipſa earundem actio, ſeu vſus, dicitur ϛηρίζειν, ἐρείδειν, ἐρμάζειν, ἐρματίζειν, ἑδράζειν, φρουρεῖν, φυλάττειν, ἐρηρεῖσθαι, ἡρμάσθαι, et κρατύνεσθαι: quae verba omnia vnum idemque paene ſignificantia, nempe *firmare*, ac *confirmare*, vt notum, frequentiſſime reperiuntur in Libris HIPPOCRATIS Chirurgicis, de *Officina Med. de Articulis, Fracturis, etc.* et praeſertim in GALENI in eosdem Commentariis luculentiſſimis: Quae omnia loca huc congerere, operoſae potius, anxiae et ſcrupuloſae, quam vtilis, amoenae ac neceſſariae foret profecto operae: Interea euoluat, ſi cui forſan volupe, *Opp.* GALENI, *Tom.* X. *pag.* 147. ſqq. et *Tom.* XII. *pag.* 79. 80. 95. 111. 191. 438. et *pag.* 377. vt alia fere innumera iam ſtudio praeteream: addatque his, ſi quidem lubet, quae ea de re, vberius quondam notauit in *Oeconomia Hippocrat.* FOESIVS, vocibus: Ἔρεισμα, Ἑρμάζειν, Ἑρματίζειν, et Ἑρμῆσαι, item GORRAEVS, in *Definitionibus Med.* ne alios iam commemorem.

Licet autem haec ipſa noſtra Coniectura SVETONIANA adeo vſque probata, confirmata et vndique circummunita ſit, vt omnibus venuſtioribus erectioribusque ingeniis hactenus mirum in modum placuerit, abſit hic vana iactantia! atque inpoſterum quoque ſemper, vt fiducia eſt, ſit placitura; illos enim vmbraticos Scholaſticos, et acutulos minutosque doctores parum curo, qui tetra inuidia agitati, fruſtra contra nituntur: at illam ipſam tamen nunquam ipſi tanti fecimus, nec vnquam faciemus, vt eam mordicus defendamus, aut ea propter vadimonium quaſi deſeramus; quum multae ſane eiusmodi coniecturae et emendationes hac ipſa ſaepe meliores, nobis quotidie fere naſcantur et rurſus pereant. Neque enim in hac ambigua coniecturali Arte Critica, de rebus maximi momenti, v. g. de opima Attali hereditate cernenda, de Carthagine delenda, Numantia exſcindenda, de Lege Agraria abroganda, ſimilibusque arduis negotiis tractatur: Sed de meris tantum Syllabis, voculis, aut literulis, ſuſpicionibus, hariolationibus, immo et inſomniis, acres quidem, at inanes et ridiculae ſaepis velitationes agitantur; propter quas ſane meliores fugacis noſtrae Vitae horas

incaſ-

incaſſum perdere haud decet. Conf. huc DAN. HEINSII *Orat. funeb. in* IOS. SCALIGERVM, item huncipſum, LIPSIVM, BARLAEVM et alios, laudatos iam nobis hanc in rem, in praefat. ad *Obſeruationes* noſtras *Criticas.* Quare et ipſe adhuc ſemel ingenue doleo, me certis rationibus vrgentibus, etſi inuitiſſimum, hic eo demum adactum fuiſſe, vt tempus haud rediturum, cuius alias ſum, vt decet, ſtudioſiſſimus Obſeruator, et parciſſimus cuſtos ac diſpenſator, grauioribus magisque profuturis negotiis deſtinatum, tenui huic, inglorio, nullosque habituro triumphos labori impenderem. Saepe enim, conſcientiam hic meam teſtor, inter ſcribendum, mecum illud poëtae exclamavi, ſi parua quidem magnis componere hic liceat:

Teſtor ad has acies inuitum arceſſere Martem,
Inuitas me ferre manus; ſed vulnere cogor.

Mihi enim perinde profecto eſt, ſemperque perinde erit, ſiue quis in noſtro SVETONII Loco, inpoſterum legat *Habenas,* metuens ſcilicet pendentis habenae; ſiue *Arenas,* in quibus luctetur, aut ruiturum aedificium collocet; ſiue *Araneas,* quo ſtreperas muſcas culicesque rotundos captet; ſiue denique *Auenas,* quo habeat, vnde ſe paſcat, ſi hic quidem ita iocari obiter liceat: Immo etiam ipſas *Arundines* infeliciter mutet in foedas *Hirudines,* vt non neminem feciſſe, obſeruauit celeb. REITZIVS, in *Apologia, contra Miſcell. Lipſ. pag.* 40. Haec omnia, inquam, nobis ſemper perinde, et vno eodemque loco erunt:

Per me equidem ſint omnia protinus alba,
Nil moror, euge! omnes, omnes bene mirae eritis res.

Neque proinde noſter hic Aduerſarius, neque vllus alius, etiamſi rigidus ac ferox Hypercriticus Alpinus fuerit, nouam ad ſuas nouas forſan Obiectiones, a nobis reſponſionem inpoſterum expectet: ſiue enim quis maiores contra nos Libros, quam duo Caeſaris Anticatones fuerint, aut Annales adeo Voluſianos, conſcripſerit, nullum tamen, nullum inquam, a nobis iuſtum reſponſum, niſi forſan in tranſitu, et aliud quaſi agendo, laturus eſt. Inſurgat ergo, per nos quidem licet, inſurgat ergo, noſter oſtentationis ſtudio loquacior Aduerſarius, quoties ipſi libuerit; neque enim dubitamus, immo ipſa iam fama praecipimus,

ipſum

ipſum remoto ſemel pudore et metu, in nos tela ſua plumbea ſtrictu-rum, quod ipſi ſane non difficile: et iam factum eſt, vt audio, edita longa, verboſa et aculeata apologia, etiam criticis nonnullis ſpiculis contra noſtras emendationes, leuiter armata; quae vero arma aliena vnde ipſi denuo ſuppeditata fuerint; iam cuiuis notum eſt. Ego vero alterum iſtum lepidum nouum libellum, arida modo pumice expolitum, aut forſan impolitum, nondum vidi, nec videre vnquam aueo. Iſti tamen, qui obiter tenellum iſtum foetum inſpexerunt, affirmarunt mihi ſerio, nihil fere ibi deprehendi aliud, quam veteres illas naenias iterum verboſe repetitas, et crambem non bis, ſed decies, ad nauſeam, coctam, et in taedium legentium, fidenter nimis, propoſitam. Semper enim dapibus abundant, qui aliena quadra viuunt, neque inermes plane eſſe poſſunt, quibus ex alieno Armamentario tela ſubminiſtrantur.

Nos tamen bonas Vitae noſtrae ruentis horas longe melius profecto collocare ſcimus; quam eiusmodi diſputatiunculis inanibus, nullos, aut perquam exiguos habituris fructus, male perdere. *Nati enim*, bene monente SENECA, *ſumus, non, vt verba priſca, aut ficta captemus, et translationes improbas figurasque dicendi; ſed vt profutura praecepta, et magnificas voces, et animoſas, quae mox in rem transferantur: Sic ergo iſta diſcamus, vt, quae fuerunt verba, ſint ipſa opera. Operoſe enim nihil agunt, qui in Literarum inutilium ſtudiis detinentur, aut in huiusmodi ſcrupulis diutius morantur, quibus nullum prorſus emolumentum ſolidum ineſt, quod ad ipſam Vitae prudentioris rationem pertinere poſſit.*

ADDITAMENTVM.

Quoniam vacui quid ſpatii hic adhuc reſtat; illud Lectorum in gratiam atque commoda, ita, ſi lubet, impendamus, vt Cenſoris noſtri praecipua, ſi qua ſint, argumenta in arctius compendium miſſa, hic vna exhibeantur, additis tamen ſimul vbiuis, Reſponſionibus noſtris, breuiſſimis quidem, at, vt ſpes eſt, ſolidiſſimis ac grauiſſimis.

I.) Nimis confidenter traditur, Auguſtum duplici Arthritide, calida nempe, ac frigida, vexatum, atque hinc duplici quoque me-

dendi Methodo, vna ſcilicet calida, altera autem frigida, curatum fuiſſe: Sed hoc ipſum frigide potius, quam calide, aut callide, aſſeritur; neque vllo modo, ex ipſis quidem SVETONII verbis probari, immo ne acerrimis quidem fidiculis inde extorqueri poteſt; vt latius ſolidiusque ſupra oſtendimus.

II.) Magnum falſae illius ſententiae de Arthritide, ſeu Iſchiadico dolore AVGVSTI, quaeritur quidem praeſidium in illa aurea particula *Saepe, vt ſaepe etiam inde claudicaret:* Sed fragile illud eſt et ficulneum plane: Quoniam nempe ſaepe claudicaret Auguſtus, ſi ſaepe tempeſtates mutarentur, atque hinc vitioſi humores, Catarrhi ac Rheumatiſmi in illas corporis partes ſiniſtras, debiles iam, luxas ac laxas, ſaeuius et copioſius incumberent, ita, vt hinc etiam anniuerſarias ac recurrentes ſtatis temporibus valetudines ſaepius ipſe experiretur, ipſo monente SVETONIO; vel etiam, ſi os femoris relaxatum, remiſſum ac mobile nimis, ſede ſua ſaepe excideret, inde igitur et neceſſe erat, vt *ſaepe Habenarum atque Arundinum Remedio confirmaretur.*

III.) Temere hinc negatur, Os femoris ſaepius ſua ſponte, ſede ſua excidere poſſe; quod tamen multis Locis grauiſſime aſſerunt ipſe HIPPOCRATES, GALENVS, ASCLEPIADES, ORIBASIVS, aliique, plures, tam veteres, quam recentiores Chirurgi praeſtantiſſimi; vt latius ſupra demonſtrauimus. *Impar ergo Congreſſus Achilli etc.*

IV.) Per Arundinum Remedium, ſtatuitur, intelligendas eſſe ipſas Arundinum Radices cum Aceto tritas: inaudita ſane et incredibili prorſus audacia: Sic etenim quoduis ex quouis facere licebit, ipſum aurum ex plumbo fiet, et ipſa quadrata hinc inde, ſua ſponte, diſcurrent. Vnde enim, quaeſo, nouit illud iſte nouus SVETONII Interpres niſi aliquo diuino Numine afflatus, aut arcano quodam ipſius SVETONII Commentario, edoctus.

V.) Arenas calidas et Arundines cum Aceto tritas ſaeuos Arthritidis dolores mitigare et obtundere poſſe, aſſeritur quidem vtcunque ſed non ſatis probatur: Illud vero, quod potiſſimum hic probandum erat, plane omittitur; nempe per Arenas illas feruidas, et Arundines

cum

cum Aceto tritas, ipſam claudicationem inueteratam tolli et emendari poſſe, quod et nunquam probari poteſt.

VI.) Seuere nunc ipſi praecipitur SVETONIO, vt magis Latine in poſterum ſcribere diſcat, quoniam nempe Latinum minime ſit: *Remedio Habenarum atque Arundinum, confirmabatur:* Indeque vel maxime dubitandum, an vſus inſtrumentorum externorum, quibus ad operandum, vtuntur Chirurgi, *Remedium* proprie vocari queat? SENECA tamen *Lib.* III. *de Ira, cap.* 39. *Scalpellum* tumenti mammae clanculum admotum, h. e. Inſtrumentum externum, quo ad operandum vtuntur Chirurgi, manifeſtiſſime vocauit *Remedium,* item et CELSVS, et SCRIBONIVS LARGVS, qui ipſos *Forcipes* dentium dolentium *Remedium* pariter dixit, vt alia plura iam taceam, ſuperius producta. Eat nunc hic ſeueriſſimus melioris Latinitatis iudex, et etiam SENECAM alioſque probos Auctores adductiore ſupercilio doceat, vt in poſterum ita Latine ſcribere diſcant, nempe vt ipſe ſcribit Cenſor noſter Veteris Romani ſermonis peritiſſimus ſcilicet, et ipſo beatiore AVGVSTI aeuo digniſſimus.

VII.) Negatur, *Ferulas* atque *Arundines* apud veteres Chirurgos Synonyma fuiſſe; ſed fruſtra plane et imperite; ſicut euidentiſſimis exemplis ſupra oſtenſum.

VIII.) Audacter aſſeritur, fracta grauius oſſa arundineis tantum foliis circumliganda eſſe, omiſſis plane ferulis, aut Arundinibus, in neceſſarium plane fulcimentum adhibendis; quod tamen et ſanae rationi, et ipſi inprimis experientiae chirurgicae manifeſtiſſime aduerſatur, vt vel primuli Chirurgorum Tirones ſatis ſuperque norunt.

IX.) Non conceditur, de Ferulis, ſeu Arundinibus dici poſſe, quod *circumponantur, circumdentur, circumiiciantur,* et *circumducantur* Membris nempe fractis, atque hinc earum Remedio ac Miniſterio, fulciendis: Ita tamen plane loquuntur ipſe CELSVS, COLVMELLA, VEGETIVS et alii: quemadmodum et Graeci, περιθεῖναι, et κύκλῳ περιθεῖναι νάρθηκας, ἢ καλάμȣς, frequentiſſime dicere ſolent, vt ſupra vberius oſtendebamus.

X.) Dubitatur denique de *vſu Arundinum chirurgico*, loco *conſuetarum Ferularum:* ſed liquidiſſime tamen ſcripſit PALLADIVS in *Schol. ad* HIPPOCRATIS *Libr. de Fracturis*: δεῖ τούτης νάρθηκας παραλαμβάνειν, ἢ ξύλα φιλύρινα, ἢ εἰμηδὲν τούτων εὑρεθῇ, δεῖ Καλάμους λαμβάνειν: et Auctor *de Remed. Parabil. Lib.* III. apud GALENVM: πρὸς κλάσμα ὀστέων. Καλάμωσον, καὶ φασκίωσον, καὶ Ἰᾶται: denique PHOTIVS in *Lex. MSt.* νάρθηκας καὶ καλάμους, οἷς δέσμουσι τοὺς τὴν κνήμην κατάξαντας, hem! quid clarius obſecro, quid manifeſtius? quid ad ipſam noſtram ſententiam tuendam ac confirmandam, validius? Quibus accedunt bina illa primaria hanc in rem loca, e Scriptoribus Rei Accipit. allegata, quae tamen Aduerſarius peſſimis ſuis, horridis ac ſqualidis plane verſionibus, adeo vſque corrupit, peruertit ac dilacerauit, vt nullus inde ſanus ſenſus erui poſſit, vti liquidiſſime, ſed non ſine acerba indignatione, demonſtrauimus.

Haec ergo ſunt illa grauiſſima ac luculentiſſima Argumenta, quibus inductus potiſſimum atque permotus, Epiſtolam ſuam illam Medico-Criticam ſic dictam, ab aliis prius ſcriptam, contra nos ſcripſit celeberrimus ille aliena laude Cenſor: ex quibus nunc eruditus et aequus Lector facillime, opinor, perſpiciet, qualibus armis, nempe ex ipſa illa Βατραχομυομαχίᾳ Homerica depromtis, nos adgreſſus fuerit iſte ſtrenuus, vt ita dicam, Aiax Sophocleus: Sed ſatis iam de his.

Bina adhuc pauciſſimis monenda, quae forte mihi in oculos incurrunt, dum relego adhuc ſemel belliſſimam illam Epiſtolam omni ſcilicet aeuo victuram.

I.) Gloriatur nempe Vir in ſaeculi nondum nati gloriam natus, fol. IV. ſeſe meam iſtam Emendationem Suetonianam contra nonnullos ſtrenue defendiſſe, aliisque magnis Viris commendaſſe: μεγάλη χάρις αὐτῷ: Sed *non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis tempus, aut* SVETONIVS *eget.*

II.) Deinde fol. XII. Locum ARETAEI corruptiſſimum et omnis ſani ſenſus expertem, ceu ſanum tamen, atque integrum, adducit, nempe hoc modo: Καὶ γὰρ οἷσι τῶν εὖ βδελυκτέων ἡδονὴ; quum tamen forſan legendum ſit: Καὶ γὰρ οἷσι τούτων ἐν βδελυκτὸν, ἢ ἡδονὴ, vel ἢ ἡδονικὸν,

ἡδονικόν, ſenſu ſane liquidiſſimo, ſiue et aliis modis, vt oſtendimus iam olim, in noſtris in ARETAEVM, *obſeruationibus criticis, pag.* 518. *Edit.* BOERHAAV. vbi et vid. PETITVS, in *Comment. pag.* 215. qui tamen Medicinam paullo violentiorem iſti deprauatiſſimo loco ibidem adhibet. Hic ergo fatidica Phoebi Cortina acutiſſimum noſtrum Cenſorem fefellit, et Oracula ipſius Tripodesque plane obmutuerunt: Interim vel exinde liquido ſatis patebit, quantus in Graecis ſit Heros atque Hector. Sed nunc eum quidem in pace dimittamus, hem! tempus eſt.

Diu ſane mecum deliberaui, vtrum hanc ipſam *alteram Exercitationem* SVETONIANAM huic noſtrae *Opuſculorum Syllogae* insererem; an vero de cenſu reliquorum conſultius excluderem? Quod ſcilicet ante hos quindecim annos, vigente adhuc aetate, ex iuſta indignatione, concitatiore aliquanto animo ſtiloque acriori, ſubito eſſet effuſa. Et, vt ingenue fatear, iam canus et languidus ſenex factus, tranquillitatis pacisque amantior, propendebam magis in hanc poſteriorem ſententiam. Taedebat quippe, litem hanc ingloriam, dudum ſepultam, denuo quaſi ex abditis cryptis ſuſcitare, et nouum veluti claſſicum intempeſtiue canere. Quum vero interea de hoc meo conſilio quidquam auditu percepiſſent literatiſſimi nonnulli, praeſertim apud exteros, amici, item quidam apud nos, illuſtriſſimi patroni, quibus obſequium debeo; ſerio me admonuerunt ac rogarunt, ne opuſculum illud, quod ſemel placuiſſet, honeſtae Lectorum elegantiorum voluptati rigide nimis ſubtraherem, quod rebus ipſis ſat bonum, ſtilo autem ſimul non malum eſſet. Quod ſiue blandum praeiudicium, ſiue iuſtum iudicium, quod tamen rarum alioquin eſſe ſolet in amantibus, teſte SYMMACHO, me tandem diu dubitantem et cunctantem, eo impulit, vt imperioſis illorum precibus parerem; ſub ea tamen lege, mihimet ipſi ſeuere impoſita, vt omnem hanc Exercitationem denuo quam diligentiſſime perlegerem, ſtili inprimis acrimoniam lenirem ac diluerem, et admota veluti ſubtiliore lima, aſperiora vbique emollirem et complanarem. Vtinam vero ſemper ex voto quidem meo, illud exequi licuiſſet! Sed totum tunc opuſculum noua quaſi incude recuden-

dum, et in recentem veluti formam transmutandum fuiſſet; a quo tamen moleſtiſſimo labore me omnino deterrebat ipſa aetas prouectior, et alius praeſertim iam dudum ſuſceptus labor, longior quidem; ſimul tamen vtilior.

Ceterum, vnum adhuc paucis monendum, de peruerſiſſimis nimirum et iniquiſſimis quorundam diariorum ſcriptorum iudiciis, aut foediſſimorum potius conuitiorum plauſtris, quae in hoc ipſum ſcriptum, velut ex compacto, duriſſima rudiſſimaque ruſticitate, effuderunt: quaſi vero ſummum et atrociſſimum commiſiſſem flagitium, quod in audacem iſtum ac confidentem nimis aduerſarium, ab aliis malignis et inuidis, noſtri nominis obtrectatoribus, clam ſubornatum, tam animoſe atque acriter ſcripſiſſem. Sed, ſi boni iſti, aut mali potius, Viri ipſos veros fundos fonteſque, et intimos praeſertim occultiſſimarum machinationum receſſus accuratius cognouiſſent, ex quibus nempe Scriptum illud blando ſubtilique Veneno imbutum, aduerſus me, emanauit; tum ſane haud dubie mitius, aequius et modeſtius iudicaturi fuiſſent; praecipue, ſi prudentius meminiſſent moniti illius iuſtiſſimi CELSIANI, *e Lege* 24. *ff. de Legg.* notiſſimi: *Inciuile eſt, niſi tota Lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita, iudicare, vel reſpondere.* Quare ſerio nunc pudeat mercenarios illos Relationum publicarum et diariorum de rebus doctis, fabricatores, aut rectius, mendaciorum publicorum clamoſos inſtitores, virulentae ſuae et atrae bilis, plenis veluti habenis, in nos prorſus immerentes, ferociſſime effuſae, poeniteatque ipſos, ſi modo poſſint, iudicii ſui, ab omni aequitate, ciuilitate et ipſa honeſtate alieniſſimi.

Sunt enim iſti, ſunt profecto, Cenſores vitio creati, qui nullo prorſus diſcrimine habito, quemuis obuium, etiam optimum et innocentiſſimum, impudentiſſime allatrant, eiusque famam in ſuis inficetis et male perituris chartis, acerbiſſimis contumeliis, et continua quaſi rabie, lacerant. Quibus proinde merito conuenit iſtud QVINCTILIANI: *Hi eos, qui plus honoris literis tribuerunt, et ineptos, et ieiunos, et trepidos, et infirmos, et quodcunque verbum contumelioſiſſimum occurrit aliud,*

aliud, appellant. His autem saeuis horridisque Catonibus et asperrimis Rhadamanthis omnes vrbanioris notae et cultioris mentis homines, ex iusto contemtu, mecum, illud acclamant PETRONII: *Aut tacete! aut meliorem nolite molestare, qui vos ne natos quidem putat.*

EXERCITATIO TERTIA.

DE

CLYSTERVM NVTRIENTIVM ANTIQVITATE ET VSV.

Enematum, siue clysterum varia esse genera, variasque, pro diuersorum morborum ac caussarum ratione, compositiones, et varios denique scopos atque vsus, vt Medicos iam praeteream, ne ipsum quidem vulgus hodie ignorat.

Propter diuersam enim, quam obtinent, facultatem, alii clysteres dicuntur purgantes, alii emollientes, alii adstringentes, alii anodyni, alii detergentes, alii discutientes, alii consolidantes, alii refrigerantes, alii sarcotici et epulotici, alii denique, vt finem faciam, anthelmintici, siue vermes necantes et expellentes, de quibus diuersis clysterum generibus, vt iam GALENVM, ORIBASIVM, AETIVM AMIDENVM, PAVLLVM AEGINETAM aliosque veterum praetermittam, data opera egerunt PHILIPPVS GRVLINGIVS, SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, AMBROSIVS PARAEVS, VICTOR TRINCAVELLIVS, ZACVTVS LVSITANVS, GOTHOFR. MOEBIVS, IO. LANGIVS, RONDELETIVS, WECKERVS, IO. THEOD. SCHENCKIVS, et vt plures alios iam studio sileam, nouissime REGNERVS DE GRAAF, celeberrimus ille Anatomicus. Dari vero etiam *clysteres nutrientes*, seu alimentarios, de eo acris adhuc lis praestantissimos inter Medicos agitatur, aliis nimirum affirmantibus, aliis contra, vt fieri solet, negantibus ac renitentibus.

De istorum igitur *clysterum nutrientium antiquitate et vsu*, oblata hic mihi commode occasione, quaedam iam differere animus est, quantum

nempe

nempe temporis, et praesertim chartae, spatium circumscriptum nobis permittet.

Sunt autem eiusmodi clysmata nutrientia diuersae confectiones ac compositiones liquidorum generosiorum, praecipue iurulentorum blandorum, subpinguium, glutinosorum, vimque nutriendi sua natura habentium, quae summa necessitate vrgente, impedita nempe ac denegata libera cibos capiendi facultate, per atrociores gulae, linguae, faucium ac ventriculi morbos, casus, tumores, paralyses, inflammationes, vulnera, vlcera et similes plures calamitates, expurgatis prius crassioribus sordibus, ipsisque intestinis emundatis ac detersis, in aluum ex inferioribus partibus, repetitis vicibus, sensim iniiciuntur, vt corpus nimirum, iustis suis alimentis tunc defraudatum ac longis ieiuniis exhaustum, paulisper reficiatur, et nutrimento quasi vicario, ad aliquod tempus, erigatur et irrigetur, ne plane emarcescat ac subito concidat.

Ista vero vt plurimum parantur ex iure pingui carnis vitulinae, bubulae tenerae, agninae et hoedinae, item caponis, gallinae altilis, pulli gallinacei, nec non vngulis ac trunculis vitulorum et porcellorum, vel ex cremore ptisanae hordeaceae, alicae, oryzae, amyli, lenticulae, et panis, vt et ouis hapalis, item sorbilibus, lacte quoque, et medullis diuersorum animalium, nonnunquam etiam, etsi parce, vino, cum tantillo salis, aut sacchari: quae nempe omnia blandis viribus alimentariis abundare, nemo non statim intelligit, ipso scilicet vsu edoctus.

Quales nutrientium clysterum compositiones, ne veteres ipsos commemorem, mox seorsum cum cura laudandos, describunt passim IO. LANGIVS, *Epist. Med.* LXXX. Lib. I. *pag.* 440. *seqq.* LAZAR. RIVERIVS, *Prax. Med. Lib.* XVII. *Cap.* I. *pag.* 506. ZACVT. LVSITANVS, *de Medicor. princip. Hist. Lib.* I. *Dub.* V. *pag.* 79. REGNERVS DE GRAAF, *de Clysteribus*, *pag.* 510. *Opp.* HERM. BOERHAAVE, *Lib. de Mat. Med. pag.* 113. et ex eo GAVBIVS *de Methodo concinnandi Formulas Medicamentor. pag.* 378. STALPART. VAN DER WIEL, *Obseru. Med. rar.* XXV. *Cent.* I. *pag.* 106. *Part.* I. cum iis, quos ibi larga copia laudat, auctoribus, item IO. THEOD. SCHENCKIVS, in *Syntag. componendi et praescribendi medicamenta*, *Cap.* V.

pag.

pag. 128. et IO. RENODAEVS, in *Dispensat. Med. Lib.* V. *Cap.* V. *pag.* 224. aliique plures, quos studio iam, ad vitanda fastidia, taciti praeterimus. Inprimis tamen omnium accuratissime hac de re egit praestantissimus AMBROSIVS PARAEVS, *Lib. de Medicamentorum Facultatibus, Cap.* XXII. *pag.* 789. *Opp.* Cuius ipsa proinde verba digna nobis omnino videntur, quae huc translata, hic infra ponantur: *Alimentarii clysteres fiunt ex decocto pullorum, caponum, gallorum ad putrilaginem vsque coctorum, et fortiter expressorum. Parantur etiam ex medulla, gelatina, et similibus, quae coctu faciliora sunt, quam quae vulgo per os sumuntur: quod intestinis, quam ventriculo, longe debilior sit coquendi facultas. Paratur etiam saepe eiusmodi clysterum materia in vino, vbi febris abest et cephalalgia: saepius in hordei decocto et in lacte, additis quorum vitellis, affunditur saccharum album, sed parca manu, ne detersoria vi intestina ad excretionem irritet.* Hactenus quidem PARAEVS, vbi et in sequentibus mox aliquot concinnas eiusmodi clysmatum nutrientium formulas subiungit, quae a quouis, per otium, ibidem legi et notari possunt.

Vnde autem ista clysmata nutricantia primam suam originem duxerint, quiue illorum, in generis humani commoda, princeps fuerit auctor, repertor, aut certe monstrator, de eo quidem nondum satis liquido constat eruditos inter auctores medicos. ZACVTVS enim LVSITANVS, *Lib.* I. *de Medicor. princip. Hist. pag.* 78. aliique cum eo, vt et celeb. MORGAGNVS, *Epist. I. in* CELSVM, *pag.* 13. pluresque, qui tantum ducem sequuntur, vnanimi fere consensu tradere non dubitant, ipsum CORNELIVM CELSVM, virum arte et facundia iuxta insignem, egregii huius contra morbos quosdam desperatissimos praesidii omnium primum mentionem fecisse, atque clysterum nutrientium vsum et opportunitatem primo loco literis mandasse.

Et fatendum est profecto ingenue, inter priscos latinos Medicos neminem facile reperiri, qui ea de re palmam nostro Celso praeripiat: qui enim eiusdem generosi et salutaris remedii deinde passim meminerunt, magni quoque nominis Medici, vti CAELIVS AVRELIANVS et THEODORVS PRISCIANVS, tempore tamen ipso CELSO sunt seriores, et scribendi quoque genere aliquanto incomtiores.

Interea autem, quum et CELSVS, et reliqui ipſum ſequuti, modo laudati, omnia, quae habent bona ac profutura, veteribus graecis Medicis ſolis fere debeant, vt ipſi candide fatentur; hinc dubitationi nullus paene amplius relinquitur locus, altius omnino repetendam eſſe illam enematum nutritiorum originem, et ad ipſos potius Graecos, ceu omnis in Medicina praeclari fontes, referendam.

Neque id ipſum profecto penitus ignoraſſe videtur primus rationalis medicinae conditor ac parens, HIPPOCRATES, cuius ſcilicet haec ſunt verba notatu certe digna, in Libro, *de Diaeta ſalubri*, pag. 629. Ἔστω δὲ τὰ κατακλύσματα τοῖσι ξηροτέροισι καὶ προσεσταλμένοισι καὶ ἀσθενεστέροισι λιπαρώτερα καὶ παχύτερα. ἔστι δὲ τῶν κατακλυσμάτων τὰ λιπαρὰ καὶ παχέα, ὅσα ἀπὸ τῶν γαλάκτων, καὶ ἀπὸ ἐρεβίνθων ὕδωρ ἑφθὸν, καὶ τῶν ἄλλων τοιούτων. *Sint autem clyſmata pro ſiccioribus, et gracilibus ac debilioribus, pinguiora et craſſiora: Craſſa autem et pinguia clyſmata ſunt, quae ex diuerſo lacte fiunt, et cicerum decoctum, et alia huiuſmodi.* Conf. quoque HIERONYMI RVBEI *commentarius in Celſi librum* mox laudandum; ſed eo tamen in loco, HIPPOCRATEM de alia potius re loquutum fuiſſe, arbitratur celeberrimus MORGAGNVS, *epiſtola in Celſum prima*, paullo ſuperius iam commendata. In Libro tamen de *Internis Affectionibus*, *extremo*, *pag.* 268. *Tom.* II. *Opp.* illum, cui in pectoribus haeret quaſi cibus et ſuffocationem inducit, praecipit κλύζειν ἐν πτισσάνῃ ἑφθῇ τῇ λεπτῇ, καὶ μέλιτι, *Clyſtere ſaepius reficere, ex ptiſana cocta tenui, et melle parato;* ptiſanam vero Melque ipſum nutrire, neminem Medicorum, opinor, fugit. Denique etiam in ſynanche, tertio quoque die, clyſma iniiciendum iubet, ἕως ἂν ἐν ἀσφαλείῃ γένοιτο ὁ νοσέων, καὶ λιμοῦ χρήζοι, *donec in tuto fuerit aeger, aut etiam fame opus habeat*, *Lib. de Vict. Acut. pag.* 298. *Tom.* II. quae etſi aliquanto obſcuriora ſunt; tamen etiam forte ad ipſa clyſmata nutrientia referri poſſe videntur, licet nihil hic obſeruauerit GALENVS, *Comment.* IV. *in iſtum*, HIPPOCR. *Librum*, *pag.* 129. *Tom.* XI. *Opp.* per CHARTER.

Tanto autem certiora ac clariora profecto iſta de re haec ſunt verba ipſius CORNEL. CELSI, ab aliis quoque iam obſeruata et lauda-

ta, e *Libro* III. *cap.* 19. vbi de cardiacorum curatione agitur: *Vltimum auxilium est, in aluum ptisanae vel alicae cremorem, ex inferioribus partibus, indere, siquidem id quoque vires tuetur.* Sed et alius eandem in sententiam locus, haud minus memorabilis, occurrit inferius, apud ipsum, *Lib.* IV. *cap.* 15. vbi de dysenteria, siue *torminibus*, tractatur, (vt perperam nempe latine reddidit vocem istam graecam, quo pro solito scilicet more, sed nimis profecto religiose, aut superstitiose, graeca vitaret homo latinissimus. Tormina enim proprie sunt στρόφοι, non autem dysenteria, rectissime quoque obseruante viro maximo, IOSEPHO SCALIGERO; quoniam nulla quidem dysenteria sine torminibus est; multa autem tormina in variis intestinorum morbis, vt notum, sine vlla tamen dysenteria, inueniuntur. Conf. THEODORI PRISCIANI *Lib.* II. *cap.* 9. *p.* 79. Sed haec obiter.) En igitur verba ipsa: *Si vetustior morbus est, ex inferioribus partibus tepidum infundere vel ptisanae cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel medullam ceruinam, vel oleum, vel cum rosa butyrum, vel cum eadem, album crudum ex ouis, vel aquam, in qua lini semen decoctum sit; vel, si somnus non accedit, vitellos cum aqua, in qua rosae floris folia cocta sint. Leuant enim dolorem haec, et mitiora vlcera efficiunt; maximeque vtilia sunt, si cibi quoque secutum fastidium est.* Ex quibus postremis quidem verbis satis perspicue, ni fallor, colligitur et intelligitur, praescripta illa in antecedentibus diuersi generis clysmata, tum potissimum egregium nutriendi, viresque longa inedia collapsas fulciendi, vsum praestare, vbi nimirum cibi quoque fastidium insequutum fuerit. Sed haec quidem e CORNELIO CELSO.

Transeamus iam, si lubet, ad CAELIVM AVRELIANVM, apud quem iste perquam luculentus, de clysteribus alentibus, locus legitur, *Lib.* II. *de Morb. Acut. cap.* 37. *pag.* 170. vbi pariter de cardiacorum iusta medela sermo habetur: *At si omnis spes fuerit absumta, erit per clysterem cibus iniiciendus, sed neque ptisanae, aut cuiusquam labilis qualitatis, quod facile lubrica faciat intestina. Est enim perniciosissimum in cardiacis, fastidio attestante, ventris fluorem commouere. Quapropter erunt haec ex lenticula adhibenda, et primo paruissima. Tunc in vino cum aqua panis attritus, et expressus. Sic enim corpori fit additio: atque vires resurgunt, et*

 stoma-

ſtomachus iam dudum ſupinus fortificatur, altiora conſtringentur. Ibidem vero *Lib.* III. *de Morb. Acut. cap.* XVI. *pag.* 232. miſerrimis Hydrophobis, diriſſima ſiti excruciatis, prudentiſſime ab ipſo commendantur clyſmata refrigerantia et humectantia ex aqua et oleo parata; quoniam tum illius iniecti *humoris continentia vtilis erit ad minuendam ſitim*, vt ipſe rationem ibi mox addit, *calidam enim et oleum ad ſuperiora peruenire poſſe, concipimus, quo partibus iisdem irrigationis praebeat laxamentum*, Haec ille. Quem inſignem Aureliani locum merito laudauit ipſe laudatiſſimus VAN SWIETEN, *Tom.* III. *Comment. in Aphoriſ. Boerhaau. pag.* 575.

Sed non minus notabilis locus eſt ſequens, apud eundem *Lib.* IV. *de Morb. Chron. Cap.* III. *pag.* 508. vbi de coeliacorum curatione agitur: *Decoctionem lenticulae ſecundo, vel tertio, per ſingulos iniiciemus dies. Ex ipſa enim ſufficienter inteſtina coercentur, et latenter corpus nutritur, quum quaedam particula digeſtione vſurpata viribus profecerit aegrotantis.*

His denique nunc accedat THEODORVS PRISCIANVS, *qui Libri ſecundi, ſiue Logici, cap.* XII. *pag.* 87. ſimilem in modum, iisdem cardiacis, eiusmodi clyſmos nutriendi facultate praeditos, his quidem verbis, frequentius ingerendos ſapienter praecepit: *Quo calorem ingenitum emorientem reparare quadantenus valeamus; nutrio ſimiliter per clyſterem vel alicae, vel ptiſanae ſuccis: quibus vngulas porcorum vſque in plenam earum decoctionem concoqui ſuadeo.* Conf. et GARIOPONT. *Lib.* VII. *cap.* 6. *pag.* 154. b. Hactenus de Medicis latinis.

Haud infrequentior autem eiusmodi clyſmatum alimentariorum mentio occurrit paſſim apud ipſos graecos ſerioris aeui Medicos, vt ex ORIBASII, AETII AMIDENI, ALEXANDRI TRALLIANI aliorumque ſcriptis adhuc obuiis liquidius pateſcit. Praeſertim autem iſta maximopere commendat et vberius deſcribit ORIBASIVS, *Lib.* VIII. *cap.* 24. *pag.* 345. *Collect. Tom.* II. et 34. quae ibi legi per otium poſſunt, poſtremum tamen locum inſignem ex dicto *Cap.* XXXIV. *Collect. Oribaſ. pag.* 364. *Verſ. Lat.* hic produxiſſe iuuabit: *Nonnulli tam vehementer ab Alimentis abhorrent, vt periculum conſequatur, ne ob alimoniae defectionem tandem pereant: quibus clyſteres ii ſunt idonei, qui alere corpus*

poſſunt,

possunt, quales sunt hi: Ptisanae, aut tritici cremor, aut farinae ablutio, aut alicae Cremor, aut res, quae sunt generis eiusdem. Debet autem Cornu clysteris si vsquam alibi, tum hoc loco, esse quam longissimum: et manibus compellendus maxima Vi clyster est, vt ad remotas supernasque partes quam maxime conscendat. Quo eximio prorsus loco nihil profecto potest esse luculentius, nihilque accuratius, aut ad hoc ipsum nostrum argumentum denique accommodatius. AETIVS autem AMIDENVS haud minus diserte eorum mentionem iniicit, *Lib.* III. *cap.* 159. *pag.* 61. his quidem verbis :— Πτισσάνης δὲ χυλὸς δύναται σκύβαλα διαλύσαι σκληρὰ, καὶ σμῆξαι τὰ ἔντερα, καὶ δηγμοὺς παρηγορῆσαι. χόνδρου δὲ χυλὸς, καὶ δήξεων μέν ἐστι παρηγορητικὸς. μάλιστα δὲ ἁρμόζει καρδιακοῖς, καὶ διαφορουμένοις συγκοπτικῶς. πρὸς γὰρ τῷ τρέφειν καὶ τὴν δύναμιν ἀνακτᾶσθαι τὸ ἐνιέμενον. h. e. *ptisanae vero succus stercora dura dissoluere potest, et intestiua extergere, et morsus mitigare. Alicae succus morsus quidem mitigat; maxime autem conuenit Cardiacis, et qui ex animi defectione resoluuntur: Nam ad hoc, quod nutrit, etiam vires reficit infusus.* In quibus nempe postremis verbis clarissime docetur, iniectum illud praeparatum enema ad nutriendum et sustentandum, viresque recreandas plurimum conferre. ALEXANDER denique TRALLIANVS, *Lib.* VIII. *cap.* IX. *pag.* 468. de dysentericorum curatione, item PAVLLVS AEGIN. *Lib.* III. *cap.* 42. τῶν ἐνεμάτων quoque meminit, contra τὴν πυκνότητα τῶν ἐξαναστάσεων, καὶ τὴν ἐκ τούτων ἑπομένην τῆς δυνάμεως ἀσθένειάν τε καὶ ἀνορεξίαν; hoc est, clysterum contra desidendi frequentiam, et istam, quae exinde consequi solet, virium imbecillitatem ciborumque omnium nauseam. Et haec quidem, ne plura commemorem, de Medicis graecis.

Neque tamen ipsos Arabes, gentem, vt notum, solertissimam, ista quoque latuerunt praestantissima in morbis fere deploratis praesidia, vti ex illorum scriptis nobis adhuc relictis passim colligere est. Praesertim autem maximi inter illos nominis Medicus, Avenzoar eximium plane eiusmodi clysterum nutritoriorum vsum tanti fecit, vt eum summis laudibus efferret, atque hinc Medicis in extremae necessitatis casu diligentissime commendaret, ceu pluribus praeclare ostendit

dit Medicorum apud Anglos nobilissimus, IOANNES FREIND, in *Medicinae Historia, Part.* II. *pag.* 498. *seqq. Opp.* vbi simul plura, quae huc potissimum spectant, lectu sane dignissima.

Inde igitur non mirum, tot tantisque venerandae antiquitatis ducibus lucidam quasi facem praeferentibus, solidam hanc, de clysteriorum alibilium scita compositione atque opportuno vsu, sententiam certatim veluti amplexos fuisse plerosque rectioris iudicii ac longioris per vitam experientiae Medicos, et superiore et nostro denique aeuo, summa laude et auctoritate florentissimos, ex quibus iam nominasse ac laudasse sufficiat HIERON. MERCVRIALEM, *Quaest. Pisan. Hist.* XXI. ANTON. MVS. BRASSAVOLVM, *Commentar. ad Sect.* 35. *Lib.* IV. *Hippocrat. de Morb. acut. pag.* 114. et *Comment. ad Aphorism.* 15. *Lib.* II. *eiusdem Hipp.* ANDR. LAVRENTIVM, *Histor. Anatom. Lib.* VI. *Quaest.* 14. *pag.* 442. *seqq.* FORESTVM, *Obs.* 30. *Lib.* XV. *pag.* 621. *seqq.* IO. LANGIVM, *Epist. med.* 80. *Lib.* I. *pag.* 440. *seqq.* M. SEBITIVM, *Exercitat. med. pag.* 245. GVIL. FABRIC. HILDANVM, *Cent.* IV. *Obs.* 30. *p.* 311. THEOPHIL. BONETVM, in *Polyath. Tom.* I. *Lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 42. VOPISC. FORTVNAT. PLEMPIVM, *Lib.* II. *Fundament. med. cap.* 8. HIERON. CARDANVM, *Lib.* II. *Contradic. Tract.* 6. *Contrad.* 6. LVD. MERCATVM, I. *Indicat.* 3. FRANC. VALLESIVM, *Lib.* VIII. *Controuers. cap.* 3. ZACVT. LVSITANVM, in *prax. histor. Lib.* IV. *cap.* 14. et de *Medicor. princip. Hist. Lib.* I. *dub.* 5. *pag.* 78. *seqq.* AMBROS. PARAEVM, *Lib. de Medicamentorum Facultat. cap.* 22. *pag.* 789. THOM. BARTHOLINVM, *Controu. anat. Quaest.* XII. *pag.* 401. et *Hist. anat.* 68. *Cent.* IV. *pag.* 369. AET. CLETVM, *de Morb. strangulat. Cap.* 13. IO. RHODIVM, *in Analect. in Lud. Septal. Caut. med. Lib.* III. *pag.* 29. GVERN. ROLFINCIVM, in *Ord. et Method. Medicinae spec. commentatoriae, Lib.* V. *sect.* 9. *cap.* 5. *p.* 562. item et *Ord. et Method. Med. spec. consultatoriae, Lib.* III. *Consult.* 6. *pag.* 392. FRIDER. HOFFMANNVM patrem, *Op. de Methodo medendi, Lib.* I. *cap.* 10. *pag.* 125. et quos ibi laudat auctores alios, ipsiusque Filium, patre illo maiorem, *Med. Rat. systemat. Tom.* I. *pag.* 64. *Tom.* I. *Opp.* CHRIST. LANGIVM,

Lipsien-

Lipsiensem, Tract. de Acidulis Egran. pag. 177. IO. SCVLTETVM, in *Armament. chirurg. Part.* I. *Tab.* 32. *p.* 103. et *Part.* II. *obseru.* 58. *pag.* 141. IO. RENODAEVM, *Institut. pharmaceut. Lib.* V. *pag.* 224. IO. CONR. PEYERVM, *Exercitat.* I. *de Glandulis intestinorum, Cap.* XI. *p.* 52. STALPART. VAN DER WIEL, *Obseruat. rarior. med.* XXV. *Cent.* I. *Tom.* I. *pag.* 105. *seqq.* et quos ibi simul allegat auctores plures, IO. BAPT. MORGAGNVM, *in* III. *Aduersar. Anat. Animaduers.* 17. *p.* 31. et praesertim, *in Epist. anat. med.* 28. *Lib.* III. *Tom.* II. *Op. de Sedibus et Caussis Morborum, pag.* 10. vbique potissimum RAMAZZINVM, *in Constitut. Epidem Ann.* 1691. *No.* 22. *pag.* 173. SCHWENCKE, *in Haematologia, Cap.* I. IO. FREINDVM, *in Hist. med. pag.* 499. et vt tandem, omissis aliis, ne fastidiosa auctorum copia lectores obruat nimis atque obtundat, binis magnis inter medicos nominibus hic finiam, HERM. BOERHAAVIVM, *Prax. med. Tom.* IV. *pag.* 79. et in ipsis quoque *Aphorismis,* de cognoscendis et curandis morbis, *pag.* 176. ibique potissimum illustr. VAN SWIETEN, in aureo *commentario, pag.* 691. *Tom.* II. vbi plura, quae huc spectant, plane egregia, quibus praesertim add. IO. IAC. FICKII Dissertat. *de Clysteribus nutritiis et frigidis,* Ienae, 1718. et nouissime WILLIAM SMELLIE, M. D. a *Collection of Cases and Obseruations in midwifry,* London, 1756. vbi singulare et mirandum prorsus clysteris diutius nutrientis exemplum adnotatum legitur.

Tanta igitur tot grauissimorum testium nube quum sese vndique fortiter tueatur haec ipsa solida doctrina, de salutari clysmatum nutribilium vsu et efficacia, nemini non, credo, mirum omnino videbitur, repertos nihilominus nonnullos non minoris famae et auctoritatis medicos hactenus fuisse, qui gladiatorio animo isthaec omnia acriter impugnarent, atque contra tot strenuos et armipotentes aduersarios bella gerere auderent, nullos, aut certe perquam exiguos, triumphos merito habitura. Sed, vt mores plerumque sunt hominum, in rebus praesertim physicis medicisque, nihil facile tam certum, verum ac solidum deprehenditur, quod non statim clamosae contradictioni pateat, atque in contentiosam controuersiam vocetur ab istis inprimis perpugnacibus

in

in disputando palaestritis, qui semper acerrime digladiantur, atque dissentiunt, et perpetuam per saecula fere litem trahere consueuerunt.

Ipsius quidem HELMONTII de clysterum nutrientium damno potius, quam fructu, dissensus eo facilius ferendus nobis videtur, quem ita libere, pro more, prodidit, Tract. *de Sextupl. Digest. Aliment. human. pag.* 207. et *pag.* inprimis 214. *Clysteres ad nutriendum immissos spe frustrari, citiusque clyster lumbricos et ascarides, quam hominem, nutriet*; add. et ipsius *Lib. de Potestate Medicam. pag.* 457. quod nimirum difficili isti ac refractario homini, ceu ex omnibus fere ipsius scriptorum paginis vbiuis affatim constat, acris quidem, sed inconsulta plane cupiditas inerat, non nisi deplorata defendendi, flagrantissimaque simul libido, insolita, peregrina atque portentosa confingendi, et ingenti, licet inani, nisu et ausu, pro veris et exploratis, obtrudendi. Quare et hanc eius sinistram ac perversam, de clysterum alentium abusu, opinationem, vt plures alios taceam, perquam strenue impugnauit ROLFINCIVS, supra modo laudatus, praesertim autem nostra hac aetate, magnus BOERHAAVIVS, cuius proinde verba omnino digna sunt, quae hic integra legantur, e *Tom.* IV. *Prax. med. pag.* 78. *Clysmata nutrientia ab Helmontio explosa, qui dicit, nihil admitti, specie nutrimenti, nisi quod per vires ventriculi, intestinorum, bilis et succi pancreatici, mutatum sit: sed certissimum est per experimenta, quod clysmata ex solo iure carnium, cum sale, in corpus iniecta, ad vncias duodecim, si viginti quatuor horis retineantur, quod vnciae tres tantum redierint: Ergo non ridenda clysmata nutrientia, et cur explodamus id, quod nocere non potest, si non iuuat?* Haec quidem ille sapientissime et verissime.

Sed plures adhuc supersunt maioris omnino momenti nominisque medici, qui verum clysmatum alimentariorum vsum, modestius quidem Helmontio, in dubium vocarunt, quales sunt OTTO CASMANNVS, *Lib.* II. *Psycholog. Cap.* XII. *Quaest. vlt.* item ALOYSIVS MVNDELLA, *Epist. med.* X. quorum tamen dubitandi rationes expendit et eleuat ZACVT. LVSITANVS, *Lib.* I. *de Med. princip. Hist. pag.* 79. *seqq.* In quorum dissentientium classem referendi quoque sunt VIDVS VIDIVS, de *Curat. generatim, Lib.* XVI. *Cap.* I. *pag.* 167.

item

tem ISBRAND. DIEMERBROECK, *Anat. Lib.* I. *Cap.* 8. *pag.* 35. GEORG. WOLFG. WEDELIVS, *Lib. de Medicament. compoſ. extemp. Sect.* II. *cap.* 5. *pag.* 95: et, vt plures alios paſſim obuios iam ſtudio praeteream, REGNERVS inprimis DE GRAAF, in *Tract. de Clyſteribus*, *pag.* 510. *ſeqq.* vbi praeſertim acriter inſurgit contra iſtum imaginarium, vt ipſi quidem videtur, clyſterum alentium vſum, omniaque argumenta, quotquot reperiri et excogitari potuerunt, in vnum operoſe congeſta, confidenter proponit, quibus infringi potiſſimum atque labefactari iſtam quidem poſſe ſententiam, hactenus aſſertam ac firmatam, ſibi potius perſuadet, quam aliis ex rapido praeiudicatarum opinionum aeſtu nondum a recto veritatis tramite, in deuia et breuia praepropere abreptis.

Iſta autem argumenta, quae ad tutandam contrariam opinionem vulgo in medium adferuntur, praecipue ſunt ſequentia, nunc ſtrictim recenſenda et expendenda.

Primum igitur hoc eſt: Nullum laudabilem, purum, defaecatum atque alibilem chylum confici poſſe in inteſtinis craſſioribus ſordidis, neque hinc ex cloaca quaſi faciendam eſſe culinam, vti ludit quidem in re ſeria, quod mirum, ſpectabilis WEDELII grauitas.

Sed ad hoc ſcite ac ſapienter ita reſpondet PEYERVS, *Exercitat.* I. *de Glandulis inteſtin. Cap.* XI. *pag.* 52. *Si quis vero excrementis conſpurcari alimentum, ac per anum corpus nutriendi conatum ſic plane irritum fieri, cauſetur, illi reſpondemus, nihil ex commixtione impendere diſcriminis, cum vbique ſint bona mixta malis, et chylo faeces: deinde ſordes alui non magno negotio prius elui poſſe. Quod ſi cui forte nimis ſordidum videtur, hunc ſecum reputare volumus, in hac re nihil tam ſordidum eſſe, dummodo ad hominis ſanitatem tuendam, aut reſtaurandam vitam conferat.*

Secundum ſic conceptum eſt: Nihil alimenti ex inteſtinis craſſis adſcendere commode poſſe ad inteſtina tenuia, multo minus ad ventriculum ipſum, propter notiſſimam illam oppoſitam coli valuulam Bauhinianam, immo rectius Albertinam: iſtam enim inuentionis primae gloriam pertinere potius forſan ad celeberrimum quondam huius noſtrae Academiae Anatomicum et Profeſſorem, SALOM. ALBERTVM,

quam quidem ad BAVHINVM, aut VAROLIVM, viri magni, THOM. BARTHOLINVS, ISBRAND. DIEMERBROECK, IO. ANT. LINDENIVS, BERGERVS noſter, aliique ingenue fatentur. Sed haec obiter tantum.

Verum opportune hic regerit modo laudatus THOM. BARTHOLINVS, *Hiſt. Anat.* 68. *Cent.* IV. *pag.* 370. *Nec obſtat valuula coli, quae vel motu totius abdominis conniuet, vel laxatur, laediturque humorum acrimonia, vel rariore textura facile adſcendentes vapores iniectorum admittit.* Quibus non male addit CHRIST. LANGIVS, de *Acidul. Egran. pag.* 177. *Homine grauiter decumbente, flacceſcit et illa coli valuula, ita, vt relaxata parum ea, immiſſus clyſter nutriens ad tenuia exta peruenire, (ſi non alio, tamen exhalandi modo,) quodammodo poſſit.*

Tertium ſic formatur: Nulla alia vaſa, ductus, aut canales in inteſtinis craſſioribus facile oſtendi poſſe, per quos nutrientium clyſterum virtus alimentaria fulciendis venis labentibus ingeri commode queat.

Sed hoc quidem argumentum, hac noſtra inprimis ſolertiore aetate, omnium facillime ſolidiſſimeque infringi et eneruari poteſt. Dantur enim omnino vaſa lactea, per ipſa quoque inteſtina craſſa benigna ſatis copia diſcurrentia, egregie id demonſtrantibus ſummis medicis et oculatiſſimis anatomicis, GLISSONIO, VALLISNERIO, BARTHOLINO, MORGAGNO, WHARTONO, HEISTERO, CRAANIO, WIELIO, NEEDHAMO, WALAEO, WINSLOWIO, SCHWENCKIO, FREINDO, DV VERNOY, BOHNIO, noſtro BERGERO, aliisque pluribus, quos magno numero laudat celeb. HALLERVS, in *praelect. academ. Boerhaau. Vol.* I. *pag.* 398. qui ipſe illa vaſa lactea in craſſis quoque inteſtinis a ſe obſeruata merito admittit. Adſunt porro ibidem copioſae illae glandulae PECHLINIANAE, ſeu PEYERIANAE, quae eidem ſcopo commode inſeruire poſſunt. Ne quid iam de venarum meſaraicarum oſculis hiantibus dicam, quorum blando miniſterio liquida iſta nutrientia, inteſtinis craſſis indita, ſenſim placide reſorberi et in ipſam corporis languentis nutritionem opportune impendi queunt, quod, negantibus licet hic REGNERO DE GRAAF, aliiſque pluribus, vt notum, rectius tamen cum HARVEIO, SWALVIO,

VIO, HORNIO, BACKIO, DEVSINGIO, aliisque quam plurimis, contra adfirmant fummae illi auctoritatis viri, modo laudati, BOERHAAVIVS, VAN SWIETEN, SCHWENCKIVS, RVYSCHIVS, et alii.

Nec dubium denique plane eft, quin blandi vapores et anathymiafes alibiles clyfterum nutrientium per ipfos inteftinorum poros, aliasque caecas adhuc et abftrufas vias, et vafa quaedam reforbentia, imbibentia et attrahentia, ob immenfam fui fubtilitatem, nobis, vt mille alia, hucufque forfan incomperta, ad fanguinem ipfum deferri poffint, ficque vis illa alimentaria venis arentibus et marcentibus, in irrigationem ac refectionem, tempore fummae neceffitatis, benigne infundi queat, id quod et egregie animaduertit STALPART. VAN DER WIEL, *Cent.* 1. *Obf.* 25. *Tom.* 1. *pag.* 107. vbi plura lectu digna et iucunda occurrunt, quae huc vel maxime faciunt. Inprimis autem celeb. IŌ. FREIND, qui omnia, quae huc potiffimum fpectant, fic breuiter ac fimul eleganter et ornate complexus eft, in *Hiftoria medicinae*, *p.* 499. *Illud argumentum, mea fententia, in dubium vocari poteft; immo optimi quidam anatomici demonftrarunt, aliqua, etfi pauca, in his etiam inteftinis vafa diffeminari lactea. Nam Peyerianae hic glandulae, quamquam fimplices fint, et maiore a fe inuicem interuallo, quam in tenuibus inteftinis, diftens; tamen peramplae funt, ideoque, vt coniicio, ad recipiendas craffiores alimenti particulas idoneae. Quamquam autem nulla hic effent vafa lactea, rem nullo modo naturae, legibusque ab ea in animali oeconomia feruatis, contrariam poneret, quifquis nutrimenti particulas, praefertim in eo inanitionis ftatu, etiam intra vaforum fanguiferorum poros abforberi poffe contenderet. Idque ita effe, multis rationibus probari poffet. Verum minutulis iftiufmodi non eft animus infiftere argumentis: neque aliud animaduertam, quam clyfterum, qui nutriant, vfum indubitata niti experientia: et plurima in Hiftoria medica exempla reperiri, vbi haec ratio fucceſſerit, quum cetera omnia nihil proficere potuiffent auxilia.* Hactenus ille egregie prorfus atque acutiffime.

Quartum denique, fiue vltimum, argumentum petitum eft potiffimum ex ambigua hiftoriarum fide, et exigua eorum copia, qui, de-

negatis plane, per morborum atrocitatem, ori ventriculoque alimentis, per folos illos clysteres nutrientes, ad aliquod temporis spatium, vitam extraxisse, viresque corporis labantes erexisse ac sustentasse, narrentur: id quod praesertim vrget et in dubium vocat celeberrimus quondam WEDELIVS. Verum et hoc argumentum nullo paene negotio subuerti potest. Non enim eiusmodi exemplorum summa fide dignorum inopia medicae laborant historiae, sed eorundem potius larga copia abundant, vti vel ex sola illa STALPARTII VAN DER WIEL obseruatione, superius aliquoties iam laudata, luculentissime patet, vbi varias notatu dignissimas historias per alentia clysmata seruatorum, ex FABRIC. HILDANO, FORESTO, AMATO LVSITANO aliisque sedulo collectas exhibet, simulque addit, hunc per clysteres nutrientes agendi modum apud Italos Hispanosque medicos, tam viris, qui non aliter possint ali, quam foeminis, quae vteri suffocatione laborent, maxime in vsu esse. Sed et ad similia exempla prouocant ZACVTVS LVSITANVS, PARAEVS, BONETVS et alii. Inprimis autem binas eiusmodi notabiles historias a se ipso visas refert supra laudatus IO. SCVLTETVS, et ex TIENGIO, BRASAVOLO, FORESTO, aliisque pariter αὐτόπταις, IO. SCHENCKIVS, *Obs. med.* 15. *Lib.* III. *p.* 553. *Tom.* I. Et quis, quaeso, plenam intemeratamque fidem haud habiturus sit binis illis magnis venerandae auctoritatis medicis, GERARDO inquam VAN SWIETEN et IO. FREINDO, testibus non auritis, sed oculatis potius, et hinc aut falli, aut fallere prorsus nesciis? quorum ille Viennensium HIPPOCRATES ita scribit, in *Comment. in Aphorism. Boerhaav. Tom.* II. *pag.* 691. *Probe memini, quod in iuuene angina laborante, qui ne guttulam liquidi deglutire poterat, saepius de die clysma iniiciendum curauerim ex lacte aqua diluto paratum, tali cum effectu, vt per plures dies vires sustinere potuerim, et nimiam corporis siccationem cauere; dum fere totum, quod sic iniiceretur, venis intestinorum resorbebatur.*

Alterius autem, Britannorum illius CELSI, verba haec sunt, ad ill. RICHARD. MEAD, *in Historia Med. pag.* 499. *Insigne eiusdem rei exemplum, quod nostro tempore obuenerit, vt tibi in memoriam reuocem, non necesse est, quo in casu, vi deglutitionis, per vehementem gulae tunicarum*

rum relaxationem, adeo imminuta, vt ex iis in vtroque faucium latere, efformaretur quidam quasi sacculus, nullam aliam, idque per septimanas frequenter integras, alimenti recipiendi viam habuerit vir illustris, quam hoc modo, ab Avenzoare tantopere commendato.

Quibus omnibus nunc denique adiungenda etiam sunt singularia ista exempla e VALLISNERIO, in *Act. phys. med. Academ. Nat. Cur. Vol.* III. *Obs.* 6. RAMAZZINO, *in Constitut. Epidem. pag.* 173. MORGAGNO, aliisque magnis viris, opportune producta in hac ipsa doctissima et elegantissima Dissertatione inaugurali, *de Deglutitionis difficilis et impeditae caussis abditis.*

Cuius quippe benigna occasione inuitati fuimus, vt haec qualiacunque, *de Clysterum nutrientium antiquitate et vsu*, subito commentaremur.

EXERCITATIO QVARTA.

DE
PITYRIASI VESICAE
AD CORRVPTVM QVENDAM
CAELII AVRELIANI
LOCVM ILLVSTRANDVM ET EMENDANDVM.

Quemadmodum multae magnaeque infirmitates ac valetudines singulas humani corporis partes acerbissime infestant; ita et varii gravesque morbi praesertim ipsum illud spatiosum sordidioris liquoris eiectitii receptaculum, vesicam nempe vrinae commode egerendae dicatam, frequentius quoque saeuissime adoriuntur.

Illos igitur maximam partem, his quidem verbis, quondam complexus est iste Methodicorum Medicorum facile princeps, CAELIVS AVRELIANVS, *Lib.* V. *de Morbis Chronicis, Cap.* 4. *In Vesica speciales plurimae passiones eueniunt, Tumor, Collectio, Vlcus, Durities,* φθειρίασις, *item* ψωρίασις, *quam scabiem, vel scabrum, appellamus, Capillatio, Debilitas, Paralysis, Calculatio, quam* λιθίασιν *vocant, sanguinis fluor, siue*

effusio, quam αἱμοῤῥαγίαν appellant, Mictus tarditas, aut difficultas, aut in toto Guttae aquatiles, quas ὑδατίδας vocant. Haec ille.

In quibus nempe verbis nulla, me quidem iudice, Caligo Lectorum oculis mentibusque offunditur; omnia enim clara, perspicua, et intellectu facilia cuiuis, credo, apparent. Illud tamen vnicum, nisi fallor, scilicet vocabulum φθειρίασις, morabitur nonnihil Lectorem paullo attentiorem, inprimis rerum medicarum haud prorsus imperitum, qui vtique, opinor, valde mirabitur, qua nempe ratione, aut occasione, foedissimus ille et rarissimus simul Morbus, φθειρίασις vulgo dictus, hic a CAELIO nostro AVRELIANO inter consuetos et ordinarios fere Vesicae morbos ac passiones ipsi fere soli proprias, connumerari potuerit: quum tamen abominabilis illa φθειριάσεως lues nihil quidquam plane commune habere videatur cum omnibus illis reliquis Morbis Vesicae hactenus inprimis adscriptis ac Medicis vulgo cognitis.

Est namque φθειρίασις, scilicet ἀπὸ τῶν φθειρῶν, siue Morbus pedicularis, sit honos auribus! teterrima ista omnium atque dirissima pestis, cuius atrocissima saeuitia, non sine Numine Diuum iratorum, in ipsis corporibus adhuc viuis, nisi potius male viuis, ac putridis et cadauerosis iam humoribus oppletis, pediculi, vel vermes pediculis nonnihil similes, heu foedum dictu et auditu! inaestimabili examine, progenerantur, qui exesis sensim intus Vitalibus, pertusis tandem atque perfossis ipsis externis corporis integumentis, abominando prorsus aspectu, aceruatim cateruatimque vndique erumpunt, ac cuncta circum se auidissime depascuntur atque depopulantur, donec miserrimi eiusmodi aegroti, seu cadauera viua in edacem putredinem soluta, cum acerbissimis cruciamentis et intolerabili prorsus foetore, horrenda illa tabe consumantur, atque inuisum indignantemque spiritum perquam flebiliter effundant.

Quali crudeli clade atque animata quasi peste absumtos olim fuisse constat, ceu ex HERODOTI, ARISTOTELIS, LVCIANI, PAVSANIAE, SVIDAE, IOSEPHI, DIODORI SICVLI, PLVTARCHI, HELLADII, AELIANI, DIOGENIS LAERTII, PLINII, LA-

CTAN-

CTANTII, TERTVLLIANI, AVRELII VICTORIS, APVLEII, SERENI SAMONICI aliorumque Veterum monumentis fide dignissimis abunde liquet, truculentos praesertim ac sanguinolentos Tyrannos, saeuosque libertatis oppressores, atque impios ac proteruos diuini Numinis Contemtores; vnde et nefando illi morbo peculiare istud nomen inditum quondam fuisse commemoratur, vt scilicet nunc πάθος ἡρωϊκὸν, siue τυραννικὸν, nunc autem τῶν ἀσεβῶν πάθος, item et *Morbus Syllanus* a SIDONIO APOLLINARI *Epist.* 13. *Lib.* III. vocaretur.

Tales igitur σκωληκόβρωτοι, siue φθειρόβρωτοι, (Litem enim istam iam nostram studio non facimus, vtrum haec diuersa atque distincta sint, vt visum Viris summis, SAM. BOCHARTO, THOM. BARTHOLINO, WOLFIO, VOGLERO, GEORG. HIERONYM. VELSHIO, DAN. HEINSIO, VRSINO, RICHARD. MEADO, aliisque; an vero inter se paria, consona atque synonyma potius esse possint, vt censuit potissimum IOACH. KÜHNIVS, ad AELIANVM, et post eum, IAC. ELSNERVS, cum aliis nonnullis,) Tales igitur, inquam, σκωληκόβρωτοι, seu φθειρόβρωτοι, aut foecunda viscerum pernicie consumti, ab istis Auctoribus modo laudatis enumerantur ANTIOCHVS ille EPIPHANES, siue, vt rectius et elegantius, istud hominis monstrum vocatur a POLYBIO atque ATHENAEO, EPIMANES, porro HERODES ille ASCALONITA, MAGNVS vulgo dictus, HERODES alter AGRIPPA, ille felix scilicet, L. SYLLA, Dictator, CALLISTHENES OLYNTHIVS, ACASTVS, PELIAE filius, ALEXANDER PSEVDOMANTIS, PHERECYDES SYRIVS, ALCMAN, Poeta, EVNVS, seditiosus ille Rex seruilis, MVTIVS, ICtus, CASSANDER ANTIPATRI filius, DIOCLETIANVS, GALERIVS MAXIMIANVS, CLAVDIVS HERMINIANVS, in Cappadocia, apud TERTVLLIAN. ad SCAPVLAM, *pag.* 70. *Opp.* IVLIANVS, illius Apostatae Patruus, NESTORIVS, et illa denique crudelissima in vtrumque sexum, Cyrenarum Regina, PHERETIMA; quibus addunt adhuc nonnulli, quanquam perquam exigua cum probabilitate, e Veteribus philosophis, DEMOCRITVM, SPEVSIPPVM, quin et ipsum adeo diuinum PLATONEM: vt iam ex recentiore Historia

quos-

quosdam Reges praesertim Hispaniae, simili crudeli fato oppressos, a VOSSIO, BAVDIO, GROTIO, BVCHANANO, THVANO, BARONIO, BOCHARTO, BARTHOLINO, FAMIANO STRADA, METERANO, VOGLERO, PAVLLINO, et aliis hic commemoratos consulto taceam, nec istam nunc miserrimam et infelicissimam Acridophagorum, seu, si ita dicere quidem liceat, Locustiuororum gentem in medium producam, quam senio iam paene confectam, ne quid malis summis deesset, eiusmodi pestis pedicularis, et quidem alata, intus in corpore prius exorta, deinde, vi via facta, ipsa nempe carne, pinguedine cuteque saeuissime peresis, extrorsum protrusa, cum intolerandis doloribus, quondam absumsit, referentibus sic atque satis viuide depingentibus, DIODORO SICVLO, *Lib.* III. *pag.* 195. *Tom* I. *Edit. Wesseling.* STRABONE, *Lib.* XVI. AGATHARCHIDE apud PHOTIVM, *pag.* 736. et PLVTARCH. *Lib.* VIII. SYMPOS. *quaest.* 9. *p.* 733. aliisque; quibus adde PHILIPP. CAMERARII *Horar. Subcis. Cent.* I. *cap.* 13. *pag.* 83. et HIERON. MERCVRIALEM, *Lib.* II. *Var. Lect. cap.* 20. *pag.* 46. *sqq.* Inde ergo iure nunc, opinor, exclamare hic liceat cum SERENO illo SAMONICO:

Sed quis non paueat Pherecydis fata Tragoedi, *)
Qui nimio sudore fluens, Animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quae morte tulerunt?
Sylla quoque infelix tali languore peresus,
Corruit, et foedo se vidit ab agmine vinci.

Verum

*) Mirum vero vtique, a solo SERENO, PHERECYDEM hic vocari *Tragoedum:* quem tamen reliqui auctores omnes philosophum potius dicunt, vt et Theologum, quamuis sine religione. Credibile ergo videtur, dictum forte ideo *Tragoedum*, quod flebilem quasi Tragoediam in suopte corpore, egerit, a tetris nempe pediculis misere consumtus: vel scripsisse forsan ipsum poëtam, *fata tragoeda*, scilicet, pro *tragica*, quod tamen ipsa rigida metri lex respuebat, atque id de hoc nostro quidem poëta facile credi potest, licet frustra repugnet BVRMANNVS. Ceterum vero pherecydem, foedissima ista pediculorum lue exesum contabuisse, inter omnes, modo laudatos, constat. Occurrit tamen apud MAXIMVM TYRIVM, *Dissert. XLI. pag.* 412. singularis de eodem terribili mortis genere, locus; sed nondum satis ab eruditis quidem interpretibus correctus et illustratus. Sic enim ipse DAN. HEINSIVS legit in sua Editione, alios sequutus: φερεκύδης ὑπερεφρό-

Verum de his horrendis diuinae irae vltricis exemplis hactenus Historiarum fide relatis, ipsaque illa detestabili φθειριάσεως peste vberrime egerunt Viri per omne aeuum Clarissimi Nobilissimique, SAM. BOCHARTVS, qui primo omnino loco nominandus, in *Hierozoici Part.* II. *Lib.* IV, *cap.* 18. *pag.* 583. et *cap.* 26. *pag.* 620. *sqq.* GERARD. IO. VOSSIVS, de *Idololat. Lib.* IV. *cap.* 67. *pag.* 125. HIERON. MERCVRIALIS, *Var. Lect.* V. *cap.* 6. ELMENHORST. ad *Apuleii Florida, pag.* 376. GEORG. HIERON. WELSCHIVS, de *Vena Medinens. cap.* II. *pag.* 41. *sqq.* IO. MEVRSIVS, *ad Helladii Besantin. Chrestomathiam, pag.* 58. et ad *Hesychium Miles. illustr. pag.* 213. *sq.* HVG. GROTIVS, *Histor. Belg. Lib.* VII. *pag.* 472. IO. LANGIVS, *Epist. Med.* 42. *Lib.* II. *pag.* 684. *sqq.* CASP. A REIES, *Quaest. Med.* XXXVI. *pag.* 425. *sqq.* VALENT. HENR. VOGLERVS, de *Rebus Med. Script. Sacr. pag.* 246. SIM. MAIOLVS, *Dier. canic. Tom.* II. *Colloq.* 5. *p.* 69.

ὑπερεφρόνει, ἐν τῇ σορῷ κείμενος, h. e. *pherecydes, quum in capulo decumberet, malum tamen suum contemnebat.* Quae tamen lectio frigida et inepta omnino videtur: non dum enim ἐν τῇ σορῷ, seu *capulo*, iacebat PHERECYDES, viuus quippe adhuc, nec inter mortuos iam relatus, et capulo ferali inditus. DAVISIVS ergo ex quodam MS. legebat, ἐν Σύρῳ, quae insula *Syrus*, vna ex Cycladibus, patria nempe erat ipsius PHERECYDIS, ceu notissimum. Sed et ex hac lectione languidus et ieiunus sensus emergit; inprimis, quum alii *Samo*, alii rursus in *Delo*, PHERECYDEM obiisse referant, de qua lite vid. MENAG. ad *Diog. Laert. Lib. I. p.* 66. *sqq.* MEVRS. ad *Hesych. p.* 214. BRVCKER. *Hist. phil. T. I. p.* 986. et al. Vt igitur paucis dicam, mihi omnino legendum videtur: ἐν τῇ ψώρᾳ κείμενος, *in foedissima scabie pediculari cubans.* Quam coniecturam eximie confirmat DIODORVS SIC. *citat. Lib. III. p.* 195. de eodem pediculorum morbo apud Acridophagos familiari: ὁ δὲ πάσχων, τὸ μὲν πρῶτον, ὡς ὑπὸ ψώρας τινὸς ἐρεθιζόμενος, μετρίως ὀδαξᾶσθαι φιλοτιμεῖται: *Morbo hoc adflictus, primum quidem veluti scabiei prurigine irritatus, leui mordicatione titillatur*: vbi vid. reliq. Scilicet ipse morbus pedicularis incipit per scabiem admodum prurientem; vnde mox ex ruptis foedis istis pustulis, ceu nidis apertis, erumpunt teterrima illa pediculorum agmina. Hinc igitur appositissime in hunc sensum, APVLEIVS, *Florid.* II. ipsum PHERECYDEM vocauit *infandi morbi putredine, in serpentium scabiem solutum.* Qui locus certe eximius mirum in modum vnice favet ipsi nostrae coniecturae, qua legendum esse docuimus, ἐν τῇ ψώρᾳ κείμενος, phrasi nempe elegantissima. Ita enim ipse HOMERVS, *Odyss. V*, 395. ἐν νούσῳ κεῖται, et HIPPOCRATES, *de Intern. affect. p.* 211. ἐν πόνοισι κεῖται, et *mox p.* 215. ἐν ἄλγεσι κεῖται, quod et ibidem occurrit, *p.* 268. item *de dieb. iud. p.* 434. et alibi saepissime, *In morbo cubat*, et PLAVTVS dixit.

5. *p.* 69. et *Tom.* V. *Colloq.* I. *pag.* 705. IO. HARDVINVS, ad *Plin. Lib.* VII. *cap.* 51. *pag.* 407. CLAVD. SALMASIVS, in *Exercitat. Plin. pag.* 593. AEGID. MENAGIVS, ad *Diogen. Laert. pag.* 67. 153. 167. et 409. THOM. GATAKERVS, ad MARC. ANTONIN. *Philosoph. Lib.* III. *pag.* 67. IO. SCHEFFERVS, atque inprimis IOACH. KVHNIVS, ad *Aeliani Var. Hist. Lib.* IV, *cap.* 33. *p.* 393, et ad *Lib.* V. *cap.* 2. *pag.* 399. VALCKENAR. ad *Herodoti Lib.* IV. *pag.* 370. ROB. KEVCHENIVS, ad *Seren. Samonic. pag.* 105. *sqq.* et praesertim, GABRIEL. HVMELBERGIVS, ibidem, *pag.* 27. IO. COLVMBVS, ad *Lactantium de Mortib. persecut. pag.* 305. ibidumque BÜNEMANNVS, et alii interpretes, ad *Cap.* XXXIII. IO. CYPRIANVS, in *Continuat. Hist. Animal. Franz. Part.* V. *cap.* 6. *pag.* 3571. *seqq.* CHR. FRANC. PAVLLINI, in *Cynograph. S.* IV. *cap.* 7. et *de Morte Verminos. pag.* 125. *sqq.* IO. PRICAEVS, *in Comment. ad Act. Apost.* XII, 23. *pag.* 610. et ibidem IAC. ELSNERVS, *in Obseruat. sacr. Tom.* I. *pag.* 417. *sqq.* nec non B. WOLFIVS, *in Curis Crit. et philol. ad eundem locum, pag.* 1178. *Tom.* I. THOM. BARTHOLINVS, *de Morbis Biblicis,* XXIII. *pag.* 80. *sqq.* et nuperrime denique de simili argumento, Vir illustris et experientissimus, cum cura et religione hic mihi dicendus, RICHARD. MEAD, cuius singulari prorsus in me fauore et amicitia plurimum profecto laetor, glorior, mihique impense exinde merito gratulor, in *Medicis* nempe *sacris,* seu de insignioribus Morbis Biblicis, *Cap.* XV. *pag.* 101. *sqq.* vt alios plures iam taceam, quoniam hi hactenus laudati Auctores Lectoribus nimis fastidiosis aut festinantibus forsan iam nimii, quod vtique vereor, videbuntur.

Ex his igitur singularibus exemplis modo propositis, liquidius nunc, spero, patebit, foedissimum illum φθειριάσεως Morbum non inter frequentes, solitos atque consuetos; sed potius inter rariores, insolitos ac portentosiores morbos, atque etiam nonnunquam inter ipsa diuinae vltionis manifesta documenta, iure esse referendum. Inde etiam recte in *Chrestomathia,* scripsit HELLADIVS, *pag.* 15. *Edit. Meurs.* φθειρίασις ἐστὶ νόσημα μὲν τῶν σπανίων, *Morbus pedicularis perpaucorum tantum est hominum,* quod mox tribus solum exemplis, nem-

pe

pe ACASTI, PHERECYDIS SYRI, atque demum L. SYLLAE, confirmat: PLVTARCHVS autem in *Vita huius Syllae, p.* 474. his tribus vera illa feraque phthiriasi, erodente nempe se ipso corpore, et supplicia sibi gignente, trucidatis quatuor saltim addit alios eiusmodi miserrimos φθειροβρῶτες, scilicet ALCMANEM Poëtam, CALLISTHENEM Olynthium, MVTIVM Iurisconsultum, atque demum turbulentum illum Regulum scenicum, Eunum, de quibus omnibus iam in antecedentibus, satis dictum.

Et licet vel a nostrae aetatis Scriptoribus Medicis aliquot eorum simili foeditate Syllana horribili absumtorum exempla passim commemorentur, qui scilicet, vt eleganter, de re quidem squalida, canit LVCRETIVS, *Lib.* V.

Corpore adeso,
Posterius tremulas super vlcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus orcum,
Donicum eos vita priuarunt vermina saeua,
Expertes opis, ignaros, quid vulnera vellent.

ea ipsa tamen exempla et perpauca sane sunt, et rariora, atque ideo potissimum in literas relata videntur, quod horridi quid monstri alerent, a consueto Naturae tramite immane quantum deflecterent, atque hinc insolentius rariusque occurrerent.

Qualia nonnulla stupenda id genus portenta de ista obscoena tabe viua, memoriae prodiderunt HIERONYM. MERCVRIALIS, *Lib.* I. *de Morb. Cutan. cap.* 7. MINADOVS, *Lib.* II. *de ext. affect. cap.* 9. MARCELL. DONATVS, *Lib.* I. *de Medic. Hist. Mirab. cap.* 5. SCHENCKIVS, *Lib.* V. *Obss.* MARC. AVREL. SEVERINVS, *de Abscess. anomal. Cap.* 16. *pag.* 141. HENR. AB HEER, *Obs.* XXIII. VELSCHIVS, *de Vena Medinens. Cap.* IV. *pag.* 132. PETR. BORELLVS, *Obs. Med.* XX. *Cent.* I. *p.* 29. AMATVS LVSITAN. *Cent.* III. *Curat.* 58. CASP. A REIES, *Elys. iucund. Quaest. Camp. Quaest.* XXXVI. *pag.* 426. *sqq.* ZACVTVS LVSIT. *Prax. Med. admirand. Lib.* III. *Obs.* 46. IO. RHODIVS, *Cent.* III. *obs.* 64. *p.* 154. *sqq.* FRANCKENAV, *in Diss. de phthiriasi*, vt et in *Ephemerid. Natur. Cur. Dec.* III.

Ann. V. et VI. *obs.* 173. in quo egregio opere et passim de hac re plura, vt *Dec.* II. *Ann.* V. *Append. Artic.* XXXVIII. LII. CIX. *etc.* item POTERIVS, *Obseru. Med. Cent.* I, *cap.* 47. ibique HOFFMANNVS, *p.* 61. *sq.* III. MEADVS, *Comment. de Morbis Bibl. cap.* XV. *pag.* 104. *sqq.* CYPRIAN. *ad Franz. de Animal. S. pag.* 3572. praesertim autem CHRIST. FRANCISC. PAVLLINI, *Tract. de Morte Verminosa, pag.* 94. *sqq.* vbi varia eiusmodi pediculosorum aut verminosorum aegrotorum exempla miranda studiose, pro more, collecta coniunctim exhibet ex HEVRNIO, HANNAEO, VOGTIO, COBERO, HANEMANNO, BARTHOLINO, CRÜGERO, WEDELIO, BORELLO, BONETO, ZEISIO, aliisque pluribus Auctoribus fide sane dignis, et candoris atque experientiae laude conspicuis.

Sed ponamus nunc etiam, atque tantisper concedamus, tetram istam phthiriasin morbum esse frequentem, obuium atque consuetum; nemo tamen Medicorum tam Veterum, quam recentiorum, quod equidem sciam, phthiriasin adhuc posuit inter proprios Vesicae Morbos, praeter vnum forte nostrum CAELIVM AVRELIANVM, hoc quidem loco ambiguo superius proposito, cuius occasione, nobis hic differendi quaedam materia subministrata fuit. Quotquot enim istorum φθειριάσεως vel generalis, vt totius corporis, vel specialis, vt cordis, quod maxime mirum, et pericardii, item capitis, palpebrarum, et superciliorum, axillarum et istarum denique reconditarum partium, quas pudor velat, mentionem fecerunt, omnes tamen, quantum equidem memini, vno veluti ore, silent de ista noua quasi et indicta hactenus atque illecta Vesicae φθειριάσει. Sic enim ipse noster CAELIVS AVRELIANVS, *Lib.* IV. *de Morb. Chron. Cap.* 2. *pag.* 497. vbi alioqui, suo scilicet more, satis exacte, perspicue et concinne de foedo hoc Morbo tractat: *Sumsit Phthiriasis nomen non a genere, sed a multitudine pediculorum. Plurimi enim creantur nunc per totum corpus, nunc per eas partes, quae capillatura conseptae vel contectae sunt:* (ita enim omnino legendum videtur, pro vulgato *conceptae sunt*, mox enim *pag.* 498. sequitur: *ea loca, quae Capillatura vestita sunt.*) *Et nunc consueti atque simplicis formae, nunc ignoti, hoc est latiores, et duri magis, ac saeuientes*

morsibus

morsibus vehementer, quos quidam ferales appellant. Nam saepe etiam sub Capillis inueniuntur corpora penetrasse. Ita et PAPIAS, apud Nobilissimum CANGIVM, in immensae frugis et stupendae diligentiae opere, *Glossario Med. et Inf. Latinit. Tom.* III. *p.* 732. *Fruriasis, Pediculorum multitudo, aliquando in Capillis, aliquando in toto corpore.* Vbi haec quidem addunt nouissimi tanti operis Editores celeberrimi: *Forte legendum pruriasis, a prurigine, quae pediculorum morsibus excitatur.* Quod mihi tamen, pace quidem tantorum Virorum, secus omnino videtur: quoniam scilicet *pruriasis* compositio hybrida et semigraeca, semique Latina, tota vero barbara est; adeo, vt hinc vix dubitem, quin potius legendum sit *phthiriasis*, pro *Fruriasis*, nisi hoc forsan, vt verisimile quidem videtur, a Barbaris, ex illo praue detortum ac vitiose deductum fuerit. Sed haec obiter. Verum φθειριάσεως et generalis, et particularis praesertim, frequentius meminerunt ipse GALENVS, in *Definit. Med.* 353. *Tom.* II. *Opp. pag.* 270. DE ALIMENTOR. *Facultat. Lib.* II, *cap.* 8. *pag.* 340. *Tom.* VI. *De Compos. Medicam. secund. Loc. Lib.* I, *cap.* 7. *p.* 346. *Tom.* XIII. *De Theriaca, ad Pison. et alibi:* item ACTVARIVS, *Lib.* II. περὶ διαγνώσ. παθῶν, *cap.* 7. NONVS, *de Curat. Morbor. Cap.* VI. *pag.* 8. et, vt alios taceam, ipse CORNELIVS noster CELSVS, Lib. VI, *cap.* 6. §. 15. *p.* 358. Nemo tamen horum omnium, quantum mihi quidem constat, vt iam supra monui, huius insolitae et portentosae quasi Vesicae φθειριάσεως alicubi mentionem iniecit. Neque sane Recentiores, qui de illa molesta iuxta ac funesta corporis humani peste quasi spirante, quidquam commentati fuerunt, istius teterrimae pullitiei pedicularis vel in ipsius Vesicae spatioso ambitu nidificantis, vsquam meminerunt, vti FRANCKENAV atque ZEISIVS *de Phthiriasi*, SAM. HAFENREFFERVS, *de Cutis Affect. Lib.* I. *cap.* 10. *pag.* 76. *sqq.* HIERON. MERCVRIALIS, *de Morb. Cutan.* MINADOVS, *de extern. Affect. Lib.* II, *cap.* 9. 10. LANGIVS, *Epist. Med.* 42. *Lib.* II. PAVLLINI, de *Morte Verminosa*, CHRIST. LANGIVS, *de Pathologia animata*, VELSCHIVS, *de Vena Medinensi*, CASP. A REIES, *Quaest. Med. iucund.* XXXVI. IO. DOLAEVS, *in Encyclopaed. Med. dogmat. Lib.* VI, *cap.* XI. *pag.* 426. *sqq.* praesertim MICH.

FRID. LOCHNERVS, in doctiſſimo et elegantiſſimo Schediaſmate, *de Phthiriaſi Cordis*, de qua tamen nonnihil dubitat ill. MORGAGNVS, de *Sedib. et Cauſſ. Morb. T.* I. *Ep.* XXIV. *p.* 255. *ſqq.* aliique plures, maximam partem iam ſupra allegati. Iſtud equidem, vt verum fatear, me minime fugit, in omnibus nempe in vniuerſum corporis humani partibus ac viſceribus, vermes diuerſos generari poſſe et ſolere, vt variis argumentis et experimentis iam pridem oſtenderunt ac confirmarunt ATHANAS. KIRCHERVS, *Tract. de Peſte, Sect.* I. *cap.* 8. *pag.* 33. *ſqq.* et in *Mund. ſubterran. Lib.* XII. *Sect.* I. *cap.* 10. *et Lib.* IX. *part.* II. *pag.* 160. CHRIST. LANGIVS et PAVLLINI modo laudati, in *Pathologia animata*, et *de Morte Verminoſa*, item, in *Cynographia, Sect.* IV, *cap.* 6. vbi plures Auctores allegantur, VELSCHIVS, de *Vena Medinenſ. Cap.* IV. *pag.* 128. *ſqq.* PECHLIN. *Obſ.* 35. *Lib.* II. *pag.* 299. *ſqq.* STALPART. VAN DER WIEL, *Obſ. Med.* 29. *Cent. poſt. part.* I. *pag.* 312. *ſqq.* REVSNERVS, de *Scorbut. Exercit.* I. *p.* 65. *ſqq.* DIETERICH. *Iat. Hippocrat. p.* 419. *ſqq.* AVGVST. HAVPTMANNVS, *Epiſt. de viva Mortis imagine*, PETR. TRAPOLINVS, de *Morbo Gall. p.* 1005. *ſqq.* et BENEDICT. RINII *Conſil. de Morb. Gall. p.* 975. in Operae *Aphrodiſiac. per* HERM. BOERHAAVE, IO. SCHENCKIVS, *Lib.* III. *Obſeru.* BORELLVS, RHODIVS, BARTHOLINVS, KERKRINGIVS, BONETVS, aliique plures, quos laudat magna copia, Praeceptor quondam noſter, vel poſt fata, nobis ſemper venerandus, AVG. QVIRIN. RIVINVS, in doctiſſima *Diſſert. de Morbis animatis*, quae et inprimis tota huc ſpectat.

Ideoque nec illud mihi incompertum eſt, vel in ipſa quoque Veſica, diuerſae formae ac figurae, diuerſique coloris et habitus vermiculos et beſtiolas ſaepius pronaſci ſolere, quae cum ipſa vrina, ceu vndis ſuis genitalibus innatantes, ſubinde effundantur, praeſertim, quum id ipſum multis mirandis prorſus exemplis atque Hiſtoriis fide digniſſimis, liquidiſſime dudum demonſtrarint AMBROS. PARAEVS, *Opp. Chirurg. Lib.* XIX. *cap.* 3. *pag.* 563. *ſqq.* HILDANVS, *Obſ. Chirurg.* 56. *Cent.* I. *pag.* 162. THOM. BARTHOLINVS, *Hiſt. Anat.* 89. *Cent.* I. *pag.* 144. et *in Act. Med. Hafn. Vol.* V. *Obſ.* 21. *pag.* 83. et

Obſ.

Obſ. 70. *pag.* 186. NICOL. TVLPIVS, *Lib.* II. *Obſſ. Med. capp.* 49. 50. 51. *pag.* 172. *ſqq.* HENR. AB HEER. *in Spadacrene, cap.* 8. *pag.* 67. FERNELIVS, *Patholog. Lib.* VI, *cap.* 10. ALOIS. MVNDELLA, *Dialog.* VI. RONDELETIVS de *Piſcibus, Lib.* XII, *cap.* 25. HOLLERIVS, in *ſchol. ad Lib.* I. *cap.* 50 et 54. *de Morb. intern.* HIERON. MERCVRIAL. *Lib.* III. *de Morb. pueror. cap.* 3. BALD. RONSSEVS, *Epiſt. Med.* X, *pag.* 32. HERCVLES SAXONIA, *pract. part.* II. *cap.* 35. CLAVDINVS, *Conſil.* XL. SENNERTVS noſter, *Pract. Lib.* III. *part.* VIII. *Sect.* I. *cap.* 3. IO. MATTHAEVS, *Obſ. med. Caſu* III. NICOL. PECHLINVS, *Obſ. med.* 18. *Lib.* I. *pag.* 44. IO. RHODIVS, *Obſſ. med.* 35 et 36. *pag.* 131. *ſqq.* vbi complures hac de mirabili re, Auctores alii ſimul laudati inueniuntur, item FRID. RVYSCHIVS, *Theſaur. Anat.* I, *Arcul.* 4. *p.* 32. 33. MENZELIVS, *Ephem. Nat. Cur. Dec.* III. *Obſ.* 118. FRANCKENAV, ibidem, *Dec.* III. *Ann.* IV. *Obſ.* II. ROSIN. LENTILIVS, in *parallelïſm. ad Ann.* V. et VI. *Dec.* III. *ad Obſ.* 160. LANZONVS, *Ephem. Cent.* III. et IV. *Obſ.* 59. *p.* 142. HAGENDORN, *Obſ. med.* 68. *Cent.* I. *pag.* 243. *ſq.* et quos ibi citat Auctores plures, item SALMVTH. *Obſ. med.* 49. *Cent.* I. *p.* 32. praeſertim SCHENCK. *Lib.* III. *Obſ. med.* 293. et *ſqq.* vſque *ad obſ.* 296. *pag.* 959. *ſqq.* *Tom.* I. et denique PAVLLINI, *de Morte Verminoſa. pag.* 88. *ſqq.* et quos ibi allegat Auctores plures alios. Praeſertim vero et ob inſignem exemplorum notatu digniſſimorum apparatum, et propter ingentem Auctorum in hanc rem allegatorum copiam, huc diligenter conferri et ſtudioſe legi hic omnino meretur Celeberrimi quondam et elegantiſſime docti MICH. FRID. LOCHNERI *Diſquitio ad Locum Plutarchi* περὶ Θηριδίου δασέος, cuius occaſione de Vermibus cum Vrina excretis late agitur: cui ſub calcem adiecta eſt de eodem argumento nitidiſſime conſcripta Obſeruatio Viri illuſtris quondam ſuis praeclaris in rem pariter medicam ac literariam meritis, GODEFRID. THOMASII, τοῦ θαυμασίου καὶ χαριεστάτου, vbi eruditiſſime de concretis Vermiformibus copioſe per Veſicam egeſtis, tractatur. Ceterum per quam memorabilis iſte PLVTARCHI locus, de beſtiola quadam hirſuta vna cum genitali liquore virili, eiecta, cuius oppor-

opportuna occaſione, LOCHNERVS pulcherrimum illum ſuum foetum edidit, extat *Lib.* VIII. *Sympoſ. quaeſt.* 9. *pag.* 733. atque huc vel maxime ſpectat. Cuncta tamen haec exempla de portentoſis huiusmodi atque peregrinis incolis verminoſis in ipſo Veſicae ſpatioſo ambitu ſtabulantibus, atque de vrina, viua quaſi et animata putredine foeta, quotquot etiam fuerint, inter rariores omnino atque infrequentiores caſus et inſolentiora Naturae ſaeuo quaſi cum ioco ludentis, portenta, relata potius fuerunt a ſuis Auctoribus ſuperius laudatis, quam inter vulgares et ſemper obuios Veſicae morbos: praeſertim, quum contra ipſam Vermium in Veſica, aut vrina, generationem, cum VALSALVA, atque VALLISNERIO, magna ſatis grauiaque dubia moveat ill. MORGAGNVS, *Op. de ſedibus et cauſſis Morborum, Tom.* II. *Lib.* III. *Epiſt. anat. med.* 42. *pag.* 157. *ſqq.* digna omnino, quae ſedulo expendantur: neque etiam iſta ad Phthiriaſin proprie ſic dictam iure pertinent, neque ad *ſpeciales Veſicae paſſiones*, accuratius diſtinguendo, referri cum ratione poſſunt, vti ſcilicet loquitur CAELIVS noſter AVRELIANVS, ad cuius locum in limine huius Commentationis propoſitum, vt, relictis plane beſtiolis illis morſicantibus teterrimis, nunc demum protinus approperemus, hem! tempus nos ſero quidem, at ſerio tamen, monere videtur.

Nimirum ex hactenus longe lateque diſputatis, liquidiſſime nunc patere confido plane atque perſuaſus ſum, illam φθειρίασιν inter *ſpeciales* quidem *Veſicae paſſiones* a CAELIO noſtro AVRELIANO commemoratam, locum ibi ſuum aegerrime tueri poſſe. Quare grauiſſimis illis rationibus ſuperius diligentiſſime in medium allatis praeſertim inducto, mihi vix vllum amplius haeret dubium, quin in poſterum, leviſſima quidem immutatione, at ſumma tamen, niſi fallor, cum probabilitate, in iſto CAELII AVRELIANI loco, legendum ſit πιτυρίασις, potius, quam quod hactenus ſine ſenſu et elegantia, lectum et ſcriptum fuit, φθειρίασις. Liberemus ergo, iam demum tempus eſt, cultiſſimum illum CAELII AVRELIANI locum a foeda iſta φθειριάσει, qua per tot ſaecula, turpe dictu et auditu, contaminatus iacuit.

Eſt

Eſt autem haec πιτυϱίασις, ſeu πιτύρισμα, ſcilicet ἀπὸ τῶν πιτύρων, h. e. furfuribus, quidam Veſicae morbus pruriginoſus, ſiue potius alterius morbi effectus atque comes, ſaepius inſanabilis, immo et interdum letalis, inprimis, vbi cum febribus coniunctus fuerit, ortus praeſertim ab acri quadam ſcabie, aut mordaci impetigine, intus in ipſo Veſicae ſpatio enata, quae pro more, ſenſim, ex parte, deſiccata, atque inde in ſquamulas quaſi furfuroſas reſoluta, per conſuetas vrinae profluentis vias, cum exquiſito pruritu, ſaepe etiam cum quibusdam obtuſis doloris obſcuri puncturis, emittitur. Quo quidem moleſti morbi genere ii praeſertim frequentius affliguntur, qui vel acutis, aſperisque ac vellicantibus calculis Veſicae altius impactis, infeſtantur, vel etiam cum immundis incuſtoditi pudoris feminis, aut puellis, vt ille ait, emi facilibus foedum infandumque aluerunt commercium, vel qui denique generatim, corpora habent vitioſis putridisque humoribus vndique collectis turgida atque oppleta.

Haec vero ſingularis noſtra Veſicae πιτυϱίασις nomen ſuum haud dubie traxiſſe videtur ab illa altera vulgari et frequentiore πιτυϱιάσει, quae partes humani corporis externas pilis praecipue conueſtitas, exempli cauſſa, ipſum caput, mentum, ſiue barbam, ſupercilia, axillas, atque illa ipſa demum loca a naturali pudore viſibus humanis ſubtracta, foeda labe contaminat, ac ſquamis furfuroſis exaſperat: vbi nempe, vt CELSVS eleganter de re minus eleganti, loquitur, *Lib.* VI, *cap.* 2. *inter pilos quaedam quaſi ſquamulae ſurgunt, eaeque a cute reſoluuntur; et interdum madent, multo ſaepius ſiccae ſunt*: Vel, vt adhuc elegantius SERENVS SAMONICVS canit:

Quum caput immenſa pexum porrigine ningit;
Copia farris vti frendentibus edita ſaxis:

item paucis interiectis, de ipſa huius pruriginoſi mali curatione:

Deſinit interea glomerari farrea nubes,
Ceſſabitque grauis crebrae porriginis imber.

Vbi videantur, ſi placet, ROB. KEVCHENIVS aliique in *Not. apud* BVRMANN. *pag.* 200. *ſeqq.* et ibidem HVMELBERG. *pag.* 18. ſqq. item REINESIVS, *Epiſt.* CXVII. *ad Daum. pag.* 292. CLAVD. SAL-

MASIVS, *ad Tertulliani Lib. de Pallio, pag.* 402. *sqq.* nec non FOES. in *Oecon. Hipp.* GORRAEVS, *in Definit. Med. pag.* 376. aliique plures. Praesertim autem de hoc foedo capitis et corporis surfure, vt PLINIVS ait, ex instituto, abunde egerunt ipse GALENVS, *Lib.* I. *de Composs. Medicam. secund. Loc. cap.* 6. *pag.* 345. *sqq. Tom.* XIII. et alibi, PAVLLVS AEGINETA, Lib. III, cap. 3. pag. 26. ALEXANDER TRALLIANVS, *Lib.* I, *cap.* 4. *p.* 10. AETIVS AMIDENVS, *Lib.* VI, *cap.* 66. *pag.* 116. ACTVARIVS, *Lib.* II. *de Cognit. Morb. c.* 5. et denique NONVS, *de Curat. Morb. Cap.* IV. *pag.* 6. *sqq.* vt ipsum CELSVM, iam supra laudatum, SCRIBONIVM LARGVM aliosque plures in praesenti taceam.

Verum relicta hac generali quidem et vbiuis notissima externa corporis πιτυριάσει, reuertamur nunc potius, en tempus est! ad specialem illam minus vulgo cognitam, atque internam Vesicae πιτυρίασιν, seu furfurosam porriginem. De ista igitur sic pronunciauit ipse summus noster HIPPOCRATES, *Aph.* 77. *Sect.* IV. Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι, πιτυρώδεα ξυνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ. *Quibus in vrina crassa existente, furfurosa simul minguntur, iis Vesica scabie laborat.* Quem quidem egregium Hipp. Aphorismum aliquam sui partem truncatum, ita in suum Libellum *de Vrinis*, intulit THEOPHILVS, seu PHILOTHEVS, memoriae suae male fidae ac minus tenaci nimium tum confisus, *Cap.* nempe XXI, quod ipsum περὶ τῶν πιτυρωδῶν ὑποστάσεων, seu *de sedimentis Vrinarum furfuraceis*, tractat, *pag.* 130. Ὁκόσοις ἐν τῷ οὔρῳ πιτυρώδη ἐξέρχονται, τούτοις ἡ κύστις ψωριᾷ. Hunc vero ipsum Hipp. locum eximium sic doctissime et sapientissime interpretatur GALENVS, in *Comment. pag.* 188. *Tom.* IX. *Opp.* ὥσπερ γὰρ ἡ τοῦ δέρματος ἐπιφάνεια, καλοῦσι δ᾽ αὐτὴν ἐπιδερμίδα, κατὰ τὰς ψώρας, καὶ τὰς λέπρας, καὶ τοὺς λειχῆνας ἀποβάλλει τι λεπτὸν, οἷόνπερ τὸ γῆρας ἐστὶ τῶν ὄφεων, οὕτω, κἀπειδάν τι τῶν ἔνδον μορίων ὅμοιόν τι πάθημα πάθῃ, τὸ οἷον δέρμα, καὶ τὸ σύμπτωμα τοῦ παθήματος ὅμοιον γενήσεται. Κατὰ τοῦτο οὖν καὶ ἡ κύστις ψωριῶσα πιτυρώδεα δέρματα σὺν σοῖς οὔροις ἕξει κενούμενα: *Quemadmodum enim cutis superficies (eam vero extimam cuticulam vocant,) per scabiem, lepram, atque lichenas, tenue quoddam corpu-*

sculum

sculum abiicit, qualis fere est serpentum senectus: sic etiam, quum partium interiorum quaedam eundem subeat affectum, quo cutis laborauerit, etiam symptoma affectui simile oborietur: proindeque etiam ipsa Vesica scabie infecta furfurosas cuticulas, vna cum Vrinis, emittet. Hactenus quidem GALENVS, qui et eandem in rem conferendus est *Lib. de Vrinis*, qui sub eius nomine vulgo circumfertur. *Cap.* XXVII. *p.* 344. *Tom.* VIII. et locis aliis passim obuiis, vt in *Compend. de Vrinis, pag.* 351.

Sed redeamus potius ad ipsum nostrum HIPPOCRATEM, quem et alibi, in eandem sententiam sic loquutum fuisse, constat potissimum e *Lib. de Natura Human. pag.* 279. *Edit. Lind.* ὁκοῖον δὲ, en verba ipsa! Πίτυρα ἐπιφαίνεται ἐπὶ τῷ ὀρήματι, τουτέων ἡ κύστις ψωριᾷ: *Vbi autem veluti furfures, in vrina supernatant, horum quidem Vesica scabie laborat.* Quibus binis locis Hippocraticis egregiis prorsus ac praeclaris, plurimum sane auctoritatis, decoris ac ponderis conciliari posse huic nostrae coniecturae et emendationi in loco nostro CAELII AVRELIANI, non infeliciter, vt spes est, tentatae, haud exigua sane aut vana me alit fiducia. In iisdem enim diuinus ille Cous senex τὰ πίτυρα, seu πιτυρώδεα, atque τὸ ψωριᾷν, aeque ceu synonyma quaedam, aut tanquam caussas et effectus, inter sese apte coniungit, ac CAELIVS noster AVRELIANVS pari modo, scite consociauit πιτυρίασιν atque ψωρίασιν, vt quidem nobis legendum videbatur quondam, et adhuc iure videtur. Libro autem de *praenot. pag.* 457. apud eundem Medicorum principem occurrunt quoque αἱ ὑποστάσεις τῶν οὔρων πιτυρώδεες πονηραὶ, vnde CELSVS, *Lib.* II, *cap.* 4. *pessima ex his vrina, si tanquam ex furfuribus factas nubeculas repraesentat*, et PLINIVS, *Lib.* XXVIII. *cap.* 6. *Mala est vrina, in quo veluti furfures atque nubeculae apparent*, vbi videndus HARDVINVS, *in Not. pag.* 456. *Tom.* II. *Opp.* Luctuosam denique historiam de huiusmodi atroci Vesicae scabie furfurosa, tandem mortifera, retulit idem HIPPOCRATES, *Lib. de Morb. Epidem.* V. *pag.* 773. his quidem verbis: Ἐν Λαρίσσῃ Θεοφόρβου παῖς ἐλέπρα τὴν κύστιν, καὶ διούρει γλίσχρον, κ. τ. λ. *In Larissa, Theophorbi filius Vesicam scabiosam habebat, et viscosam vrinam mingebat:* vbi inspiciendus

in Notis FOESIVS, *pag.* 1147. et in *Comment.* FRANC. VALLESIVS, *pag.* 480.

Verum nec post HIPPOCRATEM nostrum, defuerunt profecto Medici Veteres Graeci, qui de furfurosa eiusmodi Vesicae porrigine, seu impetigine, eadem cum ipso, obseruarent atque in literas referrent. De GALENO ac THEOPHILO iam supra, data occasione, actum fuit: Nunc producamus, si placet, alios eandem in rem testes grauissimos et nostrae coniecturae defensores quasi acerrimos. Audiamus ergo ALEXANDRVM TRALLIAN. *Lib.* IX, *cap.* 7. *p.* 551. ita scribentem: Διαγίνωσκε τὴν ψωρίασιν τῆς κύστεως, ἐν τῷ πιτυρώδη τινὰ μόρια κατὰ τὸ χῦμα τῶν οὔρων φαίνεσθαι, *Vesicae scabiem inde notato, quum furfuraceae quaedam particulae in vrinarum liquore appareant,* vbi vid. reliqua bene multa. Audiamus porro AETIVM AMIDENVM ipsi plane consonum, *Lib.* V, *cap.* 40. *pag.* 81. αἱ πιτυρώδεις ὑποστάσεις ἐκ τῆς κύστεως ἐκκρίνονται, *sedimenta vrinae furfurosa e Vesica excernuntur,* vbi vid. sequentia. PAVLLVS denique AEGINETA his quoque suffragatur, *Lib.* III, *cap.* 44. *pag.* 46. b. αἱ δὲ πιτυρώδεις ὑποστάσεις ψωριῶν δηλοῦσι τὴν κύστιν, *subsidentiae furfurosae Vesicam ipsam foeda intus scabie turpatam esse, significant:* nec non ACTVARIVS, *Lib.* I, *de Vrin. cap.* 15. quibus omnibus hactenus productis ea velim, addantur, si placet, quae hac de ipsa re docte adnotauit THOM. GVIDOTIVS, *in Notis ad* THEOPHILI Libellum *de Vrinis,* superius aliquoties laudatum, *pag.* 227. item quae collegit FOESIVS in *Oeconomia Hipp. pag.* 309. et DIETERICHIVS, in *Iatreo Hippocrat. pag.* 979. ne alios plures iam aduocem, quia properandum.

Vnum tamen adhuc locum eximium huc vel maxime facientem, intermittere plane non possum, quin his addam e *Glossario Sangermaniano,* apud magnum CANGIVM, in *Glossar. med. et inf. Lat. Tom.* II. *pag.* 445. sed, quod merito dolendum, foedissimis mendis, et teterrima quasi porrigine furfurosa, inquinatum: Ita enim vulgo ibi legitur: *Cauculosi, Hii sunt, quibus Tumor in Vesica et* Arostoma ptiriaris, *id est, illi, qui, cum Vrinam faciunt, velut Furfures, supernatat.* Stranguiria, *id est,* Constructio Vrine, et Discuria, *id est, Difficultas Vrinam faciendi,*

et Emorrogia, *id est, qui sanguinem per Vrinam faciunt.* Cui tamen deplorato paene et portentosis verborum monstris conspurcato loco, Medicinam forsan haud plane improsperam, si dicere quidem liceat, sequentem in modum, faciendam esse censemus: *Calculosi, ii sunt, quibus Tumor in Vesica, et* Apostoma (nempe pro *Apostema*, vid. CANG. supra in *Apostoma, T.* I. *pag.* 572.) Pityriasis, *id est illi, qui, cum Vrinam faciunt, velut furfures, supernatat:* Stranguria, *id est*, constrictio Vrinae, *et* Dysuria, *id est, difficultas Vrinam faciendi, et* Haemorrhagia, *id est, qui Sanguinem per Vrinam faciunt.*

Sed quid tandem, quaeso, opus est, tot aliena et peregrina, praesidia atque testimonia vndiquaque conquisita, anxie quasi in auxilium conuocare? quum vnicum sane, idque ipsum grauissimum, ipsius nostri CAELII AVRELIANI testimonium nobis abunde sufficere possit, ad emendationem nostram validissime confirmandam atque extra omne paene dubium certissime collocandam. Ita enim ille, in hoc ipso, quod sub manibus iam nostris est, *Cap.* IV. *Lib.* V. *de Morb. Chron. pag.* 572. paucis interiectis, mentem suam nobis apertius declarat, quid scilicet in antecedentibus, per voces πιτυρίασιν atque ψωρίασιν, proprie intellexerit, quando sequentia illustrationis et explicationis gratia, manifesto subiungit: *Aliquando alienitatis obtrusione, Vesicae impedito meatu, vt Lapidis, aut Arenae, aut Capillorum, aut* Squamularum Cantabri *similium, vel quocunque sedimine crassiore.* Vbi nimirum *Cantabrum*, stilo nostri CAELII AVRELIANI consueto, item APICII, VEGETII, et THEODORI PRISCIANI, aliorumque similium medii aeui Scriptorum, idem est ac *furfur.* Audiamus rursus, si quidem placeat, doctissimum CANGIVM, in *Glossario Med. et Inf. Lat. Tom.* II. *p.* 187. *Cantabrum, furfur.* Papias: *Cantabrum, furfur caninum, quo canes pascuntur, purgamenta tritici.* Scholiastes *Iuuenal.* ad illud *Sat.* V. *Farris mordere canini: Cantabri, panis sordidus canum est.* CAELIVS AVREL. Siccens. *Lib.* III. *Tard. Pass. cap.* 2. *Siue Lacte, aut decoctione Cantabri,* item *Lib.* IV. *cap.* 3. *Apponenda vaporatio Cantabri conligati:* Acta Sanct. Eutychetis: *Iussitque eos terram fodere, ad vesperum vero,*

Cantabrum manducare. Acta SS. Nerei et Achillei, n. 19. eodem modo: *Ad Vesperum vero Cantabrum manducare.*

MATTHAEVS quoque SILVATICVS, in *Pandect. Med. fol.* 45. in eandem sententiam: *Cantabrum, Latine furfur tritici:* Item *Cantabricies, id est Ptiriasis, furfurisca, et Cantabries, id est furfures capitis, quae graece ptiriasis dicitur*, vbi tamen vtroque loco, *pityriasis*, scribendum esse, ex hactenus dictis, per se, putem, liquet. Quale mendum et infra occurrit *fol.* 144. *Ptiriasis, scabrum, vel Cantabricum, idem et sunt furfures capitis*, nempe et ibi legendum, *pityriasis*: vt et in *Furfurisca*, ibidem. Sed plura de Cantabro hoc, vid. apud TVRNEB. *Lib.* XV. *Aduersar. cap.* 16. LAVR. PIGNORIVM, de *Seruis*, *pag.* 521. *sqq.* ALMELOVEEN, ad *Caelium* nostrum *Aurel. p.* 616. THOM. REINESIVM, *Lib.* II. *Var. Lect. cap.* 14. *p.* 242. *et Epist.* CXVII. *ad Daum. pag.* 292. aliosque, quibus ea, nisi graue, addantur; quae nosmet ipsi quondam de eadem voce obseruauimus ad THEODORVM PRISCIANVM, in *Append.* ad Libellum nostrum *de Pleuritide*, *pag.* 201. cum sequentibus.

Nihil ergo, vt finem tandem copiosis nostris dictis faciamus, nihil prorsus, inquam, dubitamus, quin haec ipsa nostra Emendatio in CAELIO AVRELIANO tentata, qua legendum esse liquidissime, opinor, demonstrauimus, non φθειρίασις, sed potius πιτυρίασις, tot quippe solidissimis, nisi fallor, argumentis circummunita, plenum vtique assensum in posterum impetratura sit ab omnibus illis elegantioris, erectioris et doctioris ingenii Viris, malignum enim in nos vulgus merito spernimus, et ab his interioribus sacris arcemus, quibus altera nostra circa locum quendam Suetonianum coniectura *de Habenis atque Arundinibus*, olim tantopere placuit, vt eam pro certissima haberent. Contra quam tamen nuper admodum leuis quidam armaturae miles alienis armis indutus, alienisque infirmis auxiliis et infaustis consiliis adiutus, in campum quidem publicum, sed arenosum, temere prosiliuit, qui vero vna cum imbelli sua turba auxiliari, proxime promeritas suae petulantiae poenas nobis publice daturus est. Sed haec obiter tantum.

EXER-

EXERCITATIO QVINTA.

DE

GIBBO EX NEPHRITIDE POTIVS QVAM EX PHRENITIDE ORTO AD HIPPOCRATEM ATQVE CAEL. AVRELIANVM ILLVSTRANDVM ET EMENDANDVM.

Qvam plurima, non negamus, in HIPPOCRATE nostro perspicue illustrando et feliciter emendando, praestiterunt olim Viri perenni laude dignissimi, MERCVRIALIS, FOESIVS, ZWINGERVS, MARTINVS, DVRETVS, MARTIANVS, LINDENIVS, HEVRNIVS, SEPTALIVS, DACERIVS et alii, item ex parte, vtrique SCALIGERI, SALMASIVS, MARSIL. CAGNATVS, MEIBOMIVS, OPSOPOEVS, THOM. REINESIVS, aliique nonnulli: a) per quos omnes HIPPOCRATES senili quasi squalore repurgatus, nunc nitidius viget ac floret; istique vicissim, per ipsum, mansura nominis fama circumfunduntur, et inde nouo lumine exsplendescunt. Interea tamen simul ingenue fatendum est, in tam vasto, arduo et inexplicabili fere opere, non omnia ita ab illis ipsis fuisse explanata, emendata ac correcta, quin longe plura adhuc supersint peractis iam, in posterum peragenda. Inde post largam ac foecundam ipsorum messem, non sterile tenueque nobis relictum fuit spicilegium, sed altera potius nouaque messis adhuc in herba est, et quotidie laetius efflorescit. Adeo, vt hinc verissimum istud sapientissimi SENECAE effatum et hic vel maxime locum habeat commodum: *Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec vlli nato, post mille saecula, praecludetur occasio, aliquid adhuc adiiciendi. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: suspiciendi tamen sunt, et ritu deorum, colendi.*

Id certe nemini non plenius constabit, quisquis venerandum illud paucisque eruditorum reclusum et intellectum opus Hippocraticum noctur-

a) De quibus olim distinctius disertiusque egimus, in *Commentat. de noua* HIPPOCRATIS *Editione adornanda, Sect. II.* edita Lugduni Batauorum cIↃIↃccxxvIII.

nocturna diurnaque manu aliquanto attentius ac religiosius versauerit. Me ipsum profecto, absit hic vana iactantia, et adsit aequus interpres! longior dies id satis superque edocuit, dum per ambitiosum quadraginta annorum spatium, HIPPOCRATI illustrando et emendando, magno molimine, meas curas ac vigilias impendi, quantum adhuc operis residui restet, quantaque materiae nondum rite pertractatae copia abundet, adeo, vt hinc labori potius faber desit, quam fabro labor. Id quidem nullo paene negotio, quam plurimis exemplis, in ipso HIPPOCRATE, vbique obuiis, liquidissime nunc a me ostendi hic posset, sicut iam alibi, copiose demonstraui; b) nisi mihi libenter liberius exspatiaturo, arctius curriculum circumscriberent imperiosa receptae consuetudinis vis, temporis penuria, et chartae inprimis angustia, meque hinc, etsi inuitum, in vnius tantum, sed plane singularis et luculenti, loci explicatione et emendatione occupatum, nunc continerent.

Legitur vero difficilis iste atque ambiguus locus, de quo nobis hic sermo futurus, *Lib.* v. *de Morbis vulgiuagis*, seu *Epidemicis*, *p.* 785. Edit. Linden. c) Sed audiamus iam ipsa Auctoris verba, hic infra adscribenda:

Τῷ μαγείρῳ ἐν ἀκάνθῳ τὸ κύφωμα ἐκ Φρενίτιδος ἐγένετο· τούτῳ φαρμακοποσίη οὐδεμίη ξυνήνεγκεν, οἶνος δὲ μέλας καὶ ἀρτοσιτίη, λουτρῶν τε ἀπέχεσθαι καὶ ἀνατρίβεσθαι λείως, θάλπεσθαίτε μήτε πολλῷ πυριήματι, ἀλλὰ πρηέως.

Quae ita vulgo Latine vertuntur:

Coco in spina gibbositas facta est ex Phrenitide. Huic nulla medicamenti potio conferebat. Verum vinum nigrum, et panis esus, et balneorum abstinentia, et frictio, et lenis fotus, non cum multo fomento, sed placide.

Quae

b) Nimirum in *Comment. de* HIPPOCR. *Edit.* et adiuncto *Commentario in* HIPPOCR. *Lib. de Anatome*, *in Epist. Med. Crit.* ad IO. FREIND. item in *Lib. de* HIPPOCRATE *Atheismi falso accusato*, denique in *Obseruat. Crit. Lib. III. Cap. XXV.* per totum, et passim in aliis quoque scriptis, Diariis Eruditorum insertis.

c) Quem ipsi HIPPOCRATI, post GALENVM, male abiudicarunt MERCVRIALIS et LEMOSIVS, quum tamen eum sub HIPPOCRATIS nomine, aperte citauerint ipse CELSVS, CAELIVS AVRELIANVS, QVINCTILIANVS, PLVTARCHVS et alii veterum, vt et probe obseruauit FOESIVS. Conf. *Epist. nostr. Med. Crit. pag.* 29.

Quae ipsa aegri historia infra rursus, iisdem paene verbis repetita, legitur, *Lib.* VII. *de Morb. Epidem. pag.* 860. hac tantum intercedente differentia, quod ibi pro ἀγροσιτίη, contrario plane sensu, scriptum sit ἀποσιτίη, et in sequentibus, melius additum: χρίεσθαι δὲ, καὶ ἀνατρίβεσθαι χριόμενον: de quibus paullo post, nonnulla.

Nemini igitur aut praestantissimorum interpretum, aut aliorum doctissimorum Medicorum, qui huius loci meminerunt, vlla mendi latentis suspicio hic subnata fuit: quin potius omnes, quantum equidem sciam, veluti VALLESIVS, MARTIANVS, FOESIVS, DVRETVS, VIDIVS, MARC. AVREL. SEVERINVS, MERCVRIALIS, aliique plures, hunc quidem locum, ceu sanum atque integrum, secure et confidenter transmiserunt: donec tandem aliquando, solus primusque obsisteret contra, Vir acerrimi iudicii iuxta et sagacissimi ingenii, doctrinaeque nullis paene limitibus circumscriptae, THOMAS REINESIVS, praecipua et aeterna Germanorum gloria, atque cum in immensae frugis et inexhaustae eruditionis opere *Variarum Lectionum, Lib.* II. *Cap.* III. *pag.* 137. *seqq.* tum *Epistola* XXXVIII. *ad Nesteros, pag.* 68. ingenti doctrinae variae apparatu, pro solito scilicet suo more, ostendere conaretur, et in ipsis HIPPOCRATIS verbis, frustra pro rectis et sanis, hactenus habitis, foedum κύφωμα, seu turpe mendum, residere, et insuper interpretes tantum non omnes, caecos quasi surdosque fuisse in explanandis his oraculis Hippocraticis, nec verum sensum vllo modo, perspexisse, aut indagasse.

Nunc ipsas Viri summi rationes in compendium hic missuri, paucis videamus, quomodo istam suam contrariam sententiam tueatur, quantisque praesidiis ac firmamentis ipsam circummuniat. Nimirum, primo, pronunciat, ἄκανθον, hic potius esse nomen vrbis, aut regionis, quam inhabitauerit miser iste coquus, ex phrenitico, gibbosus demum factus, neque hinc spinam significare posse, quippe quae Graecis potius dicatur, ἄκανθα, vel ἀκάνθη, quod nec pueris ignotum; d) dein-

de

d) De hac voce rariore, in HIPPOCRATE tamen ipso, item EVRIPIDE, HERODOTO et aliis obuia, vid. si lubet, quae contra CASP. HOFMANNVM, obseruauimus, in Comm. nostr. in HIPPOC. *de Anat. p.* 26.

de meram hic περισσολογίαν, seu ταυτολογίαν videri, si scripsisse quis crediderit HIPPOCRATEM alias βραχυλόγον, τὸ κύφωμα ἐν ἀκάνθῳ, seu ἀκάνθῃ, gibbum nempe in spina dorsi, quasi vero gibbositas etiam aliarum partium esset, fortasse femoris, in genu, aut alibi: secundo, pergit, inauditum plane atque incompertum hucusque esse, immo rectius prodigium quasi videri, quod hic quidem gibbus in spina dorsi subnatus narretur ex phrenitide, siue, vt notum, vehementissima corticis cerebri eiusque praesertim membranarum, inflammatione, cum febri acutissima perpetua, et delirio continuo ferocissimo, coniuncta: quum e contrario, rationi magis et experientiae frequentius longe respondeat, ex phrenitide oriri potius posse surditatem; quam quidem gibberosam spinae dorsi extantiam: Et haec ita hactenus.

Quibus ergo rationibus validissimis, vt ipsi quidem tum videbantur, vix hodie nobis videbuntur, inductus et impulsus, locum illum hucusque enarratum, ita demum constituendum ac restituendum praecepit summus ille et acutissimus saeculi sui ARISTARCHVS: *Vetus*, ita enim inquit, *et genuina* HIPPOCRATIS *scriptura est:* τῷ μαγείρῳ ἐν Ἀκάνθῳ, τὸ κώφωμα ἐκ φρενίτιδος ἐγένετο, h. e. *Coco in Acantho, e phrenitide surditas obtigit:* Nempe, vti iam monui, pro ἀκάνθῳ, seu ἀκάνθᾳ, legit Ἀκάνθῳ, et deinde, pro κύφωμα, quod est, *gibbus*, κώφωμα, hoc est *surditas*, vt quidem tum credebat REINESIVS.

Quae cum ingeniosissima et dextro plane Apolline, ac fauentibus Musis, sic excogitata viderentur, ab vniuerso fere senatus eruditi consessu, protinus in resonabiles plausus et votiuas gratulationes consurrectum fuit, adeo, vt nemo paene repertus fuerit, quin Venerem hanc Reinesianam recens quasi Anadyomenen, ex gibbosa quamuis, surdam factam, efflictim deperiret, et ardentissime amplexaretur. Inde profecto nec mirum est, postremum operum Hippocraticorum editorem Viennensem ingeniosam hanc REINESII coniecturam, ceu veram et omni exceptione maiorem, confidenter recepisse, et celeberrimum quondam PLATNERVM, longiore profecto vita dignissimum, ipsum sequu-

ſequutum, ita olim ſcripſiſſe: e) *Haec emendatio, non tam ingenioſa et probabilis, quam vera eſt, quum ex phrenitide longe facilius* μετάςασις *fieri poſſit ad aures, et praecipue ad fauces; ad quas Euſtachii tuba pertinet.* Haec quidem ille vir laudatiſſimus. Vtinam vero et ego in horum gratulantium et applaudentium ſententiam et conſenſum deſcendere, et hanc ipſam quoque coniecturam Reineſianam, quam acutiſſimam eſſe non nego, pro vera pariter atque indubitata habere poſſem! quum reuerentia tam illuſtris per orbem nominis, merito ductus, non niſi aegerrime a tanti viri iudicio et effato diſcedam, mihique alioqui ſemper glorioſum in hunc vſque diem, duxerim, ſplendida ipſius veſtigia, quamuis, pro exiguo ingenii modulo, e longiquo tantum, et paſſibus haud aequis, non tamen plane ſegniter, perſequi.

Sed quum merito potior eſſe debeat ratio veritatis, quam auctoritatis, mentique meae atque oculis illud potiſſimum graue ac ſaluberrimum SENECAE monitum obuerſetur: *Qui ante nos iſta mouerunt, non domini noſtri, ſed duces, ſunt: patet omnibus veritas, nondum eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt:* ideo non poſſum non a venerandi illius viri ſumma alias auctoritate hic quidem maximam partem, diſſenſione mea diſcrepare atque in alia omnia potius diſcedere: Maximam inquam partem, non autem omnem. Namque, vt mihi certe perquam probabile videtur, in eo verum et rectum perſpexit REINESIVS, quando vocem iſtam Ἄκανθον, pro loco, vrbe, aut regione,

 ſumeret,

e) In exercitatione academica, *de iis, qui ex Tuberculis, gibberoſi fiunt,* annexa diſſertationi ipſius, *de negotioſa actione, propter valetudinem, circumcidenda,* Lipſiae 1744. Quare profecto non erat neceſſe, quod in *Act. Erudit.* de Ann. 1745. *Menſ. Ian. pag.* 7. vbi noua haec HIPPOC. Editio, exterius quidem ſatis ſplendida, vtinam vero etiam interius ſatis docta et elaborata, nimis benigne recenſetur, haec ipſa Coniectura Reineſiana, ab Editore nimium feſtinanter recepta et approbata, ita imperioſe commendaretur: *Qua interpretatione, dicite omnes, quid rectius eſſe poſſit?* Immo, *dicite omnes,* inquam ego, *quid falſius et infelicius eſſe poſſit?* vti ſcilicet hic mox in ſequentibus, manifeſtiſſime et ſolidiſſime, ſpero, probabitur. Igitur vel hoc nouo exemplo inſigni admoniti, ſedulo ſibi caueant in poſterum Veterum Auctorum editores, ne nimis calide et properanter ſtatim approbent, aut in contextum adeo ipſum inconſiderate recipiant magnorum Criticorum ingenioſas coniecturas, fallaces ſaepius, quam veraces, et, vt poëta ait, *introrſum turpes, ſpecioſas pelle decora.*

ſumeret, et non per *ſpinam*, interpretaretur, vt omnes, ante ipſum, fecerant interpretes, inter horridas quaſi ſpinas, incedentes et hinc inde lapſantes. Per omnes enim hos, de morbis vulgiuagis, libros, ſemper et vbique fere, HIPPOCRATI noſtro in more poſitum eſt, vt aegrotorum a ſe tractatorum nominibus patriam quoque, aut oppidum, ac regionem plerumque adiungat, memoriae ſcilicet iuuandae cauſſa, vbi tum commorabantur, quum morbis corriperentur. Sic, vt aliquot tantum exempla iſtud comprobatura, ex innumeris, in medium hic adferamus; mox in hoc ipſo libro V. legitur: ὁ Ἀινιάτης ἐν Δήλῳ, et in antecedentibus, Ἑκάσων ἐν Ὀμίλῳ, Κυρήνιος ἐν Ὀμίλῳ, item Ἀμφίπολος ἐν λαρίσσῃ, et Σκάμανδρος ἐν λαρίσσῃ. Sic et *Lib.* I. Κρίτων ἐν Θάσῳ, vbi et plura; item *Lib.* III. φιλίστης ἐν Θάσῳ, Πυθίων ἐν Θάσῳ, porro Περικλῆς ἐν Ἀβδήροισι, Ἀνάξιων ἐν Ἀβδήροισι, ita et *Lib.* IV. ἡ Νικοστράτου ἐν Κράνωνι, et *Libro* denique VII. ὁ Μητροδώρου παῖς ἐν Καρδίῃ, τὸ Πυθῶνος παιδίον ἐν Πέλῃ: ſed ſatis! Talia enim vbique per omnes iſtos, de morbis regionatim graſſantibus, Libros, tanta quidem copia, occurrunt, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε, vt nemini non vel obiter eos percurrenti protinus e ſingulis fere paginis, vberrime conſtabit. Sed vid. huc maxime GALEN. *Comment.* I. *in Lib.* III. *Epidem.* HIPP. *pag.* 200. *ſeqq.* et *Comment.* III. *in Lib.* VI. *Epidem. pag.* 439. *Tom.* IX. *Opp. per* CHARTER. vbi plura, quae huc pertinent. Sic ergo et in hoc noſtro praeſenti loco, τῷ μαγείρῳ ἐν Ἀκάνθῳ, *Coco in Acantho*, ſeu *Coco Acanthio*, legendum cum REINESIO eſſe, nullum ferme relinquitur dubium; inprimis, quum variae Cariae, Macedoniae, Epiri, Aegypti, Thraciae et aliarum regionum, vrbes, oppida, immo et inſulae et montes adeo ipſi *Acanthi* nomine inſignirentur, ceu liquidiſſime patet e STRABONE, HERODOTO, THVCYDIDE, MARCIANO HERACLEOTA, STEPHANO BYZANTINO, LIVIO, PLINIO, MELA, et aliis veterum monumentis, vt iam recentiorum Geographorum, veluti ORTELII, CLVVERII et praeſertim magni CELLARII, aliorumque labores egregios hanc in rem, taceam, quum iſta iamiam laudata affatim ſufficiant. Conf. tamen, ſi placet, SALMASIVS in *Exercitat.* PLIN. *p.* 376. item IAC. GRO-

NOV.

NOV. ad MELAE *Lib.* II. *Cap.* II. *pag.* 147. *ſeq.* ibique inprimis IS. VOSSIVS, *p.* 445. et in *Append.* ad MELAM, contra GRONOV. *pag.* 40. et iterum ad MELAE *Lib.* I. *Cap.* XVI. *pag.* 393. aurei iſtius commentarii; denique BERKEL. ad STEPHAN. BYZ. *pag.* 72. Ne plures iam aduocemus.

Quando vero iſtis ſtatim ſubiungit REINESIVS, non poſſe ἄκανθον ſpinam ſignificare, nec ἄκανθαν, ſeu ἀκάνθην ideo in hoc loco legi; f) quoniam tum, vt porro ratiocinatur vir magnus, mera foret ταυτολογία, ſeu περισσολογία, ſi diceretur, τὸ κύφωμα ἐν ἀκάνθῃ, *Gibber in ſpina:* quum in nulla alia corporis parte, eiusmodi deformes gibberoſi tumores exſurgere ſolerent, quam quidem in dorſi ſpina: in eo profecto rem ioco magis, quam ſerio, mihi tractaſſe videtur, vt tantum, eo ipſo obtentu, vulgarem ac receptam HIPPOCRATIS lectionem ridiculam magis atque abſonam redderet; ſuam contra novam coniecturam tanto magis probabilem ac veriſimilem: ipſamque ſic opere quaſi albario, nitidius incruſtaret, quum ipſi viro non criticarum ſolum; ſed et medicarum inprimis, et chirurgicarum rerum longe peritiſſimo, abunde conſtaret, non in ſpina ſolum; licet ibi creberrime, ſed et in aliis corporis partibus, v. g. ceruice, ſcapulis, pectore, ſiue thorace, lumbis ſ. coxis, aliisque nonnullis, eiusmodi gibberoſas prominentias enaſci frequentius ſolere: id quod poſt ipſum noſtrum HIPPOCRATEM, *Lib. de Articul. pag.* 796. *ſqq.* et doctiſſimum ipſius interpretem, IAC. HOLLERIVM, *Comment. in Aph.* XXVI. *Sect.* VI. *pag.* 377. *ſeqq.* pluribus doctiſſime ſolidiſſimeque oſtendit vir in ea ſalutari arte, quae manu medetur, primam palmam ſuo merito dudum adeptus, MARCVS AVRELIVS SEVERINVS, *Libro* VI. de recondita abſceſſuum natura, *Cap.* II. *pag.* 382. *ſeqq.* et alibi per totum

 tum

f) Vt quibuſdam quidem haud inepte viſum, praeſertim, quum eae ipſae vrbes Ἄκανθοι dictae, nomen ſuum ſortitae ſint, ἀπὸ τῆς ἀκάνθης, monente STEPHANO BYZ. et praeterea arbor quaedam ſpinoſa vocetur Ἄκανθος, ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν; de qua vid. THEOPHRAST. *Hiſtor. Plant. Lib. IV. Cap. III.* et ibi IO. BOD. A STAPEL, *pag.* 307. *ſeqq.* et SALMAS. *Exercit.* PLIN. *p.* 375. *ſeqq.* et rurſus, *de Homonym. Hyl. Iatr. Cap. II.*

tum iſtum tractatum, ob ſummam ſui praeſtantiam, auro contra charum et hinc merito inaeſtimabilem: ne illa iam, praeter neceſſitatem, hic addam, quae magna illa in chirurgicis nomina, PARAEVS, FABRICIVS HILDANVS, HIERONYMVS AB AQVAPENDENTE, SCVLTETVS, PLATNERVS, HEISTERVS ipſe, aliique, de eadem re pridem tradiderunt. g)

Sed accedo nunc demum, ad alteram illam capitalem emendationem Reineſianam, in qua ſibi praeſertim adeo vſque placuit Vir maximus, vt illam bis repeteret, et ipſe, ceu veriſſimam et nulli plane contradictioni opportunam, magna ſui fiducia, aliis commendaret, qua ſcilicet inductus, legendum olim ſuſpicabatur, κώφωμα, loco vulgati κύφωμα, *ſurditatem* ſic nobis pro *gibbo*, perquam exiguo ſane lucro, imo ſi iocari quidem liceat, maiore damno, oblaturus.

Hic vero, quod ad me quidem attinet, ſurdo plane narratur fabula, neque hinc promte audio dictatoria Viri ſummi imperia, quibus alias ob ſingularem aequitatem, prudentiam, veritatem et ingenii diuini praeſtantiam, parere omnino fas eſt, ſi non in omnibus, tamen in plerisque, feliciſſime nempe et ſapientiſſime excogitatis.

Tantum enim abeſt, vt hanc eius nouam Emendationem aut ipſi huic praeſenti HIPPOCRATIS loco conuenire cenſeam, aut magno ſuo auctori ac repertori decus et gloriam conciliare poſſe concedam; vt eam adeo ne graecam quidem eſſe, potius pronunciem. Neque enim apud ipſum noſtrum HIPPOCRATEM, neque apud vllum alium melioris aeui ac notae auctorem graecum, quantum equidem ſciam, vox iſta κώφωμα vſquam occurrit; ſed eius potius loco, κώφωσις, ſiue κωφότης, vbique legitur, vt graece doctis quidem notiſſimum. Ita binae hae voces ſupra, apud auctorem noſtrum, *Lib.* III. *de Morb. Epidem. pag.* 734. *et* 735. alternatim ponuntur, item et alibi ſaepiſſime, vt v. g. *Libb. praenot. praedictor.* et *coacarum praenotionum*, vt taceam omnes hos ſeptem, de morbis vulgiuagis, Libros, in quibus nempe vbique

g) Conf. ſi placet, variorum de *diuerſa gibboſitate*, obſeruationes diligenter collectas, a THEOPHILO BONETO, *Sepulchret. Tom. I. Lib. I. Sect. XII. pag.* 902. *ſeqq.*

vbique extat κώφωσις, vel κωφότης; nunquam autem κώφωμα. Semel quidem istud legitur infra, in loco huic nostro parallelo, *Lib.* VII. *de Morb. Epid. p.* 860. *Edit. Lind.* sed lectores hic admonendi sunt, non tam ibi HIPPOCRATIS scripturam conspici, quam potius LINDANI, siue rectius REINESII, a LINDANO repraesentatam, et audacter nimis ipsi contextui Hippocratio intrusam, non indicata tamen, malo sane exemplo, lectoribus ipsius huius nouae lectionis diuersitate, vt nimirum recepto magis, quam laudabili, more, saepissime solet diuersas variorum doctorum virorum emendationes et coniecturas in ipsum HIPPOCRATIS opus passim temere recipere, non praemonitis tamen, vt decebat quidem, ea de re, lectoribus, nec immutata, vti par erat, ipsa versione latina; quod multis hic exemplis ostendi posset, si nunc id quidem, et non aliud, ageretur. In omnibus enim codicibus HIPPOCRATIS MSCtis Parisinis, diligentissime olim a nobis inspectis ac cum impressis iam Libris, collatis, et in omnibus pariter editionibus hucusque quidem vulgatis, eo in loco, non κώφωμα legitur; sed potius κύφωμα: adeo, vt hinc, quod dixi, indubitatum prorsus sit, nusquam in HIPPOCRATE, aut alibi, τὸ κώφωμα, occurrere; sed semper potius κωφότητα, aut κώφωσιν: Quam ipsam quoque vocem, vt id obiter hic interseram, quondam, in *Epist. Med. Crit.* ad celeb. IO. FREIND, *pag.* 44. reddendam censui ipsi nostro HIPPOCRATI, *Lib.* III. *de Morb. Epid. pag.* 724. vbi vulgo legitur: λήθη, καὶ ἄφεσις, καὶ ἀφωνίη pro quibus nempe scribere mallem, sensu ipso exigente, λήθη, κώφωσις, καὶ ἀφωνίη, quoniam haec mox in hoc ipso libro, et aliis passim locis, ita melius et concinnius coniunguntur. Sed de his hactenus.

Primus ergo, vt pergam, THOMAS noster REINESIVS controuersam hanc vocem κώφωμα, maiore potius ausu, quam feliciore, non solum ipsi HIPPOCRATI obtrusit; sed etiam, quod tanto magis mirandum, vniuersae Graeciae, sine gentium tamen consentientium suffragio, intulit.

Neque tamen id ipsum ignorauit, aut ignorare potuit, pro vasta nempe sua graecarum literarum peritia, in qua, sua quidem tempe-

state,

ſtate, pauciſſimos ſibi habuit pares, neminem vero quantum equidem ſciam, ſuperiorem: quin potius ingenue ipſe faſſus eſt, ſibi quidem nec apud HIPPOCRATEM, nec alibi, lectam aut repertam hucuſque fuiſſe vocem iſtam κώφωμα, interea tamen ſecundum ſic dictam analogiam graecam, illam ſic formari poſſe, et HIPPOCRATI ipſi, ſine vllo dubio, aut vlla cunctatione, inferri ac reſtitui debere.

Sic itaque mira ingenioſae ſuae coniecturae dulcedine illectus, ſuaeque auctoritatis, eximiis in rem literariam vniuerſam meritis, dudum adeptae, nimium certus ac ſecurus, maluit noua, quamuis peiora, introducere, quam vetera, etſi meliora, ſua ſede ſuoque loco intacta, relinquere, nobisque licet inuitis, ſeuere iniunxit, vt ſic quaſi pro bonis nummis priſcis, nouos adulterinos, magna pretii iactura, accipereinus.

Putat nimirum Vir maximus, ſicut vulgo, a σκολιὸς, formari ſoleat σκολιότης, σκολίωσις et σκολίωμα, ab ὑβὸς, ὕβωσις et ὕβωμα, h) itidem a κυφὸς, κυφότης, κύφωσις et κύφωμα, atque ita porro, in aliis multis: Sic pariter, ſecundum illas analogiae regulas notiſſimas, a κωφὸς, etiam praeter vſitata iſta, κωφότης et κώφωσις, deduci aeque commode poſſe ipſum κώφωμα. At enim vero Viro illi graece longe doctiſſimo ignotum eſſe nequaquam poterat, id quod nulli eorum incognitum eſt, qui graece bene poſſunt, in formandis ac flectendis vocibus, earumque deriuationibus, ac quaſi generationibus, per ſeriem et ſtirpes, ordine longo, propagandis et continuandis, ad analogiam grammaticam reſpiciendum eſſe haud ſolam, ſaepius vtpote fallaciſſimam;

h) A quo, vt id obiter hic inſeram, tanquam ab hoc loco non plane alienum, ibidem, Latinorum quoque *Tuber*, deducit, quod tamen forſan rectius deriuari poſſit ab Hebr. טבור, *Tabbur, locus editus*: Sicut et ipſa vox *Gibbus*, deſcendit etiam haud dubie, ab Hebr. גבה, *Gabha*, *elatum eſſe*, vnde גבן, *Gibben*, *gibboſus*, item גבעה, *Gibbea*, *collis*, et inde Syrorum גבעתא, *Gibbatha*, *colliculus*, de quo vid. BOCHART. in *Chan. II.* 13. *p.* 747. et nos ad HVG. GROTII *Chriſt. Pat. Trag. pag.* 420. ipſum denique Graecorum κύπτειν, κυφὸς et κύφωμα, vt et noſtrum forſan vernaculum, *Bücken*, et *Buckel*, natum fuiſſe videtur, ab Hebr. כפף, *Caphaph*, ſeu אכף, *Acaph*, *incuruauit*, vnde et fortaſſe ipſum Latinorum *cauus*, deriuandum. Sed haec ornatus potius, quam neceſſitatis, gratia, lectorum aequiorum pace, dicta et interiecta hic ſunto!

mam; nisi optimae notae probaeque monetae auctorum veterum vsus ipse iisdem praecipuam auctoritatem et stabile fulcrum conciliauerit, ex quorum liquidis exemplis opportune in probationem allatis, vnice merito censeri et diiudicari debet ingenua vocum deriuatarum ac deductarum nobilitas et intemerata prosapia; non vero ex sola tantum vili ac mendaci analogia Grammaticorum: vt iam alibi monui, et pluribus exemplis probaui, *Libro* IV. *Obseruat. Criticar. Cap.* XVIII. *p.* 418. *seqq.* id quod dudum ante nos, data opera, luculentius demonstrarunt viri insignes, VOSSIVS, MARTINIVS, COLDINGVS, PASSERATIVS, vtrique SCALIGERI, BECMANNVS et alii plures etymologici Scriptores.

Licet igitur, vt ex innumeris fere exemplis, vbique in Lexicis obviis, aliquot saltim insigniora hic producam, Graeci Veteres sic recte et vsitate formare et flectere consueuerint, a κενὸς, κενότης, κένωσις et κένωμα, a στερεὸς, στερεότης, στερεώσις, στερέωμα, ab ὅμοιος, ὁμοιότης, ὁμόιωσις, ὁμόιωμα, ab ὀρθὸς, ὀρθότης, ὄρθωσις, ὄρθωμα, a στρογγύλος, στρογγυλότης, στρογγύλωσις, στρογγύλωμα, a ταπεινὸς, ταπεινότης, ταπείνωσις, ταπείνωμα, a χωλὸς, χωλότης, χώλωσις, χωλίωμα, ab ὠχρὸς, ὠχρότης, ὠχρίασις, ὤχρωμα, a δεξιὸς, δεξιότης, δεξίωσις, δεξίωμα, a ψιλὸς, ψιλότης, ψίλωσις, ψίλωμα, a λευκὸς, λευκότης, λέυκωσις, λέυκωμα, a σιμὸς, σιμότης, σίμωμα, a πυκνὸς, πυκνότης, πύκνωσις, πύκνωμα, a σεμνὸς, σεμνότης, σέμνωμα, et, vt tandem desinam, a κυρτὸς, κυρτότης, κύρτωσις et κύρτωμα.

Attamen, ipsa quamuis analogia vel maxime suadente et inuitante, non ad eandem pariter normam, exemplum aut ductum, formant ac deducunt a μαδαρὸς, μαδάρωμα, a μακρὸς, μάκρωμα, ab ὀλίγος, ὀλίγωμα, a φαῦλος, φαύλωμα, a σκαιὸς, σκαίωμα, a νεκρὸς, νέκρωμα, ab ἀκρὸς, ἄκρωμα, a γρυπὸς, γρύπωμα, a ψυχρὸς, ψύχρωμα, a χλωρὸς, χλώρωμα, a ξηρὸς, ξήρωμα, a παλαιὸς, παλαίωμα, ab ἁπαλὸς, ἁπάλωμα, a στρεβλὸς, στρέβλωμα, a κακὸς, κάκωμα, a κῦφος, κῦφωμα, a σομφὸς, σόμφωμα, a φαιδρὸς, φαίδρωμα, a μωρὸς, μώρωμα, a πικρὸς, πίκρωμα, a μικρὸς, μίκρωμα, a θερμὸς, θέρμωμα, et, denique, vt finem tandem faciam his minutiis grammaticis, a τυφλὸς, τύφλωμα:

Sed potius hae omnes et ſexcentae aliae huiusmodi voces formant tantum ac terminant ſua deriuata in ότης, et ωσις, nunquam vero in ωμα: atque ſic ſimillimum plane in modum, a κωφὸς, ſemper deſcendit tantum κωφότης, et κώφωσις, nunquam autem, quantum equidem memini, κώφωμα, vt maximus tamen contra omnium veterum auctorum fidem et vſum, voluit et imperauit REINESIVS.

Minime quidem me fugit, haec ipſa etymologica, aut ſi quis malit, analogica hactenus aliquanto diligentius pertractata, ad infima potius pertinere Grammaticorum ſubſellia; quam quidem ad altiores Medicorum cathedras: interea tamen, licet primam frontem, ſatis vilia et abiecta viſa, huc neceſſario erant in ſubſidium aduocanda et adhibenda, ad ſubuertendum ſcilicet atque penitus disiiciendum ipſius emendationis Reineſianae fundamentum, cui potiſſimum confidenter innitebatur Vir ille incomparabilis, vt ſupra vidimus. Quodſi enim vox iſta κώφωμα nulla fuerit, nec Graeciae veteri cognita; ſed recens potius reperta, et ad analogiae tantum ambiguae normam, ſine ſolida auctoritate, efficta ac formata, vti hactenus latius oſtendimus, ac validius, opinor, probauimus: ſua profecto ſponte, tunc neceſſario conſequitur, iſtam nec in HIPPOCRATE, auctore vetuſtiſſimo et grauiſſimo, emendando, locum vllum habere poſſe; nec ipſum HIPPOCRATEM hoc quidem in loco, quem hic examini ſubiecimus accuratiori, vllo foedo mendo, vt quidem fruſtra videbatur olim REINESIO, eſſe inquinatum. Quod adhuc luculentius apparebit, vbi paullo inferius ventum fuerit ad ipſam medendi rationem ſingularem, hic ab HIPPOCRATE noſtro traditam. Vix enim mente ſolerti et ab experientia medica ſatis inſtructa, concipi poteſt, quomodo ſurditas illa coci phrenitici, (ponamus enim tantiſper, verum ac probum eſſe iſtud κώφωμα Reineſianum,) per eſum panis, vſum vini nigri, item per lenes frictiones ac blanda denique fomenta, commode perſanari ac penitus expugnari potuerit.

Etſi autem priſtinam ſuam lectionem HIPPOCRATI ſic pro virili, niſi fallor, vindicauimus, eamque ab illuſtri quidem REINESIO immerito eiectam, poſtliminio quaſi, in priorem ſuam ſedem reduximus: ideo

ideo tamen minime arbitramur, ipſum hunc HIPPOCRATIS locum generatim, ex omni parte, ſanum atque integrum eſſe: quin potius e contrario, admodum perſuaſi ſumus, graue adhuc mendum in ipſo alicubi delitescere, cuius abſcondita hucusque cubilia nunc indagare conabimur. Summa ſcilicet illa ſemper adhuc reſtat difficultas, ſuperius iam commemorata, quonam nimirum modo, miranda plane atque inaudita hactenus, morbi μεταςάσει, ſeu tranſitione, ex phrenitico fieri potuerit gibboſus? quod praeſertim vehementer hic vrſit ipſe REINESIVS, vti ſupra monitum: Cui proinde haec ipſa morbi hiſtoria diro portento propior, non immerito videtur, quam verae narrationi: licet nihil ibi obſcuritatis aut difficultatis inuenerit MARC. AVR. SEVERINVS, *Lib. de gibbis, valgis et varis, Cap.* II. *pag.* 383. et praecipue VALLESIVS, qui nempe in *Comment.* in hunc HIPP. locum, *pag.* 519. ita aperte ſcribere nullus dubitauit: *Ex phrenitide gibboſitatem ſuperfuiſſe, non habet magnam admirationem.* Immo profecto habet, inquam ego, pace ipſius, cum REINESIO, praeſertim, quum nullum hucusque in medicorum ſolertiorum commentariis inuenerim exemplum, licet indefeſſus quaerendo, omnem adhibuerim diligentiam, quod cum hoc quidem Hippocratico, perfecte et omni ex parte, comparari potuerit: quaerant ergo feliciores. Probe equidem ex ipſo HIPPOCRATE noui, febres acutiſſimas cum ferociſſimo quoque dilirio coniunctas, ſalutari natura valentioris beneficio, ſolutas interdum fuiſſe ſubito inguinum ac crurum dolore, item diuturna pedum dolentium moleſtia, materia nempe iſta febrili maligna ad illas extremas corporis partes, ſaluberrima nimirum criſi, depoſita: vti apparet ex binis illis ſingularibus hiſtoriis HEROPHONTIS, *Lib.* I. *de Morb. Epid. Sect.* III. *Aeg.* III. *pag.* 675. et VIRGINIS ABDERITANAE, *Lib.* III. *de Morb. Epid. Sect.* III. *Aeg.* VII. *pag.* 735. conf. Ill. VAN SCHWITEN, *Comment.* BOERHAAV. *Tom.* II. *pag.* 609. Verum foedum dorſi gibber ex phrenitide quoque obortum fuiſſe, nullo plane alio, quam hoc quidem loco vnico, commemoratur. Illud vero, quod modo indicaui, mendum, non tam cum REINESIO, in voce κύφωμα, perquirendum; quam potius mecum, ſi lubet, in illis praecedentibus

proxime, verbis: ἐκ φρενίτιδος: Quod si enim hac ipsa, ne vlla quidem litera demta, aut addita, sed leuiter saltim aliqua transposita, mutaueris in ἐκ νεφρίτιδος, tum veram, vt mihi certe videtur, illico habebis HIPPOCRATIS ipsius scripturam, et huic loco accommodatissimam, et ipsi praesertim naturae rei atque frequentiori experientiae conuenientissimam: Longe enim facilius intelligi ac mente solerti concipi potest, quo nempe modo, a malo nephritico, praesertim vero diuturno, et ex sordida humoris vitiosi, lenti ac viscidi colluuie, item et materia acri sabulosa, in ipsis renibus sensim collecta, suborto, proxime vicinis musculis psoadicis, i) cum decurrentibus ibidem neruis, ac propinquis spinae ipsius dorsi vertebris, in mutuum doloris propagati consensum, et communis periculi societatem abreptis et pertractis, gibbosum eiusmodi tuber exsurgere demum possit: quam, qua commoda et expedita ratione, dirae phrenitidi, in loco altiore ac remotiore saevienti, vt notum, in subiectam quidem, at longius protentam, dorsi spinam, eiusque inferiores praesertim vertebras, liberior transitus concedatur, vt scilicet ibi, relicto subito ipso capite, tetrum tumorem gibberosum suscitet: quum omnes potius Medicorum praestantissimi sedulo passim obseruauerint, ex eiusmodi inueterata magis, quam acuta, Nephritide, k) ipsius dorsi arcuatam quasi curuationem, rigidum crurum stuporem, item et contractionem, testiculorum reuulsionem, aliaque innumera fere infimi ventris mala subinde coorta fuisse: vti ingenue testantur, ipse noster HIPPOCRATES, *Lib.* VI. *de Morbis Epidem.* mox ab initio, *pag.* 796. ibidemque GALENVS, in *Comment. pag.* 369. *Tom.* IX. *Opp.* et ex eo VALLESIVS, *p.* 576. item AEGINETA, *Lib.* III. *Cap.* XLIV. *p.* 45. ARETAEVS, TRALLIANVS et alii. E recentioribus autem doctissimus LANGIVS, *Epist. Med.* XLV. *Lib.*

i) Item et ῥαχιαίοις, siue ῥαχίταις, hoc est spinatis, seu spinalibus, sicuti vulgo dicuntur, vt eos generatim ita vocat GALENVS *Comment. in Aphorism. XXXVI. Sect. VII. pag.* 311. *Tom. IX. Opp.* et alibi.

k) Vtraque enim dicitur, vt notum ex GALENO et aliis, immo ipso HIPPOCRATE, conf. HOLLER. in *Aphor. VI. Sect. VI. pag.* 331. SEPTAL. in *Lib. de Aër. Aq. et Loc. p.* 281. VIDIVM, FOREST. *Obseru. Med. I. Lib. XXIV. p.* 5. *in schol.* et alios.

Lib. I. *pag.* 203. LAZAR. RIVERIVS, *Prax. Med. Lib.* XIV. *Cap.* I. *p.* 414. et *Cap.* III. *p.* 424. *Opp.* PETR. FORESTVS, *Obs. Med.* I. *Lib.* XXIV. ROLFINC. *Med. Consult. Lib.* IX. *Consult.* I. *p.* 804. et *Cons.* II. *p.* 820. LOMMIVS, *Medicinal. Obseruat. Lib.* II. *pag.* 206. SCHENCKIVS, *Obseruat. Med.* CCX. *Lib.* III. *Tom.* I. *p.* 889. WELSHIVS, *Curat. et Consil. Med. Decad.* VII. *Curat.* VI. *p.* 424. IO. WALAEVS, in *Medicina pract.* opere eximio, sed rariſſimo; *Cap.* XIX. *p.* 197. *Opp.* CAROLVS PISO, in opere incomparabili, *de Morbis ex seroſa colluuie ortis*, *Sect.* IV. *Cap.* II. *p.* 366. *seqq.* PETR. PETITVS, in *Comment. in Aret. p.* 196. *ſeq.* FRIDER. HOFMANNVS noſter, in *Med. ſyſtemat. Tom.* IV. *Part.* I. *Sect.* II. *Cap.* VIII. *p.* 471. *et* 476. WEDELIVS, *de ſingulari Nephritici cuiuſdam Hiſtoria*, ipſe denique BOERHAAVIVS, qui inſtar omnium, in *Aphoriſ.* 993. et ibidem Vir maximus et perilluſtris, VAN SWIETEN, in *Commentar. Tom.* III. *p.* 223. nouiſſime ingenti Medicorum iuxta et aegrotorum, commodo, edito, quem benigniſſimae ipſius munificentiae gratiſſimus debeo, ne alios plures, iam praeter neceſſitatem, in teſtimonium huc aduocemus, vt FERNELIVM, SENNERTVM noſtratem, ETTMÜLLERVM, WILLISIVM, BONETVM, SYLVIVM, HELMONTIVM, TACHENIVM, reliquosque fere innumeros, qui idem de crurum potiſſimum ſtupore et contractione, item et ex parte, de ipſius dorſi incuruatione, conſtanti experientia, obſeruarunt, quoniam haec nemini non, ex Medicis quidem doctioribus, mea certe opinione, aut ſunt, aut eſſe debent, notiſſima. Inprimis, quum paullo inferius, ſuo loco, ceu teſtes grauiſſimos et maxima auctoritate fideque conſpicuos, rurſus producturi ſimus ipſum noſtrum HIPPOCRATEM, vt et CAELIVM AVRELIANVM, qui apertiſſime et planiſſime pronunciabunt, diuturniorem ac pertinaciorem Nephritin ſaepius deſiiſſe in eiusmodi deformia κυφώματα τῆς ἀκάνθης, ſiue gibberoſa dorſi diſtorti curvamina.

Ceterum, vt ad locum noſtrum Hippocraticum, hactenus pauliſper derelictum, iam regrediamur, nemo non confeſtim videbit, facilem admodum pronumque eſſe omnino lapſum, propter arctiorem

ſcilicet ſoni, literarum et ſcripturae affinitatem ac viciniam, inter νεφρῖτιν, et φρενῖτιν, et inter νεφριτικὸν, et φρενιτικὸν, item φρενῶν et νεφρῶν. Quare et factum, vt in veterum Medicorum graecorum libris manu exaratis, et imperitis praeſertim rerum medicarum ſcribis, hae ipſae binae voces ſibi adeo vicinae ac congeneres, vbique fere inter ſeſe facile permutarentur, ac perperam confunderentur. Sicuti noſmet ipſi ſaepiſſime olim liquido deprehendimus, quum ante hos viginti quaſi annos, quod adhuc profecto meminiſſe ſuauiſſimum eſt, in ſplendidiſſima et locupletiſſima bibliotheca vere regia pariſienſi, HIPPOCRATIS, GALENI, AEGINETAE aliaque priſcorum Medicorum graecorum monumenta veneranda, vna cum Gloſſariis nonnullis Medicis, nondum in lucem editis, haud indiligenter verſaremus. Sic, vt pauca tantum, in huius rei probationem, producam iam ex ipſo HIPPOCRATE noſtro, exempla, *Lib. de iudicat. p.* 442. in quibuſdam Codicibus legitur: τὰ κάτω τῶν φρενῶν χωρία, in aliis vero, τῶν νεφρῶν, quod equidem melius putem. Porro ibidem, *p.* 445. mox occurrit: τοῖς μελαγχολικοῖς μετὰ νεφριτικῶν ἐχομένοις, κ. λ. [1]) quod ipſum pari errore, recurrit *Aph.* XI. *Sect.* VI. τοῖσι μελαγχολικοῖσι καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγενόμεναι, quum tamen vtrobique, ſenſu ipſo ſic valide imperante, ex melioribus membranis, a nobis ſedulo collatis, legendum ſit potius, τῶν φρενιτικῶν, ſeu φρενιτίδων, et τοῖσι φρενιτικοῖσι, in altero aphoriſmi loco, quod et dudum ex aliis Codicibus, pariter acute obſeruauit Vir vaſtae prorſus et inexhauſtae eruditionis, GEORG. HIERONYMVS WELSCHIVS, *Curat. et Conſil. Med.* X. *Decad.* X. *p.* 672. item magnus BALLONIVS, *Lib. de Virgin. et Mulier. Morb. pag.* 91. *Tom.* IV. *Opp. Edit. Venet.* In *Cod.* quoque MEAD. ceu varia Lectio, in margine, adſcriptum eſt φρενιτικοῖσι: Conf. et FOES. in Not. ad eundem *Aphoriſm. pag.* 1267. vt alios iam taceam interpretes, licet, quod valde mirum, ipſe GALENVS vulgatam il-

lam

1) In LINDANI nempe Editione: Sed apud MERCVRIALEM, FOESIVM, item ALDVM, et FROBENIVM, legitur longe rectius, φρενιτίδων: quod cur ſic in peius mutauerit LINDENIVS, prorſus ſane me fugit ratio, et forte ipſe nullam habuerit. Ceterum iſta diuerſitas noſtram coniecturam tanto magis confirmat.

lam lectionem vitiosam retinuerit. Nullus enim plane in binis istis locis, modo laudatis, potest esse locus τῷ νεφριτικῷ, quoniam nempe proxime praecessit, ceu synonymum, τὸ μελαγχολικόν; sed necessario potius, dictis ex rationibus, substituendum est, vt monui, τὸ φρενιτικόν: inde et CELSVS ipse optime vertit *insaniam;* quia et ille recte in suis Codicibus legerat φρενιτικόν, non νεφριτικόν. Sed rem ipsam extra omnem controuersiam ipse ponit HIPPOCRATES, praeter istum manifestum locum, e *Lib. de iudicat.* iam laudatum, rursus infra, *Aph.* XXI. *Sect.* VI. his quidem verbis: τοῖς μαινομένοισιν κιρσῶν, ἢ αἱμορροΐδων ἐπιγενομένων, τῆς μανίης λύσις: vbi nempe consueto breuitatis amicae studio, sub generali voce μανίης, et μαινομένοις, complexus est τὸ μελαγχολικὸν καὶ φρενιτικόν. Denique, vt vnicum adhuc, sed insignem plane locum, huc adferam, *Lib. de Coac. praenot. p.* 574. in impressis vulgo Codd. legitur: Ποδαγρικά, νεφρῖτις, κιρσὸς περὶ κνήμην. In aliquot contra scriptis, et quidem paullo recentioris aeui, φρενῖτις, quod tamen peius est vulgato illo νεφρῖτις, quod necessario, sensu sic exigente, huc reducendum: e contrario *Aph.* XXX. *Sect.* III. λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, in vulgatis quidem hactenus editionibus, scriptum deprehenditur, et quidem recte; in nonnullis contra libris scriptis, νεφρίτιδες, sed male; praecedens enim λήθαργοι, et subsequens καῦσοι, ipsa necessitate cogente, et rei natura postulante, omnino requirunt illud φρενίτιδες, et respuunt iure, alterum νεφρίτιδες. Sic et, quod maxime huc facit, et nostrae coniecturae grauissimum sane pondus addit, *Lib.* II. *Epidem. pag.* 705. multi Codd. Veteres habent: ἀπὸ τῆς ἡπατίτιδος διὰ τῶν νεφρῶν, αἱ μέγισται δύο ἀρτηρίαι, plures vero et meliores, φρενῶν, bene adnotante FOESIO, in *Not. p.* 1036. et *Cod.* quoque MEAD. quod et ipsi in Codd. MSt. parisinis olim obseruauimus. Rectius vero hic φρενῶν, quam νεφρῶν; quare et illud prudenter in contextum receperunt MERCVRIALIS, FOESIVS et LINDANVS; male contra hoc νεφρῶν retinuerunt ALDVS atque FROBENIVS, item et CHARTERIVS. Exinde igitur nunc luculentissime, opinor, patebit, perpetuam fere in antiquis Libris, esse confusionem, inter φρενῶν, et νεφρῶν et inter νεφριτικά, et φρενιτικά, vt iam

supra

ſupra opportune a me monitum fuit. Sed ſciens prudensque omitto iam plura id genus alia, ne haec critica ſuo quidem vſu et iucunditate apud humaniores lectores haud caritura, faſtidio forſan ſint imperitis harum incognitarum deliciarum cenſoribus. m)

Veriſi-

m) Nihil autem frequentius fere in Vett. Libb MSCtis occurrere huiusmodi quidem litterarum cognatarum permutatione ac tranſpoſitione, ſeu metatheſi, omnes ii optime norunt, qui antiquas membranas diligenter tractarunt, et inter hos praecipue, IOS. SCALIGER. ad VARRON. FEST. et MANIL. CASAVBONVS, ad ATHEN. STRAB. et POLYBIVM, SALMASIVS ad SOLIN. et alibi, BOCHARDVS in *Chan. et Hierozoic.* item GRVTERVS, LEOPARDVS, VOSSIVS, PALMERIVS, RVTGERSIS, MVRETVS, MEVRSIVS, LIPSIVS, COTELERIVS, *ad Monument. Vett. Eccleſ. Graec. Tom. II. et III.* imprimis REINESIVS in *Var. Lect. Epiſt.* ad RVPERT. et ad Inſcriptiones Comment. nec non noſtrae quidem aetatis clariſſimi Viri, MONTFAVCONIVS, BENTLEIVS, MARKLANDVS, TAYLOR, BOS, WESSELING, ALBERTI, BERNARD, ABRESCH, GRONOVIVS ad HERODOT. et ARRIAN. REISKE, BYNKERSHOEK. in *Obſeruatt. Iuris Rom.* SCHRADER. ad MVSAEVM, VALKENAER. ad AMMON. aliique plures in elegantiſſimo praeſertim Miſcellan. Obſeruat. Criticar. opere. Data vero opera id argumentum ſtrenue perſequuti ſunt ROBERTELLVS et SCIOPPIVS, in *Libb. de Arte crit.* GVIL. CANTERVS, in *Syntagmate de ratione emendandi vet. auct. Graec. Cap. V.* item BONGARSIVS, in Not. ad IVSTIN. *Lib. XXI. Cap. I.* et IO. FRID. GRONOVIVS, *Obſ. var. Lib. I. Cap. II.* et alibi, vel maxime vero IO CLERICVS, in praeſtantiſſimo opere, de *Art. Crit. Part. III. Sect. I. Cap. IV.* per totum. Sic ſaepius olim nosmetipſi in Codd. MSCtis Graecis, per conſuetam iſtam et vbiuis fere obuiam litterarum affinium metatheſin, confuſa, et inter ſeſe permutata, deprehendimus: νομὴ et μονὴ, νόμος et μόνος, κῶμος et μῶκος, θέλω et ἔλθω, τόνος et νότος, χυτὸν et τυχὸν, Θεὸς et ἔθος, μοτὸς et τόμος, Θέω et ἔθω, ὑφὴ et φυὴ, φλύαξ et φύλαξ, φερνὰς et φρένας, Θυμὸς et μυθος, Φίλη et Φλιὴ, νήφω et φωνὴ, νεφρὸν et φέρον, πυρὸς et ῥύπος, ῥύμα et μύρα, κότος et τόκος, εὐνὴ et νέυη, κάρος et ῥάκος, φορητὰ et ῥοφητὰ, ἀνορεξίαν et ὀρᾶν ἀξίαν, in loco illo SIMPLICII illuſtri, a SALMASIO ſic feliciſſime emendato, item ἀγρῷ et γάρῳ, apud THEOPHRAST. *Charact. eth. Cap. XIV.* vt nos ibi legimus, pro ἀγρῷ, item μένον, pro νέμον, apud MAX. TYR. *Diſſ.* XXXVII. ex noſtra emendatione, ſic et porro συρμὸς, et ῥυσμὸς, φαρκὶς, et κάρφος, πόκος et κόπος, γόμος et μόγος, χέω et ἔχω, ἥσυχος et συχνὸς, apud HIPP. Κάρσις et κράσις, κάρμα et κράμα, λάπτω et πλάττω, συλᾶν et λυσσᾶν, γάμος et μάγος, apud MENANDR. γαληνὸς et λάγηνος, λωφᾷν et φωλεῖν, κύσος et σύκος, σιμὸς et μῖσος, δορὸν et ῥόδον, δόρπη et πορδὴ, τέρπω et τρέπω, ῥαθυμῆσαι et ἀριθμῆσαι, item ἠρεμῆσαι, apud Suid. vid. Reineſ. Var. Lect. III. p. 470. vbi errat. ita et φώκη et κωφὴ, τροχὸς et χόρτος, βαλεῖν et λαβεῖν, λύπη et πύλη, χλόη et χολὴ, χολοῦμαι et ὀχλοῦμαι, λόχος, χόλος et ὄχλος, βρέφη et φέρβη, φόρημα, φρόνημα et ῥόφημα, φάρη et ῥαφὴ, φόρτος et τροφὸς, νόθος et ὄνθος,

Verisimillimum igitur, vt pergam, mihi hinc videtur, pari quoque ratione, ex consueto illo scribarum supinorum errore, et in praesenti HIPPOCRATIS loco, peccatum fuisse, atque sic ex vsitatissima ista, tametsi praua, permutatione ac confusione inter νεφρῖτιν, et φρενῖτιν, et inter φρενιτικὸν, et νεφριτικὸν, clanculum male irrepsisse in illum, ἐκ φρενίτιδος, quum ipse ante scripsisset sua manu HIPPOCRTES: Ἐκ νεφρίτιδος. Immo, vt plus dicam, contra receptum alias mihi morem, in huiusmodi incertis criticis, certi quid statuendi ac libere pronunciandi, non verisimillimum amplius mihi videtur, sed potius propemodum re ipsa verissimum apparet, ita, et vix aliter, scripsisse quondam HIPPOCRATEM, nempe ἐκ νεφρίτιδος, non autem, ἐκ φρενίτιδος. Sed dabo nunc, hem tempus demum est! et producam hic testem grauissimum et veracissimum, ipsiusque nostri HIPPOCRATIS optimum, sagacissimum et fidelissimum interpretem, nimirum HIPPOCRATEM ipsum, quo certe melior verborum suorum interpres, fallere quippe nescius, vt MACROBIVS de ipso ait, reperiri haud potest.

Ita autem ille ipse, nunc attendite, quaeso, et arrigite aures, Lectores! in libro suo, haud dubie ab ipso, et non alio, scripto, de articulis, *p.* 794. *T.* II. *Opp.* per LINDEN. verbis quidem clarissimis et ad rem ipsam declarandam, vel maxime aptis, pronunciat: Ὅσοισι κατωτέρω τῶν φρενῶν τὸ κύφωμά ἐστι, τούτοισιν νοσήματα μὲν ἐνίοισι προσγίνεται νεφριτικὰ, καὶ κατὰ τὴν κύστιν; hoc est: *Quibus infra septum transuersum, gibbositas est, ex his, quibusdam morbi renum, ac vesicae accedunt*, vel potius, *in his praecedunt:* ita malim enim hic vertere verbum προσγίνεται, quare et leuissima quidem mutatione, commode legi hic posset, πρόσθεν γίνεται, vel adhuc facilius, προγίνεται, nisi scirem, τὸ προσγίνεσθαι saepius sensu ac significatu, tantundem valere, ac quidem προγίνεσθαι: id quod plurimis exemplis similibus, copiose et eruditissime,

θος, κρέας et κέρας, ῥόθος et ὀρθὸς, ῥόθιον et ὄρθιον, πότος et τόπος, φῦκος et κυφὸς, φυτὸς et τύφος, μυχὸς et χυμὸς, et innumera fere alia, ex quibus iam olim nonnulla notaui in Obseruationum Criticarum Libris, et in Specimine Emendationum Hesychianarum, item alibi. Sed haec sufficiant.

ſime, pro more ſuo ſolito, oſtendit Vir celeberrimus, graece doctiſſimus, nobisque amiciſſimus, FRID. LVD. ABRESCHIVS, *Lib.* I. *Animaduerſ. in* AESCHYLI *Tragoedias, Cap.* X. *pag.* 62. *ſeqq.* et alibi, in ſequentibus, operis iſtius praeſtantiſſimi et optimae frugis pleniſſimi. Conf. et clar. VALKENAER. *Obſeru. ad* AMMON. *Lib.* II. *Cap.* XII. *pag.* 126. item PAVL. LEOPARD. *in Emendat. Libb.* et maxime CASAVBON. ad STRABONIS *Lib.* XV. *p.* 1050. item celeb. WESSELING. ad DIODOR. SIC. *Lib.* II. *p.* 126. *Tom.* I. Iſtum autem potiſſimum ſenſum hic reddendum eſſe huic verbo προσγίνεσθαι, vt nempe ſignificet, *praecedere, prius enaſci, antea fieri, oriri*, et ſimilia, clariſſime quidem ex antecedentibus ipſius HIPPOCRATIS verbis, videtur colligendum: Σπόνδυλοι δὲ, ita enim inquit, οἱ κατὰ ῥάχιν, ὅσοισι μὲν ὑπὸ νοσημάτων ἕλκονται ἐς τὸ κῦφον, τὰ μὲν πλεῖστα ἀδύνατα λύεσθαι. h. e. *Verticula vero ſpinae quibuscunque in gibbum trahuntur a morbis, plerique,* (illorum ſcilicet gibborum) *vt ſoluantur, fieri non poteſt.* Praecedunt ergo, quod liquido ex his patet, ſaeui ac diuturni morbi, vti verbi cauſſa, Arthritis, Nephritis, dolor iſchiadicus, vt et pſoadicus, rhachitis, quam ipſe mox hic HIPPOCRATES manifeſte deſcribit, immo rectius exacte depingit, item febres intermittentes pertinaciores, epilepſia, rheumatiſmus, ſcorbutus, ſpaſmus, variae mictualium viarum querelae, quomodo CAEL. AVRELIANVS loquitur, vt alias id genus diras miſerae humanae gentis peſtes iam taceam; ſuccedunt autem demum his, tractu temporis, foeda ſpinae extortae gibbera. Qua de re exempla proſtant apud ipſum HIPPOCRATEM, *Lib. de intern. affect. p.* 257. et *de morbo ſacro, p.* 332. item alibi. Vid. et *Aphor.* XIV. *Sect.* VI. ibique GALEN. *pag.* 279. *Tom.* IX. *Opp.* Conf. BONETI *Sepulchret. Tom.* I. *Lib.* II. *Sect.* XII. *p.* 912. Morbi igitur, quod iam dixi, frequentius ſunt gibborum cauſſae, quam gibbi, morborum, licet et hoc nonnunquam fieri poſſe, certiora edocti, haud praefracte inficiemur: Tum vero, quod et hic docet ipſe noſter HIPPOCRATES, et rurſus infra, in MOCHLICO, *pag.* 868. et alibi, praeeunte ipſa fida experientia, morbi iſti gibbis ſuperuenientes ple-

rumque

rumque potius sunt critici ac salutares; n) quam quidem symptomatici, aut nociui: quum e contrario, gibbi morbis succedentes, sint maximam partem symptomatici, aduentitii, et, vt verbo dicam, malarum caussarum peiores effectus, dum veluti aduena tempestate, in vertebrata spinae ipsius ossa subito irruunt. Inde igitur ipse HIPPOCRATES noster, in hoc, quem pertractamus, loco, rectius scripsit ex nostra quidem emendatione, τὸ κύφωμα ἐκ νεφρίτιδος ἐγένετο, quam si scripsisset, ἡ νεφρῖτις ἐκ τοῦ κυφώματος ἐγένετο, quoniam nempe illud ipsi rei naturae et crebrae experientiae conuenientius, quam quidem hoc posterius. Sicque ipse hic locus exactissime respondet alteri illi modo laudato: Ὅσοισι τὸ κύφωμα ἐστὶ, τούτοισιν νουσήματα προσγίνεται νεφριτικά; respondet inquam exactissime, non solum secundum nuda verba, habes enim in vtroque τὸ κύφωμα, non vero surdum illud κώφωμα, merito supra eiectum, habes etiam porro, in vtroque, τὰ νεφριτικά, seu ἐκ νεφρίτιδος, quod idem: sed et, quod tanto magis notandum, secundum ipsam rem, quod nempe diuturnam Nephritin demum subsequutus sit indecorus spinae gibbus, feliciter tamen paullo post sanatus: Adeo, vt hinc fere inducar, vt credam, HIPPOCRATEM nostrum ad hanc ipsam de coco gibboso, historiam singularem, respexisse, eamque potissimum in animo habuisse, quum alteram istam obseruationem practicam, vel chirurgicam, de gibbis e renum ac vesicae morbo enatis*, in libro de articulis supra laudato, primus conderet, et in serae posteritatis vsus profuturos, consignaret. Verum quocunque demum modo, quisquam in vtramque partem, hunc ipsum HIPPOCRATIS de *Artic.* locum explicuerit, acceperitque siue de subnato ex nephritide gibbo, siue contra, de nephritide ex gibbo oborta; adeo, vt dubium inde superfit, fueritne sic nephritis gibberis

 caussa,

n) Singulare eiusmodi exemplum puellae gibbosae per succedentem febrem acutam, cum diarrhoea sociatam, feliciter sanatae et erectae, retulit Cel. CHICOYNAEVS in *Memor. Acad. Reg. Scient. Paris.* 1731. *p.* 724. *Sic ipsa igitur febris, quod maxime mirum videri potest, saepe praesidio est*, vt CELSVS vere et scite loquitur, *Lib. II. Cap. VIII*. Conf. SENEC. *Lib. I. de Ira*, *Cap. XII*. Vid. PETIT. ad ARETAEVM, *pag.* 147. et Cel. BERNARD. ad PALLAD. *de Febr. pag.* 80.

cauſſa, an vero effectus? illud tamen interea ſemper certum et indubitatum manet, atque ex hoc quidem loco, manifeſtiſſime probatur, congeneres ſibique proxime affines eſſe morbos, nephritidem atque gibboſitatem, ac ſeſe inuicem triſti et moleſta ſucceſſione, ſaepius excipere: Vnde nunc haec ipſa noſtra alterius loci Hippocratici emendatio ſuperius propoſita, eo validius robur accipit, vt tanto tibicine fulta, vix concuti, multo minus ſubuerti, opinor, poſſit.

Sed iam de his ſatis, immo plus, credo, ſatis. Iam vero et alterum hanc in rem, teſtem, haud minoris ſane auctoritatis, producamus, CAELIVM nempe AVRELIANVM, HIPPOCRATI quidem ipſi ex ingenerato rigidae ſuae ſectae odio ac caeco praeiudicio, ſaepius, praeter rationem, infenſum; in hoc tamen capite et argumento; cum ipſo placide conſpirantem ac conſentientem. Ita autem ille, *Lib. de morbis chronicis, V. Cap.* III. *pag.* 568. de Nephritide: *Tardante paſſione, ſequitur nephriticos corporis tenuitas nimia, adeo, vt quidam vncati permaneant, et ſemper proni ambulare cogantur, nec vnquam ſe erigere poſſint.* Vbi, vt id obiter hic moneam, *vncati*, voce perquam eleganti ac ſignata, qualibus multis in media ſua horrida barbarie, iucundiſſime tamen abundat ſcriptor hic Africanus, iidem ſunt, qui graecis alias vocantur γρυπȣ̃μενοι, κυρτȣ́μενοι, κυφȣ́μενοι, κεκυρτωμένοι, item et συγκύπτοντες, ſeu συγκεκυφότες, ſicuti de foedo illo Therſite, HOMERVS, *Il.* II, 217. Τὼ δέ οἱ ὤμω κυρτὼ, ἐπὶ ϛῆθος συνοχωκότε, et vt miſeranda illa femina, inſanabilis et a Medicis deſerta, ἦν συγκύπτȣσα, καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύψαι εἰς παντελὲς, apud *Luc.* XIII, 11. vbi vid. ſi lubet, quae quondam obſeruauimus in curis philologicis ſacris Wolfianis, *Tom.* I. *pag.* 677. o) *proni* autem iisdem graecis vulgo dicuntur πρηνεῖς, item καταπρηνεῖς, et ἐπιπρηνεῖς, vnde et ipſum latinum *pronus*, deſcendit, vt vulgo notum. Sed haec obiter, et veluti in transcurſu.

Idem

o) Conf. WEDEL. *Exercitat. Med. Philol. II. Decad. VI.* et Illuſt. RICH. MEAD, hoc ipſo eheu! tempore, noſtrae amicitiae et reuerentiae, maturo licet fato, tamen acerbe ereptus, de *Morb. Bibl. Cap. XII. pag.* 93. et maxime GVIL. ADER, *de Morb. Euangel. Part. I. Enarrat. III. p.* 18. *ſeqq.* et *Part. III. Enarrat. V. pag.* 330. *ſeqq.* item VOGLER. *de Rebus Nat. ac Med. Scripturae S. p.* 319. *ſeqq.* et IOHREN. *de Morbis Bibl. N. Teſt. pag.* 9.

Idem vero de gibberoſa dorſi incuruatione iam ſupra obſeruauerat *Cap.* I. eiuſdem *Libri* v. *de Morb. Chron. pag.* 549. vbi de Iſchiadicis ac Pſoadicis tractat, quorum pleraque dira ſymptomata, comparatione inſtituta, talia eſſe ibi oſtendit, qualia ipſorum Nephriticorum, de quibus nobis iam ſermo. Sed audiamus nunc ipſum noſtrum auctorem loquentem, ſiue potius, per rerum medicarum imperitos et elegantiorum literarum rudes librarios, raucum quid et inconditum balbutientem. *Aliquibus*, ita ille inquit, *dolor pſoadicus et iſchiadicus perſeuerat: Partes dureſcunt atque conducuntur: His* (ita ſcil. ſcribit, pro *Hos*) *denique vſque ad* pene cutem vnicus *ſequetur greſſus.* Sed quae obſecro, hic monſtra vocum ac portenta? quis ſanus, quaeſo, in illis poſtremis, ſenſus: *vſque ad pene cutem vnicus ſequetur greſſus?* ego quidem, pro mea ingenii tenuitate, ne vnicum quidem communis ſenſus ſequi video greſſum; ſed potius vbique foediſſimam ſanae rationis claudicationem; nec lucem in his denſiſſimis tenebris liquidam mihi affulgere video ex adiecta a doctis Editoribus, in margine, ſiue varia lectione, ſiue, vt potius videtur, emendatione, ita quidem concepta: *pene vſque ad cutem dolorificus ſequitur greſſus:* quid enim, iterum anxius quaero, illud *pene vſque ad cutem*, hic ſignificet, et qualis demum conuenientia et literarum affinitas, inter vulgatum iſtud *vnicus*, et alterum huic ſubſtitutum, *dolorificus?* Verbo, ſpiſſae hic ac ſordidae ſunt tenebrae vbique obductae, et omnia merum quaſi rus olent, adeo, vt nihil terſi ac defaecati ſenſus, omnibus licet neruis fruſtra intenſis, inde vllo modo, prolici et extorqueri poſſit.

Quare, neceſſitate quaſi coactus, nunc ad ipſum ſupremum peritiſſimorum et exercitatiſſimorum criticorum ſenatum libere prouoco, eosque omnes enixe et inſtantius rogo atque obteſtor, vt caliginoſam hanc noctem ſplendido ſui ſagaciſſimi ingenii lumine et acumine, vno veluti ictu, protinus diſpellant, mihique, ſi placeat, liquide explicare haud dedignentur, quid demum ſit iſtud latinis et humanis auribus hactenus quidem inauditum: *vſque ad pene cutem?* et quis ille denique ſit *vnicus greſſus*, qui ſequatur miſeros pſoadicos ac nephriticos? Interea vero, dum illi praeſtantiſſimi Viri ea de re comitia agitant, ſtre-

 nuc

nue inter ſeſe digladiantur, trepidant, aeſtuant, ſatagunt, in diuerſas ſententias diſcedunt, ac rurſus amice coëunt, vota et ſuffragia colligunt, et nihil non moliuntur, vt ſanum aliquem ſenſum ex his abſonis plane et horridis verbis exſculpant: ego morae diuturnioris impatiens, haud expectata decretoria ipſorum ſententia, ex infimo meo ſubſellio, ſiue extrema cauea, illorum quidem pace, legi forſan hic poſſe, verecunde coniicio, non arroganter praecipio: *His denique vſque ad* ſenectutem, vncus *ſequetur greſſus:* Nulla paene literarum priorum immutatione, aut certe perquam exigua, atque propemodum vix obſeruabili. Fecimus enim ex monſtroſo illo *penecutem*, prono literarum ductu, *ſenectutem*, et ex *vnicus*, vnica ſaltim extrita litera, *vncus:* Sic obſequuti ſapientiſſimo GALENI conſilio, *Lib.* III. *de Reſpirat. Difficult. Cap.* II. *pag.* 269. *Tom.* VII. *Opp.* Ita vero, vt rem omnem paucis abſoluam, commodiſſimus et euidentiſſimus illico emergit ſenſus, et idem hic rurſus dixit CAELIVS noſter AVRELIANVS, quod in praecedenti et modo allato loco, iiſdem paene verbis, dixerat: adeo, vt *vncus greſſus*, hic idem ſit, ac ibi iſtud: *vt vncati permaneant*: *Vncus* enim et *vncatus*, vnum idemque eſſe, vel ipſis pueris inueſtibus ex lexicis, putem, notiſſimum. Quam ob rem inde vix dubitem, quin benigno ſuo fauore ac blando aſſenſu dignaturi ſint aequi bonique lectores hanc ipſam noſtram nouam coniecturam, leuem quidem iſtam, non tamen omni veri ſpecie, opiner, prorſus deſtitutam, aut in craſſo Boeotorum aëre infeliciter natam.

Nihil autem aliud his ipſis emendatis ſic a nobis verbis, ſignificare voluit CAELIVS noſter AVRELIANVS, quam vbi inueteratus diutius, ac longius extractus fuerit dirus ille duruſque pſoadicorum et nephriticorum morbus; tum miſerandos illos aegrotos per omnem ſuam vitam, *vſque ad ſeram ſenectutem, incuruatum et in terram pronum ſequi greſſum*, ſeu ipſos ex ſaeua morbi pertinacis violentia, coactos tum eſſe, ſemper cernuos, incuruatos ac nonnihil gibboſos, incedere: id quod vel ipſe noſter pariter obſeruauit HIPPOCRATES, ſed malo mitiore, atque hinc euentu laetiore, ab ipſo adnotato. Sic enim ille, *Lib. de Artic. p.* 795. Πολλοὶ μέντοι ἤδη καὶ εὐφόρως ἤνεγκαν καὶ ὑγιεῖνῶς

ιῶς τὴν κύφωσιν, μέχρι γήρως: *Multi ſane iam facile, ac ſano modo, gibboſitatem ſuſtinuerunt, vſque ad ſenectutem.* Qualia exempla complura enarrauit quoque M. AVREL. SEVERINVS, *Lib.* VI. *de Abſceſſ. cap.* 5. *pag.* 396. *ſeqq.* p)

Quum vero ex noſtra, immo forſan ex ſua quoque ipſa mente, ita, vt diximus, ſcriberet CAELIVS noſter AVRELIANVS: *His denique, vſque ad ſenectutem, vncus ſequetur greſſus;* conſuetum Graecorum loquendi morem eo ipſo, ſectatus eſſe videtur, qui ipſi quoque eundem

p) Inde recte a GAIO, *l.* 3. *ff. de Aedil. Edict. gibberoſi* et *curui* haud inter morboſos ſeruos referuntur, qui iure redhiberi poſſint, his quidem verbis: *Vel proterui, vel gibberoſi, vel curui, vel prurigi-noſi, vel ſcabioſi, item muti et ſurdi.* Sed quid ibi quaeſo, *proterui*, inter corporis nempe vitia; quod tamen animi potius leue vitium, vt notum? Ideo GOTHOFRED. legere malebat, *pectoroſi:* ſed latum et amplum pectus virtutis potius et fortitudinis eſt ſignum, quam corporis vitium: Accedit maxime, et ipſa priſtinae ſcripturae veſtigia plane neglecta fuiſſe, in hac ipſa emendatione haud ſatis felici. Forſan ergo legendum hic potius, ſi liceat per venerab. ICtos, *procurui.* h. e. προκύπτοντες, vel προκεκυφότες, ſiue obſtipo capite proni incedentes; ſequitur enim mox *curui*, quod eſt genus, cuius ſpecies eſt *procurui*, vt notum: poſſet et *praetorti*, hic legi, pari ſenſu; ſed illud praeſtat. Forte vero nihil hic mutandum; ſed illud *proterui*; retrahendum potius ad proxime antecedentem 2. *leg.* PAVLLI, *vel melancholici*, addendo nempe poſt. *vel proterui*, ita, vt hi opponantur quaſi illis melancholicis: quos tamen vtroſque ob haec leuia animi vitia redhiberi non poſſe, ibi clariſſime docetur; vt et l. 18. ibidem, vbi iterum *ſerui proterui,* hoc ſenſu, mentionem facit ipſe GAIVS, ſupra laudatus. Denique in fine, inſerta negatione, legere mallem: *non item muti et ſurdi.* Propter illa enim immedicabilia corporis vitia, redhibitioni omnino eſſe locum, quoniam iſta vehementer impediunt vſum miniſteriumque hominis, in ſequentibus paſſim docetur, et ICtis eſt notum. Sic enim mox ibidem l. 9. *Mutum morboſum eſſe*, SABINVS *ait: Morbum enim eſſe, ſine voce eſſe, apparet: l. c.* item vero de *Surdo*, praeſertim, a natiuitate, ſentiendum. Vnde iam noſtrae emendationis ratio tanto certius conſtat. Sed haec obiter. Nihil vero hic monuit Clar. HEINECCIVS Fil. in *Flor. ſparſ. ad Edict. aedil.* Vtinam autem ſolus ille felix repertor pandectarum Florentinar. Graece, Literis vncialibus, et ſine vllis accentibus, ſcriptarum, nobis hic placide indicaret, quomodo locus iſte controuerſus ibi graece legeretur, vt inde lux forte nobis affulgeret. Sed hoc ſanctum arcanum nobis eheu! aeternum abſconditum manebit. Nemo enim mortalium, praeter ipſum illum fortunatiſſimum inuentorem, de illis quidem Pandectis graecis, quidquam vnquam ſciuit, vel audiuit, nec ſciet in poſterum. Quoniam iſtae nunquam fuerunt in rerum natura; nec erunt vnquam; niſi forſan mutato prorſus ac renouato terrarum orbe. Sed haec obiter, amoenae varietatis gratia, de qua plura Cl. KLOTZIVS, in *Act. Litt. Vol. I, part. IV. pag.* 409. lectu iucunda.

dem in modum, dicerent: τούτοις μέχρι γήρως, κυφὸν ἀκολουθήσει βάδισμα, q) item κυρτὸν, ἢ γρυπὸν ἕψεται βῆμα, quod vulgo ac ſimpliciter, ſic eſſent enunciaturi, vt notum: οὗτοι ἄχρι γήρατος, συγκεκυφότες πορεύσονται, vel βαδίσουσι. Graecorum autem vbique, ſingulari animi morbo, ille eſt adfectator et interpres, interdum *infelicitate ſua etiam feſtiuus*, vt ſcite quidem loquitur maximus THOMAS REINESIVS, qui id quoque multis exemplis, opportune allatis, probat, *Lib.* III. *Var. Lect. Cap.* XVII. *pag.* 652. *ſeqq.* Quem, vt obiter id hic adiiciam, venuſtum ex parte, naeuum noſter Siccenſis Afer communem habet cum ſuis popularibus, pariter Africanis, magni plerumque nominis; veluti ARNOBIO, TERTVLLIANO, APVLEIO, FVLGENTIO, MARTIANO CAPELLA, et aliis nonnullis: Vnde, quod doctis quidem ſatis notum, haud parum obſcuritatis ipſorum ſcripta alias vtiliſſima, contraxerunt, vt inde ſaepiſſime intellectu ſint difficillima.

Vſque ad ſenectutem, vero, vt pergam, hic noſter dixit, quod alibi adhuc elegantius et ſignificantius, expreſſit per *conſeneſcere.* Ita ſupra, *Lib. Morb. Chron.* I. *Cap.* IV. *pag.* 295. *Epilepſia plerumque patienti conſeneſcit:* et rurſus infra, *Lib.* IV. *de Morb. Chron. Cap.* IX. *pag.* 546. *Cum plurimae genuinae, ſeu aduentitiae paſſiones corporibus infractae,* (forſan et legi poſſet, *infarctae*, *impactae*, vel *intractae*, quanquam et vulgatum *infractae*, tolerari et commode per pertinaces et inſuperabiles, explicari poteſt,) *conſeneſcant:* ſicque paſſim et alibi, in his libris: atque hoc iterum, ex conſueto Graecos imitandi, ſtudio, qui quippe, praecipue autem inter eos, medici veteres, de morbis diu inueteratis, pertinaciter inhaerentibus, atque hinc vinci et expugnari neſciis, ſimili feliciter audaci translatione, elegantiſſime ac ſignificatiſſime dicere conſueue-

q) Similem plane in modum elegantiſſime dixit BASILIVS magnus, *Sermon. Ethic. II. pag.* 47. ἡ τοῦ σώματος ἀσθένεια πάρεστί μοι ἐκ τῆς πρώτης ἡλικίας, μέχρι τοῦ γήρως τούτου συντραφεῖσά μοι. *Haec corporis infirmitas adeſt mihi a prima aetate, in hanc vſque ſenectutem, mecum connutrita.* Et ſic alibi quoque ſaepius. Pari quoque venuſtate, occurrit apud DINARCHVM, *Orat. contra* ARISTOGIT. *p.* 66. πονηρίαν ἐγκαταγεγηρακυῖαν κωλῦσαι ἀδύνατον; *Malitiam, quae iamiam vna inſenuit, nihil amplius exſtirpare poteſt.*

ſueuerunt συγγηράσκειν, et συγκαταγηράσκειν, vti ex innumeris fere ipſius HIPPOCRATIS locis, luculentiſſime conſtat, ex quibus tantum aliquot exempla in fidem ac probationem, hic producere liceat: inprimis, quum vix vnum ſaltim locum, et quidem non ſua,ſed aliena, ſede, prolatum, quod iure quis miretur, diligentiſſimus alias in oeconomia Hippocratica, adnotauerit FOESIVS. Sic igitur ipſe artis noſtrae conditor, *Lib.* IV. *de Morb. p.* 153. de lumbricis latis, ſeu taeniis, de quibus nos alibi plura: Θάνατον μέντοι ὀυκ ἐπάγει, ἀλλὰ ξυγκαταγηράσκει, *Mortem quidem non inducit, ſed conſeneſcit,* item *Lib. de Affect. pag.* 173. de ſplenicis: ἐνίοισι δὲ ξυγκαταγηράσκει, vt et proximo *Lib. de intern. affect. p.* 232. de Hydrope: πολλοῖσι ξυγγηράσκει ἡ νοῦσος, nec non *Lib.* II. *de Morb. mul. p.* 348. κάματοι ξυγκαταγηράσκουσιν, atque ſic in antecedentibus, et ſequentibus, ſaepiſſime: Nonnunquam autem maioris elegantiae et efficaciae cauſſa, τῷ ξυγκαταγηράσκειν, addit quoque, τὸ ξυναποθνήσκειν, v. gr. *Lib. de intern. affect. morbis, et aphoriſ.* vid. DIETERICH. IATREVM HIPPOCR. *p.* 881. vt et ex parte, obſeruauit FOESIVS: quod CELSVS more ſuo, eleganter Latine vertit: *longus morbus, vſque ad mortis diem, Lib.* III. *Cap.* XXIII. et alia loco: *Vitium vſque mortis diem, manſurum, Lib.* VII. *Cap.* VII, 15. et alibi paſſim. Quomodo etiam perpetuus et feliciſſimus iſte HIPPOCRATIS imitator, immo HIPPOCRATES potius alter, ARETAEVS, *Lib.* I. *de Curat. acut. morb. Cap.* V. *pag.* 84. *Edit.* BOERHAAV. et ex parte, noſtrae, de dira epilepſia: ξυγγηρᾷ τὲ καὶ ξυναποθνήσκει; Conf. huc PAVLLI AEGINET. *Lib.* III. *Cap.* XIII. *p.* 29. *b.* quemadmodum idem illud verbum elegantiſſimo tropo, tranſtulit ad ipſos immedicabiles animi deprauati morbos, maximus philoſophorum doctorum, PLVTARCHVS, libro, animine, an corporis morbi ſint peiores, *pag.* 500. ἀνήκεστος ἡ κακία τοῖς πολλοῖς συνοικεῖ, καὶ συγκαταβιοῖ, καὶ συναποθνήσκει: [r]) Sicuti pari rurſus venuſtate, ipſe noſter HIPPOCRATES, *Lib. Praedictor.* II. *p.* 499. *T.* I. de Morbo

r) Pari quoque lepore, dixit DIODORVS SICVLVS, *Lib. XV. p.* 64. *Tom. II.* τὰ τῶν Θηβαίων πράγματα συναπέθανεν. vbi vid. in notis cel. WESSELING.

bo ſacro : Ὁκόσοισιν ἂν ἀπὸ παιδὸς, ξυνηβήσει τε καὶ ξυνανδρωθῇ τὸ νόσημα; quali elegantia pariter dixerunt Tragicorum iſti principes, SOPHOCLES et EVRIPIDES: ἡβᾷ τὸ κακὸν, et ἡβᾷ ἀπιςία. Qua ratione nempe non nihil, opinor, melius et ſignificantius legendum ibi nobis videtur, pro vulgato verbo admodum, niſi fallor, hic languido, ξυμβήσεται, κ. λ. licet etiam, eodem acumine legi poſſet, ξυμβιώσει τε, κ. λ. ſed συνέβη, legit CASAVBONVS, ad THEOPHRASTI *Charact. pag.* 373. ſed haec obiter. Denique et ipſe ARISTOTELES, HIPPOCRATEM et hic, ſequutus et imitatus, vt ſaepius quidem ſolet, ſed et ſemper fere, indecoro more, tacet, vtrumque hoc verbum ſcite copulauit, *Lib.* X. *de Hiſt. Animal. Cap.* VII. ſeu vltimo, *pag.* 964. *Tom.* I. *Opp.* vbi de Feminarum Mola agit: Ἐνίαις δὲ καὶ συγκαταγηράσκει τὸ πάθος, καὶ συναποθνήσκει, quomodo et ipſe alibi ſaepe, vt et PLATO, LIBANIVS, PHILO IVDAEVS, BASILIVS M. et alii plures, eleganter et ornate loquuti ſunt, quos tamen operoſius exſcribere, iam nec vacat, nec licet, ne nimium extra oleas, quod dicitur, euagati, non nemini videamur: s) praeſertim, quum haec ipſa, hactenus in medium allata, affatim ſufficere quidem poſſe merito arbitremur, ad illuſtranda et explicanda ea CAELII AVRELIANI: *His vſque ad ſenectutem, vncus ſequetur greſſus*, et iſta altera: *Morbus patienti conſeneſcit.* Quare verbum amplius non addimus, quia properandum.

Atque haec quidem hactenus, et de ipſo COCI ACANTHII morbo ſingulari, ſeu nephritide pertinaci, et de triſti denique morbi illius

s) Vnum tamen adhuc paucis hic addere liceat ex PLIN. *Lib. VIII. Cap. II.* extremo, vbi de acerrima atque internecina draconum et elephantorum pugna, ſermo habetur: *Commoritur*, inquit, *ea dimicatio*, hoc eſt, vſque ad mortem durat, et cum ipſa tandem finitur, Graece dixeris: συναποθνήσκει ἡ μετ' ἀλλήλων μάχη. Quod quum durum inſolitumque videretur magno alioqui SALMASIO, in *Exercitat. Plinian. p.* 217. locum iſtum omni licet mendo vacuum, ſic emendare fruſtra quidem, tentauit: *commorituris dimicatio.* Quo ipſo, infeliciter plane, piget fateri, illud effecit, vt cum his commorientibus belluis inter ſe bellantibus, omnis quoque loci huius Pliniani elegantia quaſi ſimul commoreretur. Inprimis quum et ipſe PLINIVS alibi ſic loquatur, *Lib. X. Cap. XXI.* item CICERO, SENECA, TERTVLLIANVS, cum aliis.

illius euentu, ſiue gibbere: Quibus ex promiſſo quidem noſtro, nunc merito quaedam eſſent adhuc adiicienda, de ipſa ſimplici, nec operoſa medendi ratione, ab ipſo noſtro HIPPOCRATE hic ſubiuncta, quam inprimis adeo demiratur ipſe VALLESIVS, vt hinc difficiliorem nodum et duriorem quaſi gibbum, vt ſic dicam, in ipſa curatione inuenerit, quam quidem in illo ipſo gibbo, ex phrenitide ſuborto. Sed ſpatiis iniquis iam excluſi, vt cum poëta loquar, et per materiae ipſius benignam vbertatem, longius prouecti, ac primum animo deſtinaueramus; compendiaria nunc potius via nobis incedendum, quum contra iſtam, quae prius quidem menti noſtrae ſedebat, ſententiam, latius excurrere prohibeamur.

De externis igitur remediis hic commemoratis, topicis vulgo dictis, nullum certe eſt dubium, lenes quidem fotus, mites inunctiones ex oleo praeſertim tepido odornatas, et blandas denique frictiones, de quarum vario eximio vſu, nouiſſime egregie tractauit celeberrimus HVNDERTMARK, plurimum omnino conferre ad roborandas, demulcendas et emolliendas partes corporis externas rigidas, nimis adſtrictas, item exſuccas et enerues; pariter quoque ad vertebras leuiter tantum extortas, ac ſedis ſuae incertas, ſenſim apte reponendas ac recorrigendas; de his enim ſpeciatim vertebris, *quae paullulum ſaltim exceſſerunt, non autem de his, quae toto loco motae ſunt*, vt ait CORNELIVS CELSVS, *Lib.* VIII. *Cap.* XIV. vel, *quae ipſorum nodorum ſpinae euulſione*, (vel ſi mauis, *expulſione*) *arcuata videntur*, vti eleganter loquitur CAELIVS AVRELIANVS, *Lib.* III. *de Morb. acut. Cap.* VIII. *p.* 212. intelligendum hic potiſſimum eſſe HIPPOCRATEM, cum ex aliis ipſius HIPPOCRATIS locis, *in Libb. de artic. p.* 800. *ſeqq. Mochlic.* et alibi paſſim obuiis, tum praeſertim ex ipſa rei ratione, et frequenti ac peruulgata experientia, luculentiſſime cognoſcitur.

Ceterum hanc ipſam HIPPOCRATIS medendi methodum, per roborantes fotus et inunctiones, inſtitutam, egregie prorſus confirmat binis ſimillimis plane exemplis, diligentiſſimus THEOPHILVS BONETVS, in *Sepulchret. Tom.* I. *Lib.* II. *Sect.* XII. *Append.* II. *pag.* 912. quum puerum atque puellam, ex diuturna febre tertiana, vtroſque

 gibbo-

gibbofos factos, folo fotu, ex roborantibus et neuroticis parato, ac litu ex oleis atque quorundam animalium axungia, compofito, paucorum dierum fpatio, quod tanto magis miratu dignum, priftinae fanitati feliciffime redderet, et ex curuis, rectos rurfus faceret. Qui locus eximius huic noftro Hippocratico illuftrando ac confirmando, ad inftar luculenti commentarii, accommodatiffime inferuire poteft. Vid. et ibidem, in proxime antecedentibus, fimilem fere KERKRINGII obferuationem.

Balnei contra, praefertim vero feruentioris, vfus, recte hic interdicitur, quod illud corpora, maxime longo morbo debilitata ac fracta, magis effoeminat et eneruat: quantum enim laffitudinis eximit, vigorifque noui ingerit fanis hominibus, via, aut labore feffis; tantum e contrario, languoris infert, viriumque aufert aegrotis, vel ex grauiffimi morbi longinquitate vix recreatis: vnde et fapienter praecepit ipfe HIPPOCRATES nofter, *Lib. de Victu acutor. pag.* 296. ὀυδὲ τοὺς γεγυωμένους χρὴ λούειν; *debilitatos in balneum mittere haud oportet,* vbi et plura de hac ipfa re, legenda, vt et *Lib. de Affect. p.* 192. *de Humidorum vfu,* et *Lib.* II. *de Diaeta,* conf. et CELS. *Lib.* II. *Cap.* XVII. item CAEL. AVREL. *Lib.* II. *de Morb. chron. Cap.* XIII. *p.* 406. et ipfum GALENVM paffim: E recentioribus autem idem de balneorum vfu et abufu, argumentum latius ac difertius perfequuti funt HIERON. MERCVRIALIS, *de Arte Gymnaft.* ANDR. BACCIVS, *de Thermis,* GVIL. CAVLIVS, *de Balneis,* LAVR. IOVBERTVS, *de Gymnaf. et Balneis,* aliique: nuperrime autem celeb. PASCHALIS CARYOPHILVS, in elegantiffima ac doctiffima differtat. epiftolari, *de Thermis Herculanis, in Dacia nuper detectis, pag.* 33. *feqq.* ne plures commemoremus.

Purgatio porro, vt HIPPOCRATES hic narrare pergit, fiue φαρμακοποσίη, ex Helleboro praecipue fcilicet, infufa, quae hac vfitata voce, inprimis ftilo HIPPOCRATIS, ARETAEI, GALENI et reliquorum Medicorum veterum, fignificari folet, vt notum, nihil quidquam, hoc quidem in morbo, proficiebat, quin potius plus officiebat: quoniam corpus iamiam faeua morbi diuturni violentia debilitatum, et fuccis laudabilibus orbum, tanto magis exhauriebat, et vigore

flexili-

flexilique agilitate priuabat. Ex eiusmodi enim *purgatiuis medicaminibus*, seu καθαρτικοῖς, probe obſeruante CAELIO AVRELIANO, *Lib.* I. *de Morb. Chron. Cap.* I. *p.* 285. *ſtomachus inficitur*, *et omnis neruoſitas vitiatur*: ſiue, vt elegantius pro more, atque magis latine, id exprimit CORNELIVS CELSVS, *Lib.* I. *Cap.* III. et *Lib.* II. *Cap.* XII. *perniciosae ſunt purgationes, ſi nimis valentibus medicamentis*, ex Helleboro ſcilicet, praeſertim paratis, *fiunt*, *quoniam ſtomachum fere laedunt; inde iisdem aluus non ducenda eſt*, *praecipue in corpore infirmo*, *diuque in aduerſa valetudine exhauſto*. Quod ipſum nempe ſalutare praeceptum hauſerat ex ipſo HIPPOCRATE, omnis boni in medicina, fonte, cuius vid. libellum *de Hellebori vſu*, *de victu in morb. acut.* in *Epiſt. ad* CRATEV. *p.* 930. et alios. Conf. GABELCHOVERI *Obſ. med.* XLVIII. *Cent.* III. *pag.* 83.

Efficacius igitur ſecuriusque e contrario, praeſidium in hac gibberoſa, vt ita dicam, nephritide mitiganda, potius ſubminiſtrabat modicus panis eſus, et vini nigri parcior vſus: quoniam ſcilicet vtrumque pro innata ſua ſalubri facultate, corpus ex atroci morbi diuturnioris ſaeuitia, infractum et incuruatum, nouo robore induebat, vt ſpina nonnihil arcuata, in priſtinum erectiorem ſtatum rurſus demum exſurgeret, ac renes inſuper atque veſicam ab impuris ſordibus arenisque ibi collectis, repurgabat, atque ſic illas vna cum vrina, iiſdem remediis domeſticis et diaeteticis mota et impulſa, ſenſim emoliebatur. Inde infra, *Lib.* VII. *de Morb. epidem. p.* 874. rurſus ipſe HIPPOCRATES noſter Clonigo cuidam Abderitano, qui pariter, ac hic noſter COCVS ACANTHIVS, ſaeua nephritide, vna cum dyſenteria inſuper ſociata, laborabat, ἄρτον ἔξοπτον, *panem valde aſſatum*, ſiue bis coctum, commendavit, et ſimul quoque οἶνον μέλανα λεπτὸν, *vinum nigrum tenue*: de quo vid. maxime LINDENII *Select. Med. Exercitat.* XVI. *p.* 739. *ſeqq.* et *p.* 758. *ſeqq.* vbi ſingularem hanc morbi CLONIGI nephritici hiſtoriam egregio, docto et copioſo Commentario illuſtrauit. Similem in modum, GALENVS quoque, ſiue auctor lib. *de affect. renibus inſident. dignot. et curat. Cap.* VI. *p.* 540. *Tom.* X. *Opp.* et alibi, nephriticis ſuadet panem furfuraceum, et vinum, quod et fecit RVFVS EPHES.

Lib. de Vesicae renumque affect. Cap. XII. *seqq.* Conf. PETRI FORESTI *Obs. med.* XV. *Lib.* XXIV. *p.* 66. et *Obs.* XVI. *p.* 70. item *Obs.* XVIII. *p.* 81. *seqq.* ne alios plures hanc in rem testes iam citemus, quoniam haec sunt notissima. Ceterum exinde admodum perspicue, opinor, patet, ἀρτοσιτίην rectius in hoc nostro loco hactenus explicato, legi; quam ἀποσιτίην, infra, in altero, huic plane gemino, *Lib.* VII. *de Morb. epidem. p.* 860. vt iam supra, etsi paucis, me monere memini.

Sicuti autem, vt finem tandem aliquando faciam, haec ipsa medendi ratio, ab HIPPOCRATE hic proposita, facilis, naturalis, et ipsius morbi naturae artisque salutaris regulis apprime conueniens fuit, vti ipse faustus sanitatis recuperatae euentus luculenter postea docuit: Ita non video, quomodo eadem ipsa sanandi methodo, aeque feliciter et expedite curari quoque potuisset surditas, ex phrenitide orta; si emendatio quidem Reinesiana superius examinata, et modeste reiecta, admitteretur: Quo enim pacto, per leues frictiones, tepidos fotus, et blandas inunctiones, ex oleo paratas, item per vini nigri modicum potum, et panis crassioris esum, surditas in intimis aurium recessibus labyrintheis, vt vere ita vocantur, abscondita, feliciter dispelli, et meatus auditorius sic dictus, hucusque obturatus, recludi demum commode possit; id equidem fateor, mihi perquam arduum et aegre comprehensibile omnino videri: inprimis, quum, quantum mihi certe constet, manifesta exempla adhuc desint, eiusmodi surdorum, per ista nempe remedia simplicia, ab HIPPOCRATE hic in vsum aduocata, auspicato sanatorum et pristinae integritati restitutorum. Longe aliam enim, et quidem plerumque operosiorem, medendi rationem ad surditatem expugnandam, requiri, patet ex ipso HIPPOCRATE, *Lib.* V. *Epid. p.* 788. et *Lib.* VII. *p.* 858. praesertim autem GALENO, AETIO, *Lib.* VI. *Cap.* LXXX. *p.* 118. AEGINET. *Lib.* III. *Cap.* XXIII. *p.* 36. *sqq.* NONO, *Cap.* XC. THEODORO PRISC. *Lib.* I. *Cap.* VIII. et aliis pluribus. Immo ipsa docente persaepe tristi experientia, omnia quidem incassum contra illam δύσλυτον κώφωσιν, vt significanter eam vocat GALENVS, *Comm. in Aph.* XXVIII. *Sect.* IV. *pag.* 150. *Tom.* IX. adhibentur remedia, quantumuis valentissima.

EXERCI-

EXERCITATIO SEXTA.

DE

SCARIFICATIONE ET VSTIONE OCVLORVM

AB

HIPPOCRATE DESCRIPTA.

Scarificationis Oculorum, siue accuratius loquendo, cruentae frictionis, frequens passim mentio facta fuit apud Medicos Graecos veteres; rarior apud medios, seu Arabes; rarissima vero, immo fere nulla, apud recentiores, qui tamen arduam illam artem, quae manu medetur, indefesso studio et solertissima cura, hactenus, vt notum, excoluerunt. Altissimis ergo quasi tenebris submersa per aliquot fere saecula, delituit ista subtilioris Chirurgiae ocularíae pars, donec eam, anni nunc fere quadraginta effluxere, ingenti animo ausuque, denuo in lucem desuetam, abolitamque paene hominum memoriam reuocaret, et in vsum nouum reduceret celeberrimus Medicus ocularius, IOANNES THOMAS WOOLHOVSIVS, nobilis et natalibus, et literis meritisque iuxta, Britannus.

Adeo vero vsque hic ipse istam suam nouam, aut rectius nou-antiquam oculos scarificandi methodum dilexit, et inter potiora sua arcana habuit, vt nemini fere istius copiam faceret, nec, nisi soluto prius ingenti pretio, et religioso insuper sacramento interposito, si vera quidem sint, quae eo tempore, publica fama circumferebantur, vel amantissimis et selectissimis suis discipulis, parce tamen et subobscure, istam impertiret. [a])

Inuenit tamen, vt fieri solet, per hos ipsos ingenuos et publicae vtilitatis studiosos discipulos, ipso Magistro frustra prohibente, grande istud arcanum tandem, late patentem rimam, per quam in publicum elaberetur. Prodierunt enim ex eo quidem tempore, intra angustum octo

a) Vid. MAVCHARTI Diss. mox laudandam, *pag.* 5. et *pag.* 9. item *pag.* 14. Conf. Ill. HEISTERI *Institut. Chirurg. Tom. I. Part. II. Sect. II. Cap.* 52. *pag.* 503. vbi plura.

octo annorum interuallum, ex celeberrima ista schola Woolhusiana, tanto Magistro dignissimi discipuli, qui de ista oculorum scarificatione huc vsque fere inaudita, doctissime et diligentissime commentarentur.

Signum quasi primus sustulit cl. IO. HENRICVS HAMPE, b) edita in vulgus praeclara Dissertatione, 1721. *de scarificatione oculari Hippocratica:* quem mox quinquennio post, 1726. simili commentatione egregia, *de ὀφθαλμοξύσει Nou-Antiqua, seu Woolhusiano-Hippocratica,* sequutus est vir praestantissimus, BVRCHARD. DAVID MAVCHART: c) hunc denique, nondum quidem visa ea ipsa MAVCHARTI Diatriba, d) proximo interuallo, 1728. excepit excellentissimus IO. ZACHARIAS PLATNERVS, e) quem praemature nimis viuis ereptum non Lipsia solum, sed vniuersus orbis eruditus, adhuc merito acerbe luget, publicata elegantissima ac doctissima Dissertatione, *de scarificatione oculorum,* quam promeritis laudibus ornauit magnus noster HOFFMANNVS, f) ne plures alios laudatores iam producam. Quum igitur absconditum hoc Mysterium Chirurgicum, paucissimis arte initiatis Epoptis intra sacra profundi silentii siparia, hactenus tantum concreditum, per hos ipsos tres clarissimos Viros, eosque postea sequutos alios plures, etiam profanis quasi et ab istis sacris remotis hominibus sic innotesceret, materiaque tum publica fieret, quae huc vsque, priuata tantum, immo priuatissima, fuisset: protinus, vt mira nouitati plerumque inesse solet gratia, omnium curiosorum oculi conuersi erant in hanc nouam oculorum scarificationem, adeo, vt vix vl-

lis,

b) Ipse huius Dissertationis Titulus est: *Dissertatio Medico-chirurgica, de scarificatione oculari Hippocratica, eiusque in plurimis oculorum affectibus, insigni vtilitate,* ab IO. HENR. HAMPE, etc. *Duisburgi ad Rhen.* 1721.

c) Ista Dissertatio sic inscripta: *ὀφθαλμοξυσις. Nou-Antiqua, seu Woolhusiano-Hippocratica, Nobilissima Operatio ocularia, e textu graeco eruta, et bis mille annos neglecta, nunc demum penitus emergens, per* BVRCHARD. DAVID. MAVCHART, *Tubingae* 1726.

d) Vid. Cel. PLATNERI programma, quo Exercitationes Chirurgicas indixit, Lips. 1735.

e) Breuiorem et modestiorem Titulum eximiae suae Commentationi praefigere voluit Cel. PLATNERVS, sic enim integer iste habet: *De scarifatione oculorum, praeside* IO. ZACHARIA PLATNERO, *Lipsiae,* 1728.

f) In Differt. *de Morbis oculorum praecipuis recta medendi ratione, Halae,* 1728. *pag.* 15. add. ill. HEISTERI *Inst. Chirurg. T. I. p.* 504. *sqq.*

lis, reperiretur, qui non saeculo, de tam insigni felicitate, gratulatus fuisset, qua nimirum effectum esset, vt multis inposterum miserrimis caecis, aut oculorum tabe correptis noua et insperata dies tandem aliquando, haud dubie, auspicato reluceret. Ipse vero interea WOOLHVSIVS, ne alienae scientiae famam sibi soli aucupaturus videretur; sed vt potius cum PLINIO, publice ostenderet, benignum et plenum esse ingenui pudoris, fateri, per quem profecisset: palam gratus professus est, g) sese prima scarificationis oculorum vestigia ac signa in ipso HIPPOCRATE deprehendisse, licet adeo obscondita et caliginosa quasi nocte, per ignaros aut negligentes interpretes, circumfusa, vt sine vana iactantia, gloriari quidem posset, sese post tot elapsa interim saecula, omnium primum et solum omnino fuisse, qui loci illius Hippocratici obscurissimi iuxta et difficillimi verum sensum intus latentem vnice perspexerit, operta quae huc vsqne fuerant, aperta fecerit, et veritatem, in altissimo quasi puteo hactenus demersam, singulari temporis et ingenii felicitate, in liquidam lucem extulerit, et in publica commoda, et de praesenti, et de futuro saeculo bene meriturus, manifestauerit. Quam singularem felicioris huius inuentionis laudem celeberrimo huic suo Magistro postea plena quoque manu admensi sunt dignissimi illo discipuli, superius iam laudati. h) Quousque vero id ipsum, quod et ipse de se credidit WOOLHVSIVS, et de ipso quoque crediderunt ipsius asseclae, veritati sit consentaneum, nunc paucis, si lubet, sine vllo tamen praeiudicio, aut foeda alienae laudis obtrectatione, dispiciamus, vbi prius ipsum illum HIPPOCRATIS

g) Vid. *Ephemerid. Nat. Curios. ad Cent. V.* et *VI. Append. pag.* 134. *An.* 1717. apud MAVCHART. *Diss. cit. pag.* 6. et ipsius WOOLHVSII *Dissertat. ophthalmicas*, An. 1719. per cl. LE CERF, latino sermone, publicatas, *pag.* 336. *sqq.* apud cl. PLATNER. *Dissert. laudat. pag.* 13.

h) Vid. MAVCHARTI *Dissert. p.* 6. *sqq.* et PLATNERI *Dissertat.* laudatam, *p.* 13. *sqq.* item eiusdem Exercitationem Academicam de *Chirurgia Artis Medicae parente*, *Lipsiae*, 1721. *p.* 8. denique ipsius *Institutiones Chirurgiae rationalis*, *p.* 183. *sq.* Conf. etiam HAMPII *Dissert.* superius allegatam, quam iam abesse merito dolemus, quum eam sub ingenti Dissertationum farragine alicubi absconditam, nunc inter festinandum, contra votum nostrum, reperire haud potuerimus.

TIS locum, cuius verum quidem ſenſum vnice ſeſe peruidiſſe opinatus eſt WOOLHVSIVS, produxerimus, et celeberrimi illius ophthalmiatri nouam eiusdem explicationem ad ſeuerius, ſimul tamen modeſtius, examen reuocauerimus.

Iſte autem controuerſus HIPPOCRATIS locus legitur, in *Libello de Viſu*, HIPPOCRATI vulgo tributo, *pag.* 353. *Opp.* per LINDEN. *Tom.* II. his quidem verbis:

Ὅταν δὲ ξύνῃς βλέφαρα ὀφθαλμȣ̃, ξύειν, εἰρίῳ μιλησίῳ, ȣ̓́λῳ, καθαρῷ, περὶ ἄτρακτον περιειλῶν, αὐτὴν τὴν ϛεφάνην τȣ̃ ὀφθαλμȣ̃ φυλασσόμενος, μὴ διακαύσῃς πρὸς τὸν χόνδρον.

Quae vulgo ita Latine redduntur:

Quum vero palpebras oculi raſeris, Lana Mileſia criſpa, pura, circum Fuſum obuoluta, radito, ipſam oculi coronam vitando, vt ne ad Cartilaginem vſque, peruras.

Sub his igitur obſcuris verborum ambiguorum inuolucris, verum iſtud certumque inſtrumentum Chirurgicum abſconditum latere, exiſtimauit laudatus ſupra WOOLHVSIVS, quo ad radendas, ſiue ſcarificandas palpebras, quondam vſus fuerit Chirurgorum princeps HIPPOCRATES.

Inuenit autem illud, ſua quidem opinione, ſiue rectius forte, mea ſententia, fruſtra quaeſiuit, in voce ἄτρακτος, quam non tam per *fuſum*, vt hactenus omnes fecerant HIPPOCRATIS Interpretes; i) quam potius, per *carduum*, ſeu *herbam quandam ſpinoſam et aculeatam*, reddendam eſſe, cenſuit.

Ἄτρακτον nempe HIPPOCRATI hic idem eſſe ingenioſe, non nego, ſtatuit, quam ἀτρακτυλίδα, vt alias rei herbariae ſcriptoribus vocatur, hoc eſt Cnicum ſilueſtrem, ſeu rectius, Cnecum, ſeu Carduum vulgarem, aut carthamum ſilueſtrem, foliis non nihil aculeatis hinc inde armatam, et Capitulo ſpinis ſpiculiſque criſtato horridam: k)

idque

i) Vid. et Celeb. SCHVLZII *Hiſt. Med. period. I. Sect. III. cap.* 4. *p.* 286.

k) Vid. MAVCHART. *Diſſ. pag.* 7. et PLATNERI *Diſſ. p.* 26. 27. et programma *de Vet. Chirurg. p.* 8. Sed dubitari tamen hic plurimum adhuc poteſt, an ſcilicet illius quidem *Cnici ſylueſtris* ſpinae aut aculei molles plerumque, teneri atque

idque tanto magis, quod rufticas olim mulieres ex huius Atractylidis fcapo longo laeuique, fufos ac colus fibi confeciffe, affatim conftet ex ipfo THEOPHRASTO ERESIO, l) DIOSCORIDE, m) Scholiafte THEOCRITI, n) PLINIO, o) aliisque: p) adeo, vt hinc, ex ingeniofa quidem Viri clariffimi opinione, perquam probabile videatur, ἄτρακτον, atque ἀτρακτυλίδα, fynonyma quafi effe, atque inde promifcue vfurpari poffe, ficut hoc quidem loco, fecerit ipfe HIPPOCRATES, quum fcilicet ἄτρακτον fcriberet, et tamen τὴν ἀτρακτυλίδα, feu Carduum, aculeis afperum, intelligeret; quam nimirum ifti fubtiliori oculorum fcarificationi felicius peragendae longe tutius commodiusque conuenire crederet, quam quidem rudem illum durumque fufum, vt vulgo legitur, et explicatur, ad hoc quippe arduum et periculi plenum negotium rite tractandum, ineptum plane atque incongruentem. Quare et Carduum illum aculeatum lanis Milefiis crifpis molliffimis inuoluendum perquam prudenter hic praeceperit ipfe HIPPOCRATES, ne fcilicet rigida ipfius fpicula, altius, quam par, aut neceffe effet, inuerfis palpebris infigerentur, neue ipfa fcarificationem

 iftam

que flexibiles, apti fatis atque adcommodati fint ipfis oculis fcarificandis? quod vix verifimile videtur. Igitur melius forte atque probabilius hic fubftituiffet WOOLHVSIVS alterum Carduum illum grandem, aculeisque rigidis et folidis horridum, *Dipfacum*, feu *Fullonum Carduum*, vulgo dictum. Sed tum rurfus ex altera parte, ipfa illa Dipfari fpicala rigidiora et rudiora commodum fecurumque vfum vix praeftitiffent in fcarificandis tenerrimae quidem texturae et exquifitioris fenfus oculis. Accedit his vel maxime, ingeniofum WOOLHVSII lufum de *Atractylide*, penitus tum fuiffe turbatum, imo fublatum, quoniam nempe Dipfacus nunquam vocatus fuit *Atractylis*, nec fic vnquam vocari poterit. Igitur vel fic incertior illa de *Cnico*, feu *Atractylide*, coniectura, adhuc incertior fit eo, quod aegre illa inferuire poffit oculorum fcarificationi.

l) *Hiftor. plantar. Lib. VI, cap.* 4. *pag.* 612.

m) *De Mater. Med. Lib. III. cap.* 107. *pag.* 219.

n) *Ad Idyll. IV.* 52. *p.* 87.

o) *Hift. Natural. Lib. XXI. Cap.* 15.

p) Vid. inprimis IO. BOD. a STAPEL *in Comment.* ad dictum THEOPHRASTI locum, *pag.* 617. *fqq.* item CLAVD. SALMAS. *in Homonym. Hyl. Iatric. cap.* LXXVI. *p.* 103. *fqq.* Add. his MATTH. SILVATICI *Pandect. Med. cap.* LXIX. fol. XXVI. GORRAEI *Definit. Med. pag.* 62. SARACENI *Scholia in* DIOSCORID. l. c. *p.* 67. et SCALIGERANA *prima*, *pag.* 23.

iſtam adminiſtrantis manus iisdem vulneraretur, aut cruentaretur. q) Haec quidem ſatis acute ac ſpecioſe.

Quoniam vero facile praeuidebat Vir iſte oculatiſſimus, Vix quenquam Eruditorum, in re praeſertim hac critica ac philologica, ſine graui et idoneo teſte, plenam atque integram fidem habiturum eſſe huic ſuae nouae, lubricae atque ancipiti coniecturae, ἄτρακτον nempe in praeſenti HIPPOCRATIS loco, tantundem valere, ac quidem ἀτρακτυλίδα: mature atque ſapienter circumſpicere coepit praeſidia atque teſtimonia, quibus hanc ſuam ſententiam adhuc male firmam et quaſi vacillantem, contra imminentem forte ruinam, valide ſuffulciret ac ſuſtentaret. Neque ipſi in hoc laudabili conatu, defuit, vt ipſi quidem viſum, laetabilis ſucceſſus. Protinus enim vel in ipſo HIPPOCRATE, quod tanto maius robur iure addere videtur ipſius argumento, vnum ſingularem plane atque eximium inuenit locum, ex quo manifeſtiſſime nempe pateat, ἄτρακτον apud ipſum, idem rurſus ſignificare, ac ἀτρακτυλίδα, ſiue *carduum aculeatum.*

Iſte vero locus, omnia ſcilicet probaturus et confirmaturus, legitur *Lib.* V. *de Morb. Epidem. pag.* 777. *Tom.* I. *Opp.* per LINDEN. vbi de quadam intrepidi animi Muliere ſermo habetur, quae manu, in naturam famulae cuiusdam animi defectionem paſſae, immiſſa, extraxerit lapidem aſperum, οσον σπόνδυλον ἀτράκτυ, hoc eſt, *ad magnitudinem capitis Cardui ſatiui,* ſeu ἀτρακτυλίδος, non vero, *verticilli fuſi,* vti hactenus omnes perperam latine reddiderunt interpretes, velut nimirum cenſet cel. WOOLHVSIVS, ſuae profecto ſcenae nimium hic inſeruiens, ſi dicere quidem libere liceat, illique omnes cum eo exiſtimant, qui ingenioſae non nego, coniecturae ipſius calide nimis ſuffragantur. r)

Nos

q) Vid. MAVCHARTI *Diſſert. p.* 6. et PLATNERI *Diſſert. p.* 25. *ſqq.*

r) Vid. B. PLATNERI *Diſſert. pag.* 27. et eiusdem *prolusionem Academ. de Chirurgiae Artis Med. parente, pag* 8. Qui tamen, nimio forſan in hunc ſuum praeceptorem amore ac praeiudicio abreptus, magnam ipſi graecarum praeſertim literarum peritiam tribuit; quam tamen, vt ingenue fatear, vix mediocrem in eo fuiſſe, ex hoc infelici et inſcito ipſius ſpecimine, cuiuis graecae linguae artisque inprimis Criticae vel modice tantum perito nunc manifeſtius, ſpero, patebit.

Nos vero vt ſpes eſt, ſi quidem liceat, decenti tamen cum modeſtia, et ipſos illos probos interpretes ab iſta immerita criminatione tutos et liberos praeſtabimus, et bonis quoque mulierculis, vt ita per iocum dicam, fuſum ſuum, fuſoque verticillum, male ipſis ereptum, reddemus. s)

Haec igitur ipſa vera eſt WOOLHVSII ſententia, de hoc dubio et obſcuro HIPPOCRATIS loco, ſuperius producto, quam, licet in arctius compendium hic a me coactam, ita tamen diligenter ac fideliter, vbique retuli, vt nihil quidquam potiorum rationum et momentorum, ab ipſo quidem aut ſtabilimenti, aut ornamenti cauſſa, in medium allatorum, a me oſcitanter omitteretur. Maiore vero colorum pulchritudine et varietate, eandem floridiorem reddiderunt celeberrimi tanti Viri diſcipuli, ſuperius iam aliquoties merito laudati, qui nempe id demum ſua adiecta arte atque induſtria, effecerunt, vt iſta quaſi Helena Woolhuſiana, nunc tanto amabilior tantoque deſiderabilior appareret. t)

Ego vero, quod pace omnium illorum, et ſine vllo indecoro partium ſtudio, aut cuiusquam praeiudicio, a me ingenue dictum ſit, haec cuncta ingenioſa quidem eſſe, non nego; vera autem eſſe, vix credo, immo vehementer dubito, et quidem ex rationibus ſat grauibus, niſi fallor, mox hic infra ſubiiciendis.

Primo enim nondum probatum eſt, nec vnquam, vt equidem putem, ab vllo probabitur, ἄτρακτον, apud HIPPOCRATEM, aut vllum alium Auctorem graecum, quotquot hactenus nobis certe innotuerunt, idem eſſe, aut eſſe poſſe, ac ἀτρακτυλίδα, ſeu *carduum ſpinoſum et aculeatum*; quum ne vnicum quidem liquidum et manifeſtum, in hunc vſque diem, productum ſit exemplum, ex quo certiſſime, et ſine vlla contradictione, colligi poſſit, vſitatam atque indubitatam iſtam eſſe

 ſyno-

s) Licet ceterum non negemus, σπόνδυλον, ceu vocem πολύσημον, vt ex omnibus Lexicis notum, interdum quoque ſignificare ipſa plantarum capita, conf. cl. PLATNERI Diſſ. p. 27. et in citato iam programmate, vt vulgo dicitur.

t) Vid. MAVCHART. *Diſſ. p. 7. ſqq.* item PLATNERI *Diſſ laudat. p. 26. ſqq.* et in Exercitat. Academ. *de Chirurgia Art. Med. parente, p. 8* nec non in alia ſcriptione, *qua Exercitationes chirurgicas indixit, Lipſ.* 1735. publicata.

ſynonymiam inter ἄτρακτον, et ἀτρακτυλίδα, quam WOOLHVSIVS in ſuam potius rem, ingenioſe finxit, quam in lectorum aſſenſum, aut certiorem perſuaſionem et adſtipulationem, ſerio probauit, aut HIPPOCRATI ipſi ſolide vindicauit.

Neque enim ipſum quidquam iuuat alter ille, ad quem prouocauit, locus, ex *Quinto* HIPPOCRATIS *Libro, de Morbis Epidem.* deſumtus, et ſupra iam productus, eum potiſſimum in finem, vt nudae ſuae atque infirmae coniecturae varias plumas, nouosque colores, ſi ita quidem dicere liceat, induceret. In eo enim in ſuum vſum, allegando, nimis feſtinanter confidenterque illud iamiam extra omnem litem eſſe, prius ſuppoſuit, quod adhuc vel maxime in lite verſabatur, rem ſic valde incertam dubiamque, pro certa et confeſſa, ſine vniuerſae eruditorum curiae ſuffragio, aſſumſit, atque principii quaſi petitionem, vt in philoſophorum quidem ſcholis loquuntur, aperte commiſit.

Inde ergo, mea certe opinione, nihil quidquam peccaſſe, quin potius optime ſuas hic partes peregiſſe mihi videntur boni iſti Interpretes, et ipſe inprimis FOESIVS, in *Oeconom.* voce ἄτρακτος, quum verba illa graeca: γυνὴ, καθεῖσα τὴν χεῖρα, ἐξεπίεσε λίθȣ ὅσον σπόνδυλον ἀτράκτȣ, τρηχὺν, ita latine redderent: *Mulier, immiſſa manu, expreſſit lapidem aſperum, magnitudine verticilli fuſi.* His enim ipſis claris et perſpicuis per ſe verbis nulla plane ſubeſt neceſſitas, vt ſtatim quiuis a praeiudiciis liber, manifeſto deprehendit, quae nos cogat, ſenſum τȣ̃ σπονδύλȣ τȣ̃ ἀτράκτȣ, pro *fuſi verticillo*, vulgarem, receptum et huic quidem loco apprime conuenientem, ſine vlla ratione, relinquere, et e contrario, alium, plane nouum, longe remotiorem, adhuc valde ambiguum, nondum probatum, nec vnquam credo, probandum, de capitulo nempe cardui ſilueſtris aculeato, ex ſolo inani nouitatis ſtudio, temere adſciſcere nos impellat. Praeſertim, quum ſic inter inſtrumentum foeminarum ſedularum domeſticum, ſemper coniunctim recenſeatur a quibusuis Auctoribus optimis, ἄτρακτος καὶ σπόνδυλος, ſeu *fuſus ac verticillum ipſius.* Ita enim, vt pauca tantum, in re quippe dudum notiſſima, producam iam exempla, PLVTARCHVS,

CHVS, [u]) consueto scilicet more, apte coniunxit ἀτράκτους, ἠλακάτας, καὶ σφονδύλους, (Attice nempe, vt notum, pro σπονδύλους, hoc est, *fusos, colus et verticula:* et POLLVX, [x]) ad Gynaecei vascula, seu apparatum domesticum consuetum, pariter refert ἄτρακτον καὶ σπόνδυλον, *fusum et verticillum.* Quorsum et spectat istud, in eleganti PHILIPPI Epigrammate, cuius et meminit SVIDAS: δακτυλότριπτον ἄτρακτον, Σπονδυλοδινήτῳ νήματι νηχόμενον. *Digitis attritum Fusum, suspensum e filo, quod verticillo torquetur.* [y]) ACHMET denique FIL. SEIRIM, [z]) vtrumque etiam sic scite copulauit: εἰ δὲ ἴδῃ γυνὴ, ὅτι τὸ σφονδύλιον ἔπεσε τοῦ ἀτράκτου, κ. τ. λ. *Si videre visa fuerit Mulier, quasi verticillum fusi ceciderit.* Siue, vt id verbis OVIDIANIS, *Lib.* IV. *Metamorph.* elegantius exprimam:

Et colus, et fusus digitis cecidere remissis.

Atque sic etiam alii Auctores loquuntur saepissime, quorum tamen testimonia, ceu superuacua, iam studio praetermittimus. Praesertim, quum ex hactenus allatis paucis exemplis, iam luculentissime, opinor, pateat, nequaquam alium peregrinum, incertum, ac de capitello Cardui cuiusdam acuto, longius petitum sensum reddi posse ac debere his ipsis verbis Hippocraticis; quam quidem vulgarem, vsitatum et cunctis cognitum, de fuso nempe eiusdemque tereti Verticillo. Nullus igitur in hoc quidem HIPPOCRATIS loco,

Carduus, et spinis surgit paliurus acutis,

sed potius, vt affatim, nisi fallor, probauimus,

Hinc et foemineus labor est, hinc pensa, colusque,
Fusus, et apposito pollice, versat opus.

Neque enim vllum alium, praeter eum, quem iam dixi, admittunt sensum, illa ipsa HIPPOCRATIS verba, prout ea diligentius aliquanto inspici-

u) *Lib. IX. Symposiac. Quaest. XIV. pag.* 745. *Opp. Tom. II.* ex ipso PLATONE.

x) *Onomastic. Lib. X. cap. XXVIII. Segment.* 125. *p.* 1305. *Tom. II.*

y) *Antholog. Graec. Lib. VI. cap. VIII. Epigr.* 16. *pag.* 708. et apud SVIDAM, *pag.* 373. *T. I. Edit.* KÜST.

z) *Oneirocrit. Cap. CCLXIV. pag.* 244. *Edit.* RIGALTII. Conf. 10. BODAEI a STAPEL *Comment.* ad THEOPHRASTI ERES. *Hist. plant. Lib. III. Cap. XVII. pag.* 260.

ſpicienti protinus liquido patebit. Dicitur enim ibi illa praeſentis animi, et plusquam virilis audaciae foemina, e miſerandae iſtius famulae ſecretioribus locis, manu intrepide immiſſa, extraxiſſe λίθον τρηχὺν, [a]) *lapidem aſperum*, ὅσον σπόνδυλον ἀτράκτυ, *quod ad externam quidem formam ac magnitudinem attinebat, fuſi verticillo ſimilem.* Cuiusmodi lapides verticillati, vt ita loquar, ſiue fuſorum verticillorum ad inſtar, externam ſpeciem formati, tam ex viuis hominum corporibus arte exſecti, quam e mortuis ſine arte, exemti, vel hodie, frequentius adhuc viſuntur in inſtructioribus Anatomicorum ac phyſicorum Muſeis: [b]) quales etiam olim noſmet ipſi ſaepius conſpeximus Lutetiae pariſiorum, Amſtelodami, Lugduni Batauorum, Baſileae, Argentorati, et alibi, item et potiſſimum, in locupletiſſimo rerum naturalium Theſauro regio Dreſdenſi, vbi ſcilicet plures eiusmodi rariſſimae formae lapides aſſeruantur. Sed haec quidem hactenus de primario illo HIPPOCRATIS loco, quem in lubricae ſuae et incertae coniecturae praeſidium ac defenſionem, fruſtra licet, vt perſpicue oſtendimus, adduxerat WOOLHVSIVS. Nunc ex hoc diuerticulo, iterum in orbitam redeamus, hem tempus eſt! atque reliqua noſtra argumenta Woolhuſianis rationibus merito opponenda, ſine mora, ſtrenue perſequamur.

Secun-

a) λίθον, enim hic rectius legitur in aliquot vetuſtis Codd. MStis regiis pariſienſibus, quod poſt diligentiſſimum FOESIVM, qui tamen ad vnum tantum provocat exemplar, longo temporis, ab ipſo, interuallo, ante hos viginti, et quod excedit, annos, nos quoque ipſi obſeruauimus: Vulgata enim lectio λίθυ, vix commodum ac tolerabilem habet ſenſum. Sed haec obiter.

b) Vid. cl. KVNDMANNI *Rariora Natur. et Art. Sect. III. Obſſ. Med. ſingul. Artic. XV. pag.* 894. *ſqq.* Conf. VALLES. in *Comment. ad hunc ipſum Hipp. locum, pag.* 493. et FOES. ad eundem, *pag.* 1150. item MARCELL. DONATI *Hiſt. med. Lib. IV. cap.* 30. *pag.* 522. REMBERT. DODONAEI *Obſſ. Med. XLV. pag.* 112. *ſqq.* HOLLER. *in Aph.* HIPP. 79. *Sect. IV. pag.* 242. SCHENCKII *Obſſ. Med. Lib. IV.* 311. *pag.* 295. *ſqq. Tom. II.* REGN. de GRAAF, *de Mulier. Organ. Generat. c. VII. p.* 171. BONETI *Polyalth. Lib. V. cap.* 12. *pag.* 73. *Tom. IIII.* et *Sepulchret. Sect. I. Obſ.* 19. *p.* 17. *Tom. II.* BLANCARD. *Anat. Pract. Cent. I. Obſ.* 74. *pag.* 206. et *Cent. II. Obſ.* 80. *pag.* 374. BARTHOLIN. *Ep. Med.* 28. *Cent. III. pag.* 104. et *Hiſt. Anat.* 64. *Cent. IV. pag.* 364. SCHROECK. ad HELLWIG. *Obſ. Med. CXIV. pag.* 318. et FRID. RVYSCH. *Obſ. Anat. Chir. I.* vt plures alios taceam.

Secundo igitur, vt pergamus, illud quoque probe notandum hic eſt, non omnes olim fuſos, ſiue ἀτράκτυς, ex Atractylide fuiſſe confectos; ſed eos tantum, quibus viliores ac pauperiores foeminae agreſtes, Sabinae quales, aut peruſtae ſolibus Appulae, vt poëta ait, in ſuum vſum domeſticum vterentur; vt ex Auctoribus ſupra iam laudatis abunde patet: beatiorum contra ac nobiliorum matronarum colos fuſosque potius ex buxo, cedro, ebeno, cypreſſo, citro aliaque pretioſiore materie, immo et interdum ex auro adeo ipſo atque argento, fuiſſe in luxum quoque et oſtentationem, paratos, prout id ex ipſo HOMERO, item THEOCRITO, MOSCHO, aliisque, erudite probauit EVERHARDVS FEITHIVS, c) ne plures iam alios, in re quippe, cuiuis antiquitatum ſtudioſo notiſſima, producam teſtes.

Quod ſi igitur non omnes olim, ſed pauciores ſaltim vilioris plebeculae fuſi ex iſta Atractylide aculeata formati fuerint, vt hactenus oſtendimus; quomodo quaeſo, nomen iſtud generale ad omnes in vniuerſum fuſos tranſire potuerit, vt ſcilicet omnes ab atractylide denominarentur, quum tamen non omnes, vt modo diximus, ex atractylide, ſed longe nobiliore materie, eſſent adornati? Quare equidem haud ſatis bene perſpicio, quo ſcilicet pacto, per generalem quendam ſynonymiam, vel arctiorem affinitatem, ἄτρακτος, ἀντί τῆς ἀτρακτυλίδος, et viciſſim, ἀτρακτυλὶς, ἀντὶ τȣ͂ ἀτράκτȣ, promiſcue ſumi, ac, prout libitum, ſine vlla diſtinctione, adhiberi licuerit, ita vt ἄτρακτος nunc ſignificaret ἀτρακτυλίδα, nunc vero rurſus ἀτρακτυλὶς, τὸν ἄτρακτον, quod nempe pro certo et explorato, aſſumunt benigni nimis nouae iſtius ſententiae Woolhuſianae fautores, quum tamen, vt iam monitum, non omni ἀτράκτῳ ſeu fuſo, materiam praebuerit Atractylis; adeo, vt hinc nec nomen ſemper traxerit ἄτρακτος, ἀπὸ τῆς ἀτρακτυλίδος, nec rurſus ἀτρακτυλὶς, ἀπὸ τȣ͂ ἀτράκτȣ, nec inde vtriusque ſynonymia, ſiue, ſi quis malit, metonymia locum vbique commo-

c) *Antiquitat. Homericar. IV. Cap. III. pag.* 303 *ſqq.* Conf. ANDREAE CIRINO, *de Vrbe Roma, Cap. XLVI. p.* 517. apud ALB. HENR. DE SALLENGRE, *Noui Antiquitatum Romanarum Theſauri, Tomo II.*

Ooo

commodum habere potuerit. Scio quidem, idem fere hic ex parte, reſponderi ad haec poſſe, quod acute iam olim regeſſit SENECA ipſe d) de *pyxide aurea et argentea*, proprie tamen primitus a *buxo* ſic denominata, item de *charta plumbea*, nec non de *poculis Thericleis*, ſic dictis aliisque huiusmodi dictionum periculis; de quibus ſingularibus ac figuratis loquendi modis alibi iam egimus aliquanto diſtinctius ac diſertius. e) Verum hic longe alia ſubeſt ratio, quare nec in hoc ſpecioſo licet obtentu, ac uelamento, vllum praeſidium ac tutamentum inuenire poſſit coniectura iſta Woolhuſiana, audacior ſane, quam felicior, quoniam nempe adhuc plane negamus, ueritatis ipſius uiribus impulſi, ἄτρακτον unquam ſignificaſſe, aut ſignificare poſſe τὴν ἀτρακτυλίδα, ſiue Carduum aculeatum, et ad ſcarificandos oculos, olim adhibitum; de quo mox pluribus ex inſtituto, ſumus acturi. Sed tranſeat iam hoc ipſum argumentum, ceu leuius, et ex Grammaticorum ſcholis deſumtum.

In ſequenti igitur Argumento tertio, ſeu vltimo, ſiue potius primario, totius huius rei cardo potiſſimum uertitur, quoniam ipſi, me quidem iudice, tantum roboris, tantumque firmitudinis et efficaciae in contrarium ineſt, ut mihi exinde, propemodum inexpugnabile, uideatur. Ita enim ipſe HIPPOCRATES noſter, loco illo praecipuo, e *Lib. de Viſu*, ſuperius iam producto, ſapienter praecepit, poſtquam nempe prius docuerat, quid cum inſtrumento illo chirurgico, (quod ἄτρακτον, aliquanto obſcurius uocat,) lanis molliſſimis Mileſiis criſpis antea diligenter circumuoluto, faciendum ſit: uitandum ſcilicet ante omnia, artifici chirurgo eſſe, ne coronam oculi attingat, aut laedat, multo minus vſque ad Cartilaginem, hoc eſt, Tarſum palpebrae, vt recte id explicant Viri docti, perurat; αὐτὴν τὴν στεφάνην τοῦ ὀφθαλμοῦ φυλασσόμενος, en ipſa uerba Auctoris notatu certe digniſſima! μὴ διακαύσῃς πρὸς τὸν χόνδρον, hoc eſt, *ipſam oculi coro-*

d) *Lib. V. de Beneficiis, cap.* 13. vbi vid. LIPS. et IO. FR. GRONOVII, *Not. ad Lib. II. de Benefic. cap.* 12. *p.* 150.

e) *Obſeruat. Criticar. Lib. IV. cap.* 8. *p.* 343. *ſq.* et alibi. Conf. IS. CASAVBONI *Not.* ad SVETONII *Neron. cap. XX. p.* 514. *Edit. Graeu.* item in *Praefatione*, variis IOS. SCALIGERI opuſculis poſtumis a ſe editis, praemiſſa, et ipſum ibidem SCALIGERVM, in *Animaduerſionibus*, in GVILANDINI *Comment. de Papyro, pag.* 27.

coronam vitando, vel *cuſtodiendo*, *ne vſque ad cartilaginem peruras.* Haec quidem ille.

Sed quid iſta, quaeſo, ad ipſam ſcarificationem? quomodo, obſecro, ſiue fuſus, ſiue carduus, perurere poterat ipſam Cartilaginem, quum eam tantum vterque natura ſua, leuiter lancinaret, aut punctim ſcarificaret? De alia ergo prorſus re, quam de ſola ſcarificatione, hic quidem loquutum fuiſſe HIPPOCRATEM, tam ex his ipſis, quam et ſequentibus mox verbis, confeſtim, opinor, palam liquet.

Quod et probe animaduertentes ipſe WOOLHVSIVS et Woolhuſiani, quorum nimirum oculos hic de vſtione, locus, vehementer quaſi vrebat, varia ingenioſe hinc tentarunt, quo obiectum hunc ſibi ingentis molis lapidem commode amolirentur, haecque ipſa HIPPOCRATIS Verba, ſuae recens natae coniecturae vel maxime contraria, etiamſi inuita et quaſi reluctantia, in ſuam ſententiam nunc admota vi, nunc vero blando tactu tractuque, deflecterent. Fuerunt enim ex illis, qui ipſum hunc locum mendi quaſi quadam tenebroſa amauroſi, vel aſpero trachomate laborare crederent, atque hinc quadam veluti ſcarificatione critica, vt ita dicam, indigere cenſerent. f)

 Sed

f) Ita pro vulgato illo, μὴ διακαύσῃς, celeb. PLATNERO, in *Diſſert.* ſaepius iam laudata; *pag.* 30. legendum quondam videbatur, μὴ διαβήσῃς, aliquanto remotiore, ſi fateri quidem liceat, a priſcis literarum ueſtigiis, ſcriptura. Vbi tamen facilius meliusque, ſi neceſſe, forſan legere potuiſſet, eodem ſcilicet ſenſu, διαψήσῃς, vel διαψαύσῃς: quemadmodum alibi loquutus eſt ipſe HIPPOCRATES: vt mox in antecedenti, *de Haemorrhoidibus*, *Libello*, *p.* 350. ſimillimis plane verbis, ſenſuque: καῦσαι, φυλλάσσόμενος, ὡς μὴ ἅψῃ τῷ σιδήρῳ, et infra rurſus, *Lib. I. de Morb. Mulier. pag.* 484. ὅπως μὴ ψαύσῃς τῆς ὑστέρης, et aliis locis ſaepiſſime: quo et illud, quod ad ſenſum attinet, ſpectat, *Lib. de Locis in Homine*, *pag.* 376. *Tom. I.* τάμνειν δὲ ἄχρι τούτου, ἄχρις ἂν τοῦ ὀστέου θίγῃς, vbi τὸ θίγῃς, idem, ac ψαύσῃς, vt notum. Sic et PAVLLVS AEGINETA, *Lib. VI. Cap.* 18. *pag.* 83. φυλαττόμενοι, τοῦ κερατοειδοῦς ἅψαθαι χιτῶνος: item AETIVS, *Lib. VII. Cap.* 95. *pag.* 139. b. παραφυλασσόμενος σφόδρα, μὴ ἅψασθαι τῶν κροταφίτων μυῶν. Vel et perquam commode, pro διακαύσῃς, ſcribi potuiſſet, διακόψῃς, ſicuti ipſe ſcripſerat HIPPOCRATES, *Lib. de Morbo Sacro*, *pag.* 338. *Tom. II.* ἢν διακόψῃς τὴν

Sed fuerunt et alii, qui tutiorem viam ingreſſi, ſenſum huius loci duriorem, vt quidem videbatur, blandiore explicatione et mitiori circumſcriptione, non nihil emollire ſtuderent, atque iſtam vſtionem, adſperſa veluti frigida aqua, temperare allaborarent. g) Fruſtra et incaſſum profecto vtrique! Neque enim quidquam in his ipſis HIPPOCRATIS Verbis, moliendum, neque quidquam in iisdem, molliendum: ſed omne illud potius ſenſu conſueto, obuio et vſitato, de vſtione, accipiendum et interpretandum; praecipue, quum eodem ſemper verbo alibi vtatur HIPPOCRATES, vbi de vſtionibus, per cauteria factis, ſermo ab ipſo habetur. h)

Nimirum, vt rem paucis nunc expediam omnem, non tam in hoc quidem loco, ſcarificationem oculorum ſolam deſcripſit HIPPOCRATES, quam potius eorundem vſtionem; neque etiam inſtrumentum nobis vllum indicauit, quo ipſo ſcarificatio iſta perageretur, quod AEGINETAE et aliis, ab effectu ſcilicet, vocatur vulgo βλεφαρό-

τὴν κεφαλὴν, atque ſic etiam alibi frequentius. Verum in hoc quidem HIPPOCRATIS loco primario, nec διαβήσῃς, legendum eſſe, nec διαψαύσῃς, nec denique διακόψῃς, nec alio modo, ſed potius διακαύσῃς, vt in omnibus quidem Codd. tam impreſſis, quam manu exaratis, conſtantiſſime ſcriptum exhibetur, iam plenius luculentiusque, in ſequentibus, docebitur.

g) Sic enim perquam callide et ingenioſe de his ipſis uerbis Hippocraticis controuerſis, commentatur cl. MAVCHART, *in Diſſertat. pag.* 8. τὸ μὴ διακαύσῃς πρὸς τὸν χόνδρον, *metaphorico ſenſu accipiendum erit, quatenus nimia iſthaec laceratio exquiſitum, quaſi vſtionis ſenſum infert: vel ad alteram operationis partem, et appendicem ſpectat, quatenus Hippocrates iubet, ſi opus ſit, poſt abraſionem, adhiberi etiam ferramenta, minime, ſeu leuiter, candentia, quibus palpebrae intus debeant inuri, maxime, in Caſu durioris occalleſcentiae.* Haec ille V. C. vbi in poſtremis, proxime a vero abſuit, ſed blando praeiudicio auctoritatis Woolhuſianae, illectus, illud amplecti noluit: Conf. cl. PLATNERI *Diſſ. pag.* 30.

h) Sic *Lib. de Intern. Affect pag.* 230. *Tom. II.* μετὰ φυλακῆς πολλῆς, καὶ τηρήσιος, ὅκως μὴ πέρην διακαύσῃς, et *Lib. de Artic. pag.* 767; ὅταν δὲ διακαύσῃς ἐς τὸ πέρην, κ. λ. quo et illud pertinet, *Lib. II. de Morbis pag.* 55. φυλασσόμενος, μὴ κατακαύσῃ τὴν φάρυγγα: et paullo poſt, ibidem, *pag.* 69. φυλασσόμενος, ὅπως μὴ κατακαίηται, atque ita alibi ſaepiſſime, vt ex Libb. de *Articul. Vulner. Capit. Officina Med. Morbis*, et aliis, paſſim luculenter admodum patet. Res enim doctis ſatis nota. Ita et PAVLLVS AEGINETA, *Lib. VI. Cap.* 42. *pag.* 87. b. πεπυρακτωμένοις καυτηρίοις διακαῦσαι, quomodo et alibi ſaepius, item AETIVS, ALEXANDER TRALLIANVS, ORIBASIVS et alii.

φαρόξυστον, vel et βλεφαρόξυστρα, i) ſed quo potius ipſa vſtio perficeretur, nempe καυτήριον ὀφθαλμικὸν, ſiue βλεφαροκαυτῆρα, id vero ſolum manifeſtius ſignificauit. Quum igitur ipſa illa palpebrarum vſtio, praeſertim male adminiſtrata, plus omnino damni ac periculi inferre poſſet, quam ſcarificatio iſta tametſi etiam negligenter peracta: ideo hic prudentiſſime, pro more ſolito, cautiones adiecit neceſſarias, ad quas potiſſimum in opere ipſo, diligenter reſpiceret Chirurgus ocularius, palpebras prius ſcarificaturus, et poſt, mox vſturus. vtrumque enim in hoc ipſo, *de Viſu*, *Libro*, ſemper fere arcte coniunxit, et in antecedentibus his verbis, pag. 352. τὰ βλέφαρα λεπτύνει ξύων, καὶ, ἣν δοκέει προσδέεσθαι, (vel προσδέχεσθαι, quomodo et legi poſſet, vti ſtatim ſequitur,) ἐπικαίων ἔνδοθεν, μὴ διαφανέσιν, κ. λ. et maxime mox ſequentibus, poſt hunc ipſum noſtrum locum praeſentem, verbis: ὕστερον δὲ τὸ τῆς ξύσιος, καὶ τὸ τῆς καύσιος, ὅταν αἱ ἐσχάραι ἐκπέσωσι, *poſt peractam autem ſcarificationem iuxta et vſtionem, quando ipſae cruſtae exciderint.* Qui praeſertim locus, notatu certe

digniſſi-

i) Inde emendandus MATTH. SILVATICVS, *in Pandect. Med. Cap. C. fol.* 35. b. ſcribens: *Bleſarunxiſta Inſtrumentum, ad ſcalpendum palpebras*, legendum nempe, *Bleſaroxyſtra*, vel *Bleſaronxyſtra*, ſcilicet diuiſim, βλεφάρων ξύστρα; quod et alias dicitur βλεφαροξυήλη, vel βλεφάρων ξυήλη, vt et βλεφαροσαρώδριον: Ceterum de hoc βλεφαροξύστῳ Inſtrumento, vid. MAVCHART. *p.* 8. et PLATNER. *pag.* 32. vocabatur vero iſtud inſtrumentum *Blepharoxyſton*, etiam ῥινομήλη, vt patet ex eodem SILVATICO, *fol.* 146. b. etſi rurſus vitioſiſſime ita ibi ſcriptum: *Rinomelis, Ribinomelis, graec. ferrum Inſtrumentum aſperi capitis, vt Lima, qua aſperitas palpebrarum eradicatur*, DEMOSTHENES, Medicus nempe Vetus ocularius celebr. hodie deperditus, vid. tamen paſſim AET.) quae palpebrarum craſſior aſperitas ab eodem DEMOSTHENE dicitur παχύτης βλεφάρων, vt nempe certiſſime legendum apud eundem SILVAT. *fol.* 139. pro monſtroſis illis: *pachides Beleferon*, et rurſus *fol.* 162. *Trachites Bleſſaron*, DEMOSTHENES, *eſt aſperitas palpebrarum in interioribus*, nempe pro τραχύτης βλεφάρων. Haec obiter. Sed et σπαθομήλη idem dicitur Inſtrumentum: ſic enim idem corruptus valde Auctor, *fol.* 157. *Spatomelle eſt oculis raſpatorium*: item λευρομήλη, vt et κυαθισκομήλη, et κυαθίσκον, de quibus vid. eundem, *fol.* 55. *pag.* 144. b. item AET. *Lib.* VII. *C.* 82. *pag.* 137. b. praeſertim autem REINES. *Var. Lect. Lib.* III. *C.* 16. *p.* 673. et PAVL. LEOPARD. *Lib.* XIII. *Emend. Cap.* 2. idem RHOD. ad SCRIBON. LARG. *pag.* 81. Denique et iſta illius Inſtrumenti nomina, quanquam rarius, occurrunt, nempe βλεφαροῤῥινάριον, item βλεφαροκόρηθρον, et ὀφθαλμοῤῥίνιον. Sed haec obiter, hactenus.

dignissimus, manifestissime, opinor, ostendit, antecedentia illa: μὴ διακαύσῃς πρὸς τὸν χόνδρον, non de alia prorsus re, quam quidem de sola vstione, ope cauterii mitioris, facta, esse intelligenda. k)

Igitur, me quidem iudice, ἄτρακτος, in hoc HIPPOCRATIS loco, nec fusum significat, nec telum, nec mali in naue, partem, nec hastae lignum, nec radium textorium, nec denique Carduum aculeatum, nec quidquam aliud, quod vulgo sub isto τοῦ ἀτράκτου nomine, comprehendi solet: l) sed potius certam quandam Cauterii, lignei forte, speciem, qua in vrendis palpebris, aliisque delicatioribus corporis partibus, vsi olim forsan fuerint veteres Chirurgi. Id autem, ne sine idoneo ac venerabili teste, perhibeatur, et sicut Carduus ille Woolhusianus, in volantes pappos quasi euanescat; en grauissimum et simul liquidissimum ipsius HIPPOCRATIS nostri testimonium, ex quo nempe protinus manifestissime constabit, ἄτρακτον, idem interdum esse, ac Cauterem, seu instrumentum Cauterium: quod nempe, ut cum poeta Christiano loquar: m)

Punctisque feruens stridulis,
Sparsim per artus figitur.

Legitur vero iste memorabilis oppido locus, *Libro, de internis Affectionibus*, *pag.* 236. *Tom.* II. *Opp.* per LINDEN. vbi de difficili et molesto Morbo hepatico, tandem, per ignes et cauteria, expugnando, sermo habetur, his quidem Verbis luculentissimis: Καῦ-

σαι

k) Sic et rursus, post haec, *pag.* 354. τῆς καύσιος τῶν βλεφάρων clare meminit: ὕστερον δὲ τὸ βλέφαρον ἐπικαῦσαι μὴ διαφανέσι, φυλασσόμενος τὴν φύσιν τῶν τριχῶν: *postea palpebram inurito, non candentibus ferramentis, vitando naturam*, vel *generationem*, seu *prouentum pilorum:* vt alios iam plures eiusmodi locos taceam.

l) Vid. Glossaria HESYCHII, POLLVCIS, SVIDAE, GALENI, FOESII, STEPHANI et aliorum; add. PROCOPII *Gothicor. Lib. IV. pag.* 329. Conf. et cl. MAVCHART. *Dissertat. pag.* 7. item cl. PLATNERI *Dissert. pag.* 26. praesertim autem IO. BOD. a STAPEL *Comment. ad* THEOPHRASTI *Hist. Plant. Lib. VI. cap.* 4. *pag.* 617. et SALMAS. de *Homonym. Hyles Iatr. Cap. LXXVI. pag* 105. item WASSE et DVKER. ad THVCYDID. *Lib. IV. C.* 40. *pag.* 263. BARNES. ad EVRIPID. *Rhes. v.* 312. *pag.* 117. et MVRETI *Var. Lect. Lib. XIV. C.* 18.

m) PRVDENTIO nempe, in *peristephan. Hymn. V.* 227. licet ibi, ipsi de salis candefacti excussu cum dolore summo coniuncto, sermo sit.

σαι δὲ ἐν πυξίνοισιν ἀτράκτοισι, βάπτων ἐς ἔλαιον ζέον, hoc eſt: *vrito autem*, iſtam ſcilicet elatiorem hepatis eminentis regionem, *inſtrumentis cauteriis, e buxi ligno paratis, in oleum feruens tinctis;* ita enim omnino vertendum, ſenſu ipſo exigente, non, vt vulgo fit, ſine commoda ſententia: *Vrito autem per buxeos fuſos, in oleum feruens tinctos*, ſiue, FOESIO interpretante: *per buxeos autem fuſos oleo feruenti intinctos, vſtionem facito.* Τὺς ἀτράκτυς enim hoc quidem in loco, non vulgares muliercularum fuſos ſignificare poſſe, quibus quippe hic nullus plane eſſe poteſt locus; ſed potius per inſtrumenta quaedam chirurgica adurentia, ſiue cauteria, reddi debere, cuiuis credo, a partium ſtudio alieno, ac praeiudicatis opinionibus libero, illico maniſeſtiſſime apparebit. n) Interea vero vehementer miror, hunc ipſum ſingularem plane HIPPOCRATIS locum nec a diligentiſſimo alias FOESIO, *in oeconomia*, adnotatum, nec a quoquam alio, quantum equidem ſciam, fuiſſe obſeruatum, o) nam nec ipſe BOD. a STAPEL illius meminit, *pag.* 232. *Comment.* in THEOPHRAST. vbi tamen omnia fere Inſtrumenta e buxo olim parata, diligentiſſime recenſet; quum tamen unicus forſan ſit ac ſolus, ex quo liquido colligi et intelligi poſſit, quid proprie ſignificet vox ἄτρακτος, in hoc ipſo, quem hucusque pertractauimus, obſcuriſſimo loco, e *Libello, de Viſu*, depromto. Quomodo autem ex buxo, alioue duriore ligno,

n) Inde ingenioſa quidem eſt cl. MAVCHARTI coniectura, *pag.* 7. *Diſſert.* legentis, in *Gloſſario* GALENI, pro vulgatis, ἄτρακτον, τὸν εἰς ἱερυργὸν, χρήσιμον, potius, χειρυργικὸν: vera tamen non eſt; legendum enim ibi haud dubie, ἐριυργὸν, ſeu, quod idem, εἰριυργὸν, *lanificium.* Ita XENOPHON, *Lib. V. Hiſt. Graec. pag.* 443. ἡ γυνὴ ἐριυργῦσα, et de *Lacedaemon. Republ. pag.* 534. ἐριυργεῖν ἀξιῦσι: atque ſic alibi ſaepiſſime, quod et apud alios Auctores frequentiſſime, vt notum, occurrit. Conf. WASSE et DVKER ad THVCYD. *Lib. IV. pag.* 263. ἔρια autem atque ἱερεῖα, in Veteribus Codd. interdum confundi, obſeruauit ad DIODOR. SICVL. *Lib. V. pag.* 367. *Tom. I.* celeb. WESSELINGIVS.

o) Vid. tamen IO. MARTINI *Comment.* in hunc ipſum HIPPOCRATIS, de *Intern. Affect. Librum*, *pag.* 314. quem et de vſtionibus, apud Veteres, vid. ibidem, *pag.* 279. inprimis autem VID. VIDII *Chirurg. Lib. IV. Cap. XI. pag.* 103. RESTAVRANT. de *Inuſtionibus Hippocrat.* Potiſſimum autem THOM. FIENI *Lib. V. de Cauteriis Veterum et recentiorum*, vt alios plures iam taceamus: vid. tamen FREIND. *Hiſt. Med. pag.* 386. *Opp.*

ligno, paratum ac formatum fuerit illud ipſum ſingulare cauterium, cuius hic, ceu ſuo quidem tempore, notiſſimi, paucis tantum, et obiter quaſi, meminit noſter HIPPOCRATES, id certe in tanta Veterum Chirurgorum penuria, haud ſatis hodie liquet: p) ideo vanis hic ac veri inanibus coniecturis nimis indulgere, noſter non fert animus. Ceterum vero AEGINETA, *Lib.* VI. *cap.* 47. *pag.* 88. vbi de eadem Hepatis affecti vſtione agit, pro πυξίνοις illis ἀτράκτοις Hippocraticis, commendat in eundem vſum, καυτήρια λεπτὰ πυρηνοειδῆ, *Cauteria tenuia rotundiora et oliuae aut nuclei formam obtuſiorem habentia*, quae inde forſan eadem eſſe videntur, ac iſti quidem ἄτρακτοι πύξινοι. Sed haec obiter.

Interea tamen his tenebris quaſi Hippocraticis magna ac luculenta lux, opinor, affulgebit ex ſequentibus ſingularibus PAVLLI AEGINETAE, AETII AMIDENI et CAELII AVRELIANI locis, ex quibus liquido nempe apparet, *radices Ariſtolochiae longae*, item *Struthii*, ſeu *Lanariae*, *Gentianae*, aliarumque plantarum, oleo feruenti prius intinctas, vicem olim mitiorum Cauteriorum pariter praeſtitiſſe, quemadmodum hic buxea inſtrumenta oleo etiam feruido imbuta, cauterii blandioris vſum praebuiſſe, traditum fuit ab HIPPOCRATE noſtro. Conf. huc inprimis THOMAE REINESII *Var. Lect. Lib.* III. *Cap.* I. *p.* 311. vbi et de veterum Medicorum et Chirurgorum ἴσκαις, ſeu ὕσκαις et *Eſcis* Latinor. agit, quibus cauterum loco, olim vtebantur, vti patet ex ALEXANDRO TRALL. *Lib.* XI. *pag.* 625. AET. *Lib.* VII. *Cap.* 91. *p.* 138. b. THEODOR. PRISCIAN. *Lib.* II. *Cap.* 21. GARIOPONTO, *Lib.* I. *Cap.* 10. inprimis AEGINETA, *Lib.* VI. *Cap.* 49. *pag.* 88. aliisque. Conf. huc praeſertim CANGII *Gloſſar.*

p) Qua de inſigni veteris chirurgiae iactura, iure conqueritur Vir ſummus, THOM. REINESIVS, *Lib. III. Var. Lect. Cap.* 16. *pag.* 673. Quam tamen nuperrime reſarcire praeclare ſtuduit celeb. COCCHIVS, edendo Florentiae, 1754. partem primam *Collectionis* NICETAE *Veterum Chirurgorum Graecorum*, in qua multa profecto lectu et ſcitu digna habentur: Vtinam vero et reliqua illius praeſtantiſſimae Collectionis pars adhuc maior, proxime ſequeretur; tum ſane haud dubie eximium prorſus et vtiliſſimum Veteris Chirurgiae Theſaurum habituri eſſent omnes Veteris Medicinae cultioris et ſolidioris ſtudioſi amatores. Sed haec obiter.

Gloſſar. Graec. pag. 522. et *pag.* 1650. eiusdemque *Gloſſar. Latin. Tom.* III. *pag.* 135. item SALMASII *Exercitat. Plinian. pag.* 127. et FREIND, *Hiſtor. Med. pag.* 386. *Opp.* per celeb. IO. WIGAN curatorum.

Audiamus igitur ipſum PAVLLVM AEGINETAM, ita quidem vulgo loquentem, *Lib.* VI. *Cap.* 44. *pag.* 87. b. πρακτικώτατον βοήθημα τοῖς ἐμπύοις ἡ καῦσις εὕρηται· δεῖ οὖν τῆς μακρᾶς ἀριστολοχίας τὴν ῥίζαν ἐλαίῳ δεύσαντας, ἐντιθέναι αὐτοῖς πεπυρακτωμένας τὰς ἐσχάρας κ. τ. λ. *Efficaciſſimum auxilium pectore ſuppuratis, vſtio inuenta eſt. Oportet igitur Ariſtolochiae longae radice oleo* (feruenti ſcil.) *prius imbuta, ignitas cruſtas ipſis ingerere.* q)

Eandem

q) Plurimum hic conqueritur IANVS CORNARIVS, *in Dolabellis*, vt vocat, in PAVLL. AEGINET. *pag.* 733. *Tom. I. Med. Art. princip. Vett.* per HENR. STEPHAN. de ingenti quidem huius loci obſcuritate ac deprauatione, putatque inde, etſi timide et verecunde, ita quaſi ſcriptum olim fuiſſe ab ipſo nempe Aegineta: δεῖ οὖν τῆς μακρᾶς ἀριστολοχίας τὴν ῥίζαν ἐλαίῳ δεύσαντας ἐντιθέναι καυθεῖσι, τοῖς πεπυρακτωμένοις καυτηρίοις εἰς τὰς ἐσχάρας. hoc eſt, ipſo interpretante: *oportet igitur Ariſtolochiae longae radicem oleo imbutam, ipſis per ignita cauteria, vſtis, in cruſtas indere*: quibus deinde ſubiungit ſequentem explicationem: *Videtur autem Ariſtolochiae longae radicem oleo imbutam, in cruſtas propterea indere, vt et inuſtas cruſtas mitiget oleum, et ipſa radix, ſua tenuium partium facultate, quam ſimul exterſoriam habet, pus extractum extergeat.* Sic quidem ille. Verum haec omnia, quod tamen pace manium Viri, alias de bonis literis meritiſſimi, dictum ſit, cauterio, vt ita dicam, critico feruenti inurenda et penitus abolenda ſunt, quoniam et AEGINETAE et aliorum veterum chirurgorum menti e directo plane aduerſantur. Nam, quomodo quaeſo eſcharis, ſiue cruſtis, non profundis, ſed tantum in ſuperficie cutis, aut carnis, excitatis, vt ipſe hic praecepit AEGINETA, radices illae inſeri, et implantari quaſi potuerint, et quem potiſſimum in finem? id equidem fateor, me comprehendere haud poſſe, nec quisquam alius facile illud comprehenderit, aut explicuerit. Interim tamen non nego; mendoſum non nihil et empyum quaſi eſſe hunc ipſum AEGINETAE locum, atque inde medela indigere; praeſertim, quum quidam Vett. Codd. hic habeant, αὐτῆς πεπυρακτωμέν. Vt obſeruauit ipſe CORNARVS et nos, poſt ipſum, in MSt pariſinis, deprehendimus. Inde hunc fere in modum ſcripſiſſe olim ipſum AEGINETAM, nunc ſuſpicamur: δεῖ οὖν τῆς μακρᾶς ἀριστολοχίας τὴν ῥίζαν δεύσαντας, ἐντιθέναι, αὐτῆς πεπυρακτωμένης, τὰς ἐσχάρας, h. e. *Oportet Ariſtolochiae longae radicem oleo feruenti prius intingere, ſicque ea ferueſacta, cruſtas infigere, ſeu imprimere;* ſenſu

Eandem quoque in Empyicis, medendi et inurendi methodum obſeruat AETIVS AMIDEN. *Lib. VIII. Cap.* 64. *pag.* 170. b. omiſſa tamen illa ipſa Ariſtolochiae longae radice. Manifeſtius autem in eam ipſam rem, Archigenes, apud eundem, et Ariſtolochiae et ſtruthii radicum, Cauterii loco, adhibitarum, his meminit, *Tetrabibl. III. Serm. IV. Cap.* 3. *pag.* 583. *Tom. II. Med. Art. princip. Vett.* vbi tamen admodum doleo, huius quidem in AETIO, partis, tantum latinam hodie Verſionem extare, graecis ipſis nondum, vt notum, publicatis: Sed en ipſa illa verba latina: *Veteres, inquit Archigenes, etiam vſtione, in Iſchiadicis, vſi ſunt, tum per cauteres ferreos, igni candefactos, tum per ſtruthii et Ariſtolochiae radices, coxae iunctura in altum peruſta, itemque cruri, per interualla quaedam, circa dolentes maxime locos, cautere admoto.* Haec vero cuncta et inprimis hic ipſe perquam notabilis AETII locus, apprime inſeruiunt explicandis illis CAELII AVRELIANI obſcuriſſimis hactenus verbis, *Lib. V. de Morb. Chron. Cap. I. pag.* 554. *Alii denique ex radice herbae, quam ſtruthium vocant, loca vlcerari praecipiunt: Vſta etenim Radix, concepta flamma, cuti appoſita, puſtulationem neceſſario facit.* Ibidem, paucis interiectis, mox aliam proponit methodum Cauterii, ex eo ipſo ſtruthio parandi, a priore, plane diuerſam: *Tabulae tiliari apponentes ſtruthium herbam, concidunt in breues particulas, ac deinde ferramento igneo ſingulas partes oleo tingentes, accenſas imponunt tabulae ſcilicet tiliae: hoc ſecundo, vel tertio facientes, per interualla, donec materia carboneſcat, atque puſtulas cutis efficiat.* Hactenus CAELIVS AVRELIANVS: qui et in antecedentibus, *pag.* 553. de *oleo per cauteres ignitos calefacto* et corpori applicato, tractat.

Illud autem interea nunc ex his, certum eſſe arbitror ac manifeſtum, HIPPOCRATEM ſcarificatis modo palpebris mox applicuiſſe cauteria

ſu perſpicuo. Melius enim πεπυρακτωμέν. conſtruitur cum ἀριϛολοχίας ſeu ῥίζης, quam cum ἐσχάρας. Ita *Cap.* 42. πεπυρακτωμένοις καυτηρίοις, dixit, et rurſus. *Cap.* 48. Καυτηρίῳ πεπυρακτωμένῳ: Conf. AET. *Lib. VII. Cap.* 88. *pag.* 138. et *Cap.* 89. Nam πεπυρακτωμένας ἐσχάρας, vix putem, bene graece dici poſſe. Ceterum ἐντυθέναι ἐσχάρας hic ſcripſit, quomodo mox *Cap.* 47. ἐσχάραν τιθέντες, et alibi. Ipſe quoque HIPPOCRATES dixit *Lib. de Artic. p.* 769. ἐσχάρην ἐνδέχεται ἐνθεῖναι, vt et AETIVS. Sed haec ſufficiant.

cauteria non ferrea quidem candentia, r) ſed lignea potius calentia, mitiora, ex ſolida et ignis patientiore buxo, alioue duriore ligno, aut radice craſſiore ac tenaciore, parata, s) iſtaque maioris prouidentiae et diligentioris cautionis cauſſa, ne nimis vehementer ſcilicet adurerent ipſas teneras et ſenſiles admodum palpebras, lana Mileſia, criſpa, puraque, prius curioſe circumuoluiſſe. t)

Ppp 2 Inde

r) Quod ſcilicet clariſſime patet ex hoc ipſo, *de Viſu, libello*, vbi bis iubet HIPPOCRATES, in hac delicata oculorum Chirurgia, ſcarificatas modo palpebras ἔνδοθεν ἐπικαίειν μὴ διαφανέσιν *p.* 352. et rurſus, *p.* 354. βλέφαρον ἐπικαῦσαι, μὴ διαφανέσι, ſcilicet σιδηρίοις, quod ſemper hic ſubaudiendum, bene obſeruante FOESIO, *in oeconomia, pag.* 98. vbi plura loca collecta exhibet. add. GORRAEI *Defin. Med. pag.* 109. Iſta vero σιδήρια μὴ διαφανέα, CAELIVS AVRELIANVS, *Lib.* III. *de Morb. Chron. c.* 4. *p* 451. inde vocaſſe videtur *cauteres frigidos*, haud frigide, niſi fallor, male autem ibi legit ALMELOVEENIVS, *rigidos, pag.* 644. Ita enim manifeſte ac perſpicue THEODORVS PRISCIANVS, *Lib.* I. *cap* 20. *pag.* 40. *Quae ignis non poterunt ſuſtinere tormenta.* [Sic hic vocat cauteres ignitos, de quibus in antecedentibus dixerat] *frigido rectius Cautere hoc vtimur, qui frequenter a nobis adhibitur, profuit.* Vbi et mox ipſum modum eiusmodi cauteris frigidi parandi, accuratius docet, qui ibi legi commode poteſt: nam paullo ille fuſior eſt, quam vt totus huc tranſcribatur. Ignea igitur cauteria ferrea hic prohibuiſſe HIPPOCRATEM, lignea contra, ceu tutiora et tolerabiliora, prae illis ſaeuioribus, ad vſum commendaſſe potiſſimum, ex his nunc abunde, putem, conſtabit.

s) Huc illa PLINII, *Lib.* XVI. *cap.* 16. *In igne quoque Buxo duritia, quae ferro, nec flamma, nec carbone vtili.* Conf. THEOPHRASTI *Hiſt. plant. Lib.* V. *cap.* 4. *p.* 517. et ibi IO. BOD. a STAPEL, item ad *Lib.* III. *cap.* 15. *pag.* 232. Forte autem, ſi coniicere non nihil liceat, hic per hos ipſos πυξίνους ἀτράκτους intellexerit HIPPOCRATES illas ipſas etiam Ariſtolochiae longae radices, in Cauterii vſum adhibitas, vt ſupra probauimus, praeſertim, quum eas interne πυξοειδεῖς, ſeu *buxeo colore praeditas* eſſe, manifeſto ſcribat DIOSCORIDES, *Lib.* III. *cap.* V. Vid. inprimis IO. BOD. A STAPEL, ad THEOPHRAST. *Hiſt. plant. L.* IX. *cap.* 13. *pag.* 1108. πύξινον autem idem ſaepe eſſe, ac *colore buxeo tinctum*, ex Lexicis notiſſimum.

t) Obiicit quidem ex his, ſequentia cl. MAVCHART. *Diſſ. pag.* 8. *Minime tamen hinc conſequitur, Hippocratem in hac raſione et attritione palpebrarum, vſum fuiſſe telo, ferreoue Inſtrumento candenti et ignito, quum vel ſola lanae circumuolutio repugnet, quae hinc incenſa, palpebris et oculo periculoſam intuliſſet inflammationem.* Haec quidem ſatis ingenioſe ſatisque ſpecioſe: Sed facilis admodum contra hanc obiectionem, erit reſponſio, ad vanos iſtos quidem metus leuandos, immo penitus, vt arbitror, tollendos, dum enim Cauteria illa buxea potius, ac lignea, aut ex ſolidioribus radicibus parata, quam ignea, aut ferrea, calebant magis, quam candebant, atque oleo tantum feruenti intincta, aut alio modo calefacta erant, illa lana criſpa iſtis circumuoluta, nec ipſa aduri

Inde ergo iam abunde liquidoque cunctis, opinor, patebit, incognitam quidem HIPPOCRATI olim haud fuiſſe ipſam oculorum raſuram, ſeu ſcarificationem: Inſtrumentum autem ipſum chirurgicum, quo illa perageretur, nequaquam hic ab ipſo deſcriptum, multo minus vero Carduum aculeatum, ipſius loco, adhibitum eſſe: Sed e contrario, oculorum vſtionem, vtpote, propter metuenda inde damna ac pericula, maxima cum circumſpectione, peragendam, diligentiſſime ab eodem hic fuiſſe enarratam, et ipſum quoque cauterium, ἄτρακτον dictum, ad iſtam quidem Chirurgiam ocularIam commodum et idoneum, ſimul indicatum. u) Quare omnis iſte HIPPOCRATIS locus, hactenus illuſtratus, rectius fortaſſis, niſi admodum fallor, in poſterum, ita erit latine vertendus:

Quum

ri poterat, nec oculum ipſum adurere: quin potius, e contrario, perquam commoda et appoſita erat, ad ipſum quidem oculum a vehementiore feruore et altiore inprimis Cauterii ipſius impreſſione, tanto certius defendendum, adeo, vt nullum plane exinde periculum metuendum, eo maior autem ſecuritas ſperanda eſſet. Hoc eſt, quod ſic CELSVS elegantiſſime, pro more ſolito expreſſit, *Lib.* VII. *cap.* XII, 6. *Neceſſarium eſt, tenui ferramento adurere, quod ſpathae ſimile, quaſi transcurrere, non imprimi, debet.* Sic igitur et hic cauteria illa tenuia e buxo parata, et feruenti oleo intincta, ac praecautionis gratia lana tenerrima nonnihil obuoluta, palpebras transcurrere tantum leuiter debebant; non autem iisdem altius imprimi. Quid ergo nunc clarius? Conf. HIPPOCRAT. de *Haemorrhoid. pag.* 350. *Tom.* II. et IO. BOD. A STAPEL, ad THEOPHRAST. de *Hiſt. plant. Lib.* IV. *cap.* 12. *pag.* 473. *ſeqq.* item FOES. in *Oecon.* voce καυτήρ.

u) Ita vel apud PLVTARCHVM, vel APPIANVM, aliumue Auctorem veterem hiſtoricum, (locus enim ipſe, quod vehementer certe doleo, memoriae, alias ſatis fidae, iam non ſuccurrit,) de ſaeuo quodam Tyranno, me olim legere memini: τοῖς πεπυρακτωμένοις ἀτράκτοις ἐκκαῦσαι τὰς ὄψεις, *Ignitis inſtrumentis exurere oculos:* vbi pariter per τὰς πεπυρακτωμένας ἀτράκτας, intelligenda *ignita Cauteria*, non autem de *fuſis* vulgaribus, accipiendum, vt et ibi perperam latine redditum erat. Conf. EVSEB. *L. I. de Vit. Conſtant. Cap.* 58. *p.* 438. Inde vero perquam luculentam lucem accipere ipſum hunc noſtrum locum Hippocraticum aliquanto obſcuriorem, nemo non opinor, protinus videbit. Ceterum huc et nonnihil ſpectat, quod *ſcholiaſtes* SOPHOCLIS, ad *Antigon.* 1092. illas κερκίδων ἀκμὰς, ſeu *radios textorios*, quibus crudeliter excaecaſſe binos ſuos filios innocentes dicitur phineus, impiae nouercae nimium credulus, ſcite explicuit, διὰ σιδηρῶν ἀτράκτων, per *fuſos ferreos*, ſeu potius, *inſtrumenta ferrea.* Vnde vero ſimul manifeſtiſſime patet, quam πολύσημος et πολυώνυμος ſit ea ipſa Vox ἄτρακτος: vt paullo ſuperius iamiam opportune monuimus.

Quum vero palpebras oculi radere velis, prius istae radendae sunt: deinde illis applicandum cauterium instrumentum, lana Milesia, crispa, pura obuolutum, ita, vt ipsam oculi coronam vites, ne vsque ad Cartilaginem peruras.

Atque haec quidem solo veritatis studio impulsi, non vana obloquendi cupidine illecti, nec famae posthumae clarissimorum Virorum, quos propter sua praeclara merita, merito veneramur, quidquam temere detrahendi foeda libidine agitati, qui quippe teterrimus minuti ac plebeii animi morbus a moribus nostris alienissimus, data hac commoda occasione, commentari de hoc ipso arduo et obscuro argumento, voluimus.

Animus quidem nunc erat, per omnes Medicos Veteres graecos et latinos, libere diuagari, atque ex iis singulis, diligenter ostendere, quomodo ipsi, et quibus potissimum instrumentis Chirurgicis, eam ipsam oculorum scarificationem peregerint: item et simul antiquissimam huius Chirurgiae oculariae originem, ab ipsa Natura creatrice, vt cum poëta sic loquar, primitus monstratam, curatius aliquanto euoluere. Sed chartae temporisque angustia prohibente, eam quidem tractationem non iniucundam forsan nec incuriosam futuram, in aliud commodius tempus reiicere, iam necessitate vrgemur; quod vero, vbi proxime, vt spes quidem est, nacti fuerimus; tum diligentius accuratiusque, pro nostris nempe modicis viribus, agemus de *Scarificationis Oculorum Historia, Antiquitate atque Origine.*

EXERCITATIO SEPTIMA.

DE

SCARIFICATIONIS OCVLORVM HISTORIA ANTIQVITATE ET ORIGINE.

Polliciti nostri adhuc bene memores, occasione ita opportune ferente, praemissae nuper nostrae *Commentationi de scarificatione atque Vstione oculorum, ab* HIPPOCRATE *descripta,* ea nunc hic subiungemus,

mus, quae de iſtius *ſcarificationis Oculorum Antiquitate atque Origine,* adhuc dicenda reſtant. Nobis enim iniquis temporis chartaeque ſpatiis, tum quidem iuuitis, fateor, excluſis, Telam iſtam ſemel ibi exorſam, contra Votum plane noſtrum, detexere haud licuit.

Quare promiſſum iſtud decenter exſoluturi, iam per paucos illos Veteres Auctores Medicos Graecos, benigniore fato, ex multis, vel iniuria temporum, vel incuria hominum, olim deperditis, adhuc nobis relictos, citato quaſi gradu, libere eamus, atque ex ſingulis liquido oſtendamus, iſtam oculorum ſcarificationem ipſis nec incognitam fuiſſe, nec inexercitatam; ſed potius, ſumma vrgente neceſſitate, frequentius adhibitam. Minime enim cum Celeb. WOOLHVSIO, eiusque diſcipulis clariſſimis nonnullis, exiſtimandum eſt, raram tantum apud Medicos Veteres graecos et latinos, ab HIPPOCRATIS quidem aeuo, aliquanto remotiores, occurrere iſtius chirurgiae oculariae mentionem, atque non niſi GALENO, PAVLLO AEGINETAE et CORNELIO CELSO, eam fuiſſe commemoratam: [a]) Contrarium enim ex mox producendis teſtibus grauiſſimis, manifeſtiſſime, vt equidem arbitror, nunc patebit.

Audiamus ergo, ſi lubet, ita primum loquentem ipſum DIOSCORIDEM: [b]) Παρατρίβεται δὲ αὐτοῖς τῶν Ὀλύνθων φύλλοις, καὶ τὰ συκώδη καὶ τραχέα τῶν βλεφάρων, h. e. *perfricantur quoque ipſis ficuum foliis, tam ficoſae, quam aſperae palpebrae.* Alibi vero adhuc luculentius: [c]) Ξύειν δὲ δεῖ τὰ τετυλωμένα, ἐκτρέφοντα βλέφαρα, σύκου φύλλοις τραχέ-

a) Ita B. PLATNERVS, in Diſſert. *de ſcarificatione oculorum, p.* 32. ſcribit: *hanc chirurgiam ſequentibus, poſt* HIPPOCRATEM, *temporibus, non frequenter exercitatam fuiſſe, ſuſpicamur.* Poſt CELSVM, GALENVM, ſeu obſcurum potius Libri obſcuri de Oculis, Auctorem, atque inprimis PAVLL. AEGINETAM, allegat. Deinde perquam dubitanter, haec demum ſubiungit: *Num praeter hos, alii Graecorum Latinorumque Medicorum, hanc encheireſin commendauerint? nobis haud adeo certo conſtat.* Idem fere antea ſtatuerat Cl. MAVCHART. in Diſſ. de ὀφθαλμοξύσει, *pag.* 8. item Cl. HAMPE, quem vid. ibidem, *pag.* 9.

b) *Lib.* 1. de Materia Medica, *Cap.* 185. *pag.* 87.

c) *Lib* 1. *de Medicament. facile parabil. Cap.* 47. *pag* 12. ibi vero vulgo male pro σύκου φύλλοις, legitur ἴου, vt recte in margine notatum. Συκῆς φύλλοις rectius hic habent AEGINETA, AETIVS, ALEXANDER TRALLIANVS et alii.

τραχέσιν, ἢ σμιλίῳ, ἢ σηπίας ὀστράκῳ, σχηματισθέντι εἰς κολλύριον, *Callosas autem palpebras, euersas, radere, seu scarificare oportet, fici foliis asperis, aut scalpro subtili, aut sepiae testa in collyrium conformata.* Quae postrema iam supra, alio loco, d) in hunc vsum, ita commendauerat: Τὸ δὲ ἀπὸ τῆς σηπίας ὄστρακον, σχηματισθὲν εἰς κολλύρια, ἁρμόζει πρὸς παράτριψιν τραχέων βλεφάρων, *sepiae testa, in collyria efformata, commodum praestat vsum ad frictionem, seu scarificationem asperarum palpebrarum.*

DIOSCORIDEM, praestantissimum istum Veterum Herbariorum, ordine, iam sequatur GALENVS, loco isto perquam memorabili, e) καταστάντες οὖν εἰς ἀπορίαν τῆς τοιαύτης ἐπιπλοκῆς τῶν παθῶν, (scil. τραχωμάτων, κ. τ. λ.) οἱ Ἰατροὶ, μόνην ἐξευρήκασι βοήθειαν, ὡς ἐν ἀπόροις, ἐκστρέφοντες τὰ βλέφαρα, διαῤῥύπτειν αὐτὰ, καὶ ἀποσμᾶν ἄνευ φαρμάκων. Ἔνιοι μὲν αὐτῷ τῷ κυαθίσκῳ τῆς σμίλης, ἐπιπολῆς ἀποξύοντες, f) εἶτα σπόγγῳ μαλακῷ, τὸ ἀποῤῥέον ἐκλαμβάνοντες, προστέλλοντές τε τὰ βλέφαρα, τὸ λοιπὸν τῆς τραχύτητος· ἔνιοι δὲ καὶ δέρματα θαλαττίων ζώων τινῶν, ἐπιπολῆς τραχέα, συμμέτρως, εἰς τὴν τοιαύτην χρείαν, παραλαμβάνουσι· εἷς δέ τις τῶν ἐμῶν διδασκάλων, καὶ κολλύριον ἐποίησε διὰ κισσήρεως, καὶ τὰς τραχύτητας ἀπέῤῥυπτεν, ἐκστρέφων,

d) *Lib.* II. *de Mat. Med. Cap.* 23. *pag.* 94.

e) *Lib.* IV. *de Composit. Medicamentor. secundum Locos, Cap.* 2. *pag.* 425. *Tom.* XIII. *Opp.* per RENAT. CHARTERIVM.

f) Κυαθίσκῳ τῆς σμίλης, legunt hic pleraque Vetera Exemplaria, itaque rectius verti deberet, *concaua scalpelli parte*, aliud enim est μήλη, aliud σμίλη, licet frequentissime inter sese confundantur. Μήλη enim est *specillum*, σμίλη autem *scalpellum.* Vid. huc inprimis Cl. COCCHII *Not.* ad ORIBAS. *de Fractur. in Collect. Vett. Chirurg.* NICETAE, *pag.* 94. 95. add. SALMAS. *Exercit. plin. pag.* 361. Μήλη vero in hac chirurgia oculaira saepius occurrit, vt apud ALEX. TRALLIAN. AEGINETAM, et alios; item ῥινομήλη, σπαθομήλη, λαυρομήλη, κυαθισκομήλη, item μηλωτρίδος κυαθίσκος; pluraque in hunc sensum censumque, alia, apud DEMOSTHENEM praesertim, celeb. illum Medicum ocularium Veterem, ex quo eadem, quamvis vitiosissime et monstrosissime, passim repetit MATTH. SILVATICVS, in *Pandect. Med.* quae tamen maximam iam partem emendauimus et illustrauimus, in superiore Exercitat. *de Scarificat. et vstione Oculorum Hippocratica.* Conf. huc interim REINES. *Var. Lect. L.* III. *cap.* 16. *p.* 673. PAVL. LEOPARD. *Lib.* XIII. *Emend. cap.* 2. RHOD. ad SCRIBON. LARG. *pag.* 81. vt alios taceam. Σμιλίῳ tamen scil. ἀπὸ τῆς σμίλης, de eadem re, vsurpauit supra DIOSCORIDES, vt vidimus: Vtrumque ergo ferri potest; ipso affirmante CELSO.

ςρέφων τὰ βλέφαρα. *In huiusmodi itaque affectuum complexu, medici, ad consilii inopiam redacti, solum Remedium, velut in desperatis, repererunt, vt ipsas palpebras inuersas citra Medicamentorum vsum, repurgent, et abstergeant; Aliqui quidem specilli concauo, superficiem deradentes, deinde molli spongia, id, quod defluit, excipientes, palpebrasque, quod ad reliquum aspritudinis, ad aequalitatem redigentes. Aliqui vero etiam marinorum quorundam animalium coria in superficie aspera, in eiusmodi vsum, congrue assumunt. Quidam autem ex praeceptoribus meis, etiam ex pumice, Collyrium fecit, atque eo ipso, versis palpebris aspritudines deradebat.* g)

Maximum hunc Doctorem Pergamenum excipiat nunc AETIVS AMIDENVS, h) qui tamen paucis saltim, huius ambiguae Chirurgiae meminit, quoniam eam, ob ancipitem plerumque, euentum, proscribit potius, quam praescribit, vti in sequentibus, paulo distinctius docebimus. En autem ipsa illius verba: Τινὲς μὲν οὖν ξέειν τὰ τραχώματα πειρῶνται· οἱ μὲν σιδήρῳ i) οἱ δὲ φύλλοις συκῆς. *Quidam igitur palpebrarum aspritudines radere ac scarificare tentant; nonnulli quidem instrumento quodam ferreo; alii vero fici foliis.*

AETIVM

g) De quo Collyrio rasorio, vt ita dicam, eiusque praeparatione, vid. supra, in antecedentibus, bina DIOSCORIDIS loca singularia.

h) *Lib.* VII. *Cap.* 45. *fol.* 131. b. Edit. Graec. Aldin. Conf. et ibidem, *cap.* 82. *pag.* 137. b.

i) Σιδήρῳ, hic idem est, ac σμιλίῳ, supra, apud DIOSCORIDEM, aut κυαθίσκῳ τῆς σμίλης, seu μήλης, mox apud GALENVM, et paullo post, apud ALEXANDRVM TRALLIANVM, aut denique βλεφαροξύστῳ, apud PAVLLVM AEGINETAM, de quo statim in sequentibus. Sed siue σμίλην legeris, siue μήλην, vtrumque certe ad scarificationem rite peragendam, idoneum fuit instrumentum, vt modo monebamus. Inde et ipse CORNELIVS CELSVS, *Lib.* VI. *c.* 6. beneobseruat, *duras crassasque palpebras interdum asperato specillo*, h. e. μήλῃ, *interdum autem etiam scalpello*, h. e. σμίλῃ, *fuisse erasas.* Ceterum huc etiam pertinet sequens ORIBASII locus, *de Loc. affect. Curat. Lib.* IV. *cap.* 27. *pag.* 184. *Vers. Lat.* quoniam iam ipsum exemplum graecum, quod doleo, non est ad manum: *palpebras inverte, ac specillo calido laeuigabis, aut foliis ficulneis, et melle deinde subunge.* Vnde vel liquido patet, omnibus propemodum Medicis antiquis graecis, vnam eandemque fuisse sententiam, circa istam methodum chirurgicam oculos scabros et dura aspritudine affectos, curandi ac tractandi. Quam tamen ob metuendum inde inflammationis periculum, merito damnat ANTOINE, *Tract. de Morbis Oculorum, part.* IV. *cap.* 17. *pag.* 763. de quo infra,

AETIVM vero AMIDENVM comitetur iam, ordine suo, ALEXANDER TRALLIANVS, qui quae hac de Chirurgia consignauit, maximam quidem partem, ex ipso hausit GALENO. In hunc autem modum, ipsius fluunt verba: [k]) Ἐὰν γὰρ ἕλκος εἶναι τύχῃ τῇ τραχύτητι τῶν βλεφάρων βέλτιόν ἐστιν, ἐκστρέφοντα μᾶλλον αὐτὰ οὕτως σμήχειν, ἢ τῷ κυάθῳ τῆς μήλης, ἢ φύλλοις συκῆς. Ἔνιοι δὲ καὶ σηπίας ὀστράκῳ, ἢ δέρματι τραχυτέρῳ χρῶνται, καὶ ἄλλοι πάλιν τῆς διὰ κισσήρεως, κολλυρίοις ὑπαλείφουσιν. Hoc est: *Si enim Vlcus cum aspritudine palpebrarum esse contigerit, satius est, ipsas potius inuersas ita fricare, aut specilli concaua parte mucronata, aut ficulneis foliis. Nonnulli vero etiam sepiae testa, aut pelle asperiore vtuntur: Alii rursus, collyriis ex pumice, sublinunt.*

Succedat ipsi ALEXANDRO TRALLIANO, nunc PAVLLVS AEGINETA, [l]) his quidem verbis: Εἰ δὲ σκληρὸς ὢν ὁ τύλος, μὴ τούτοις εἴκοι, ἐκστρέψαντες τὸ βλέφαρον, ξέσωμεν, διὰ κισσήρεως, ἢ σηπίας ὀστράκου, ἢ φύλλων συκῆς, ἢ καὶ διὰ τοῦ ὀργάνου, τοῦ βλεφαροξύστου καλουμένου. Id est latine: *Si vero durus sit Callus, et his non cedat* (Collyriis superius commemoratis) *inuersam palpebram per pumicem, rademus, aut per sepiae testam, aut fici foliis, aut etiam per instrumentum, Blepharoxyston, ab hac opera appellatum.* [m])

Agmen denique Medicorum horum Graecorum omnium claudat Hippiatrus potius, quam Andriatrus, vt sic loquar, videlicet APSYRTVS, [n]) qui et huius Chirurgiae ocularie meminit, in scarificandis oculis equorum morbosis: Ἐὰν δὲ μὴ ἀνοίγῃ τὸν ὀφθαλμὸν ὁ ἵππος, ἐκστρέψας αὐτοῦ τὰ βλέφαρα, σμιλαρίῳ κατάσχασον. *Quodsi autem oculum*

k) *Lib.* II. *Medicinal. Cap.* 6. *p.* 148.

l) *Lib.* III. *Cap.* 22. *pag.* 34. Quem ipsum vero singularem PAVLLI AEGINETAE locum allegarunt iam MAVCHARTVS, HAMPE, PLATNERVS et alii; vt supra iam monitum; sed dudum ante hos omnes, MARC. AVREL. SEVERINVS, *de efficaci Medicina, Part.* II. *Cap.* CVII. *pag.* 114.

m) De quo Instrumento oculario, vid. si lubet, priorem nostram commentationem nuperam, *de Scarificatione et vstione oculorum Hippocratica, pag.* XV. de quo et in sequutura proxime, Commentatione Tertia, si Deo nempe ita vsum fuerit, accuratius acturi sumus.

n) *Lib.* I. HIPPIATRIC. *Cap.* XI. *pag.* 47. Edit. Graec. Basil.

oculum haud aperiat equus, ipsius palpebras extrorsum prius versas, scalpello scarificato.

Et haec quidem hactenus de Medicis Graecis. De Latinis vero, nemo, quantum equidem sciam, huius ocularíae scarificationis mentionem fecit, praeter vnum CORNELIVM CELSVM, cuius digna proinde sunt verba, quae hic infra adscribantur: o) *In hoc genere valetudinis,* (scilicet aspritudinis oculorum) *quidam crassas durasque palpebras, et ficulneo folio, et asperato specillo, et interdum scalpello, eradunt; versasque quotidie Medicamentis suffricant.*

Sed haec de Scarificationis Oculorum Antiquitate et Historia, iam sufficiant. Nunc ad ipsam eiusdem originem antiquissimam, si lubet, progrediamur. Ea autem, ne quid dissimulem, adeo mirabilis et insolita est, vt vix fidem habitura videretur, nisi grauissimorum Auctorum testimoniis luculentissimis abunde confirmata esset. Non enim ea prudentiorum hominum solertiae, aut longae exercitatissimorum Medicorum experientiae debetur: sed potius, quis credere ausit? lasciuarum caprarum et olidorum caprorum ingeneratae sagacitati, qui monstrante ipsis natura ipsa, viam et curationis rationem, hanc subtiliorem chirurgiam ocularíam primi inuenisse dicuntur ab AELIANO, p) cuius memorabilem oppido locum, etsi aliquanto diffusiorem, pace tamen, vt spes est, Lectorum, hic infra integrum adscribam, quum operae omnino pretium videatur. En autem ipsum: Ἀγαθὴ δὲ ἄρα ἦν ἡ αἴξ καὶ τὴν τῶν ὀφθαλμῶν ἀχλὺν, ἥνπερ οἱ παῖδες Ἀσκληπιοῦ ὑπόχυσιν καλοῦσιν, ἀκέσασθαι· καὶ λέγονταί γε οἱ ἄνθρωποι παρ' ἐκείνης μαθεῖν τόδε τὸ ἴαμα· τὸ δὲ ἄρα τοιοῦτόν ἐστιν. Ὅταν αἴξ νοήσῃ τὸν ὀφθαλμὸν ἐπιθολωθέντα αὐτῇ, πρόσεισι βάτῳ, καὶ παραβάλλει τῇ ἀκάνθῃ τὸ ὄμμα, νύξαι αὐτό· καὶ ἡ μὲν ἐκέντησε, τὸ δὲ ὑγρὸν ἐξεχώρησε, μένει δὲ ἀπαθὴς ἡ κόρη, καὶ ὁρᾷ αὖθις· καὶ δεῖται σοφίας καὶ χειρουργίας ἀνθρωπικῆς

o) *Lib. VI. de Medicina, Cap. VI. Sect.* 26 *pag.* 363. perquam notum vero hunc latini Medicorum Ciceronis locum Cl. PLATNERVS iamiam laudauerat, et, nisi fallor, etiam HAMPIVS, dudum autem ante ipsum SEVERINVS, GORRAEVS, BLANCARDVS, et alii.

p) *Lib. VII. de Animalium Natura, Cap. XIV. p.* 501. *Tom. I.* Edit. Londinens. per celeb. ABRAHAM. GRONOVIVM, cum Notis nostris, editae.

ϑρωπικῆς οὐδὲ ἕν. Hoc eſt: *Caliginem oculorum, quam ſuffuſionem vocant Aeſculapii filii, caprinum pecus probe curare ſcit: et ab ipſa capra remedium eiusdem, homines quoque mutuati dicuntur. Quum enim capra conturbatum oculum, et non probe affectum ad videndum, ſentit, ad rubum accedit, eiusque ſpinae propius admouet oculum, vt ipſe ab ea compungatur: Haec autem vt pupugit, pituita ſtatim effluit, illaeſa tamen manente Pupilla, ipſaque capra videndi vſum recuperat, neque vlla humana ſapientia aut chirurgia vnquam ad haec indiget.* Quam ipſam caprinam, vt ita loquar, chirurgiam breuius ſic retulit PLINIVS: q) *Oculos ſuffuſos capra iunci puncto, ſanguine exonerat, caper, rubi.* r)

Multo autem luculentius GALENVS, s) ſequentibus quidem verbis, notatu digniſſimis: Τινὰ δὲ (φάρμακα) ἐκ περιπτώσεώς φασι ἐπινενοῆσθαι, ὡς τὸ παρακεντεῖν τοὺς ὑποκεχυμένους, ἐκ τοῦ περιπεσεῖν αἶγα, ἥτις ὑποχυθεῖσα, ἀνέβλεψεν, ὀξυσχοίνου ἐμπαγείσης εἰς τὸν ὀφθαλμόν, Id eſt: *Quaedam Remedia dicuntur ex caſu, obſeruata fuiſſe: vt oculis ſuffuſos compungere, inde, quod capra quaepiam ex ſuffuſione male habens, iunco aculeato in oculum impacto, viſum receperit.*

Hoc ipſo autem GALENVS, ſiue Auctor illius libri, reſpexiſſe videtur ad ſingularem illam de Capella caeca, hiſtoriam, de qua ſequens perquam lepidum atque acutum, in Anthologia Graeca, ANTIPHILI extat Epigramma: t)

Ἐκ θοίνης, φάος ἔσχεν, ἐπ' ἀχράδα μηκὰς ἰοῦσα,
Ἐκ δ' ἐφάνη, τυφλὴν μηκέτ' ἔχουσα κόρην.
Δισσῶν τὴν ἑτέρην γὰρ ἐκέντρισεν ὀξὺς ἀκάνθης
Ὄζος· ἴδ' ὡς τέχνης, δένδρον ἐνεργότερον.

Qqq 2 Hoc

q) *Lib.* VIII. *Hiſtor. Natural. cap.* 50.

r) Poſſet etiam *ſanie*, legi: quoniam ὑγρὸν, habet AELIANVS, et *Humorem*, CELSVS, *Lib.* VII. *Cap.* 7, 14: Sed et *ſanguine*, ferri poteſt, ſi recte explicetur, ipſaque vox ὑπόχυσις, ſeu *ſuffuſio*, ſenſu aliquanto latiore, ſumatur.

s) *Introduct. ſeu Medic. Cap.* I. quomodo inuenta ſit Medicina, *p.* 360. *Tom.* II. *Opp.* per RENAT. CHARTERIVM.

t) *Lib.* VI. *Anthol. Cap.* XXIX. *Epigr.* 2. *pag.* 513. *Corp. Poet. Graec. Tom* II. *Part,* II. et in *Anthologia Riuiniana*, Graeco Latin. *Lib.* I. *Cent.* III. *Cap.* 29. *p.* 450. Conf. CASPAR. a REIES, *Elyſ. iucundar. Quaeſtion. Camp. Quaeſt.* 111, 6. *pag.* 54. et DANIEL VINK, *Amoenitat. Philol. Med. Cap.* II. *pag.* 46. item AMBROS.

Hoc eſt, ELIA CVCHLERO ſcite interpretante: u)

E paſtu, fruticem depaſta Capella Pyraſtri,
Luce potita, redit, lucis egena prius.
Nam ſpinae ramo pupilla eſt altera puncta,
Ecce! Machaonia, plus valet, arte, frutex.

Sic ergo et ipſa haec ocularia ſcarificatio et punctio doctores et monſtratores animalia bruta habet; ſicuti praeſtantiſſima et valentiſſima remedia alia, potioresque medendi partes pariter debemus iiſdem mutis magiſtris, a quibus ea nempe reperta ſunt, quae et homini vſui futura. Sic vomitionum et purgationum vtilitatem primi hominibus ipſis monſtraſſe narrantur ſagaces canes; opportunam ſanguinis e venis turgidis miſſionem, et ſcarificationem, item et vulneris obligationem, ſaeui Hippopotami Nilotici; commodum denique iniectorum per inferius guttur, clyſterum, vſum, Ibes Aegyptiae, indefeſſae illae dirorum ſerpentum venatrices, quae moleſtam ſibi ſaturitatem ſenſim emiſſurae, roſtri aduncitate, per eam partem, aqua marina ſeſe proluunt, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt: de quibus, vt et aliis pluribus eius modi ſalutiferis repertis animalium medicis, multa miranda multi conſignarunt Auctores, tam veteres, quam recentiores, inprimis autem ex illis ARISTOTELES, x) PLVTARCHVS, y) GALENVS, z) AELIANVS in vtroque opere, a) SEXTVS EMPIRICVS, b) BASILIVS MAGNVS, c) ANATOLIVS,

BROS. PARAEVS, *Lib.* I. *de Animant. et Hominis praeſtantia, pag.* 43. *Opp.* et CAMERARIVS, *Memorabil. Med. Cent.* I. *Cap* 13. vt et DAN. CLERICVS, *Hiſt. Med. Part.* I. *L.* I. *c.* 18. *p.* 54.

u) Ex diuerſis huius Epigrammatis graeci verſionibus Latinis metricis, ab ANDREA RIVINO collectis et coniunctim exhibitis, hanc ſolam ELIAE CVCHLERI verſionem, ceu omnium optimam, noſtra certe opinione, hic elegimus.

x) *Lib. IIX.* de *Hiſt. Animal. Cap.* 5 et *Lib. IX. Cap.* 6. et 7. atque paſſim, item *Lib. de Mirabil. Auſcult.*

y) *Lib. de Solertia Animal.* per totum, et *de Cauſſis Phyſic. Quaeſt. XXVI.*

z) *Lib. de Venae Sect. contra* ERASIST. *Cap.* 6. *pag.* 399. *Tom. X.* et *Introduct. C.* I. *p.* 360. *T. II.*

a) *Lib. I. Hiſt. Var. Cap.* 7. 8. 9. 10. et *Lib. XIII. C.* 35. Opere autem de *Natura Animal.* per totum.

b) *Lib. I. Pyrrhon. Hypotypoſ. Cap.* 14. *pag* 20. ibique in Notis FABRICIVS.

c) *Opp. Tom. I. pag.* 98. 99. et *Tom. III. pag.* 586. Conc. XXII. *de Prouidentia.*

LIVS, [d]) CICERO, [e]) PLINIVS, [f]) aliique plures, quos, praeter alios, iam maximam partem, vna collectos, exhibuit DAN. VINKIVS. [g]).

Haec igitur generatim de *Oculorum Scarificationis Antiquitate*, *Historia et Origine*, indicatis tantum, et exserto quasi digito, monstratis, ipsis Auctorum potiorum fontibus, quam copiose illustratis, aut curatius explicatis singulis.

d) Fragment. de Antipath. et Sympath. apud FABRIC. *Bibl. Graec. Lib. IV. Part. II. Cap. 29. pag. 296. sqq.*

e) *Lib. II. de Natura Deorum, Cap. 50.*

f) *Lib. VIII. Histor. Nat. Cap 26* et *27.* atque alibi passim, per magnum illud opus. Add. inprimis PISIDAE Carmen de *Opificio Mundi, v. 915. sqq.*

g) In *Amoenitatibus philolog. Med. Cap. II. pag. 46.* et *49.* vbi plerisque priscis Auctoribus allegatis aliquot etiam recentiores laudat, vt VOSSIVM, *de Idololat. L. III. Cap. 67.* POLYDOR. VIRGIL. PIER. VALERIAN. PROSPER. ALPIN. ROD. a CASTRO et IO. LANGIVM; quibus tamen longe plures addi possunt ac debent, veluti CASP. a REIES, *Elys. iucund. Quaest. Camp. Quaest. III, 6. pag. 53. sqq* AMBROS. PARAEVS, *Opp. Lib. I. de Animant. pag. 43.* RITTERSHVSIVS, ad OPPIANI *Cyneg Lib. II. pag. 64.* et ibid. passim in seqq. SIMON MAIOLVS, *Dier. Canicul. Tom I. Colloqu XX p. 229.* sqq. et T. V. *Coll. I. pag. 714.* IO. RVD. CAMERARIVS, *Memorab. Med. Cent. I. Cap. 5-16. Tom. I.* WILLIS, *de Anima Brut.* GASSENDVS, *Phys. Sect. III. Memb. post. Lib. VIII. Cap. 4.* PASCHIVS, *de Nouis Inuent. Cap. VI. pag. 402. sqq.* ROLFINC. *de Plantis, Lib. I. Cap. I.* GROTIVS, *de Veritat. Rel. Christ. Lib. I.* ex vers. OPITII *Metr. Tom. IV. Opp. Poet. p. 743.* sq. vbi vid. notas nostras: CONRINGIVS et BORRICHIVS, de *Med. Hermet.* DAN. CLERICVS, *Hist. Med. P. I. Lib. I. C. 18. pag. 53.* sq. BARCHVSEN, *Hist. Med. Dial. VI. pag. III.* CYPRIANVS, ad FRANZ. *de Animal. Hist. passim*, BOCHART. *Hieroz.* per totum opus, RENDTORFIVS, *in Not.* ad ANATOL. *de Antipath. et Sympath.* apud FABRIC. *Bibl. Graec. Lib. IV. Part. II. Cap. 29. pag 308.* sqq. copiose: MENAGIVS, ad DIOG. LAERT. *Lib. VIII. Segm. 30. pag. 366.* et quos ibi allegat Auctores plures: MOTH. VAYER. *Opp. Tom. VII. Cap. 22. pag. 199.* sqq. SYLV. BOCCON. *Obseruat. Curios. Phys. XX. pag. 431.* sqq. DERHAM, *Physico-Theol. Lib. IV. Cap. XI.* sqq. IENKIN. THOMASIVS, *de Anima Brutor. VIII, 4.* inprimis autem HIERON. RORARIVS, *Lib II. de Ratione Brutor.* et ibi in Not. Cl. RIBOVIVS, *pag. 279.* sqq. item in adiecta longa Differt. de Anima Brutorum, vt et PETR. BAYLIVS, *Dict. Hist. Crit.* Tit. RORARIVS, et, vt alios iam taceam, GESNERVS, ALDROVANDVS, RAIVS, SWAMMERDAM, et alii, qui, de Animalibus, scripserunt: quibus denique addas, si placet, Apologiam nostram pro HIPPOCRATE, *pag. 37.* sqq.

Reſtant nunc aliqua, his adiicienda, de ipſis diuerſis inſtrumentis et remediis, ad hanc ipſam Chirurgiae ſubtilioris partem rite tractandam, olim adhibitis, quorum iam quaedam ſupra, ab ipſis illis Medicis Graecis commemorata fuerunt. Sed ſuperſunt adhuc nonnulla, de quibus, Deo volente, proxima occaſione, diſtinctius agemus, haud neglectis ſimul iis, quae de ipſius oculorum ſcarificationis vſu et abuſu, monenda videbuntur.

Interim tamen paucis tantum hic monendum, iſtam quidem oculorum ſcarificationem, ceu operationem, ambigui admodum euentus, ingentis periculi, et acerrimi inprimis doloris pleniſſimam, a priſcis Medicis, ad conſilii inopiam demum redactis, in extremo tantum neceſſitatis caſu, tentatam fuiſſe, vbi ſcilicet diutius inveterata et pertinacius calloſa palpebrarum Trachomata omnem mitiorem et ſecuriorem medelam eluderent. Sic enim AETIVS, loco ſupra citato, prudenter monet: ἔϛι δὲ ἐπιβλαβὲς τὸ ἐπιχείρημα· ἐπιπλεῖον γὰρ ταῦτα ἐπαύξουσι, καὶ σκληρὰς τὰς οὐλὰς ἐπάγουσι, καὶ αἴτιοι συνεχῶν ῥευμάτων γίνονται, νυττομένων, (ſic enim omnino legendum pro vitioſe vulgato, κυττομένων,) ἀεὶ τῶν ὀφθαλμῶν, ἐκ τῶν ἐπιγιγνομένων σκληροτέρων οὐλῶν: *Eſt autem haec ipſa ſcarificationis oculariae methodus operatio admodum periculoſa et nociva: Iſta enim adhibita remedia, ferrum ſcilicet atque aſpera fici folia, ipſas palpebrarum aſpritudines adhuc magis augent, et duriores cicatrices inducunt, cauſſaeque demum fiunt perpetuarum fluxionum, dum nempe ſemper oculi ex ſuccedentibus durioribus cicatricibus, compunguntur.* A quo ſapientiſſimo conſilio etiam ipſe CORNELIVS CELSVS alienus non fuit: enarrata enim hac ipſa ſcarificandi oculos, ratione, mox, loco ſupra iam laudato, ſequentem cautionem ſaluberrimam addit: *Haec neque, niſi magna vetuſtaque aſpritudine, neque ſaepe, facienda ſunt.* Idem vero denique ipſe ſuadet GALENVS, vt ex loco ſuperius allegato, patet. Sed hac noſtra aetate, WOOLHOVSIVS, eiusque aſſeclae, priſcis illis Medicis probis et circumſpectis non prudentiores, ſed audaciores, ipſam hanc duriſſimam et moleſtiſſimam ſcarificandi methodum in omni fere oculorum inflammatione et lippitudine ſecure adhibendam eſſe feſtinanter nimis et in-

con-

considerate censuerunt, et quidem, quod omnium pessimum, instrumento quodam recens inuento; sed ad hoc ipsum officium praestandum, longe ineptissimo et incommodissimo, nempe ex acutissimis secalis glumis, ordine compositis, et in fasciculum, seu peniculum collectis ac colligatis, parato; quod palpebras radendo et cruentando, spicula illa subrilissima abrasa ipsis palpebris altius infigeret, ita, vt non solum vetus illa inflammatio non tolleretur; sed et noua insuper ipsa priore adhuc vehementior, eo ipso excitaretur. Adeo, vt plures aegrotorum, post intolerabiles paene dolores, febres, vigilias, imo et furores, ipsum tandem dulcissimum ante omnia, visum sic miserrime perdiderint, atque ita auxiliaris illa ὀφθαλμόξυσις, vt quidem falso credebatur, facta demum fuerit exitialis ὀφθαλμόσηψις, siue putrida oculorum corruptio. Vnde et paullo post factum, vt ista quidem per tales scopulas fatales ophthalmicas, methodus oculos scarificandi, a WOOLHOVSIO, infausto sidere, introducta vbique fere, a Medicis et Chirurgis, praesertim vero parisinis, propter atrocissima pericula exinde merito metuenda, penitus reiecta et damnata fuerit: sicut nosmet ipsi ibi frequentissime audiuimus, quum olim, ante hos triginta quasi annos, in Regia ista vrbe, siue rectius, splendidissimo elegantioris orbis compendio, magno cum studiorum fructu, nec minore animi voluptate, diutius moraremur. Tum vero crudelis huius asperique instrumenti Woolhusiani loco, acum potius adhibebant, in hunc quidem scarificationis vsum, concinne efformatam et apte accommodatam, quae nec tam longum saeuumque dolorem inferret, nec magnum adeo periculum induceret, et certius simul securiusque auxilium praestaret: de qua videndus quoque in Chirurgia HEISTERVS. Ceterum ex hoc ipso singulari WOOLHOVSII exemplo luculentius nunc patet, quanto iudicio, ingenio, attentione et eruditione opus sit, ad recte intelligendos et interpretandos veteres auctores medicos, praesertim graecos, ne ex sensu male percepto ingens damnum ac periculum redundet in ipsam Vitam, aut sanitatem humanam. Quod si enim ipse WOOLHOVSIVS rectius interpretatus fuisset obscurum illum HIPP. locum, e *Libro de Visu*, superiore

riore Exercitatione, accuratius a nobis explicatum; tum ſane nec carduum acutum ibi inveniſſet, nec ex iſto carduo, ad imitationem, ſuam poſtea efformaſſet ſcopulam ex ariſtarum ſpiculis acerrimis infeliciter paratam, ipſo illo carduo longe nocentiorem ac deteriorem, ſeu βλεφαρόξυστον illud nouum, quod tamen potius eſſet βλαβερόξυστον, vt ſic loqui liceat. Hoc igitur notabili triſtique exemplo moniti, Medicinae praeſertim Tirones nunc diſcant grammatica haec, aut philologica maiore in pretio habere, et nocturna diurnaque manu, exemplaria Veterum Medicorum graeca diligentius verſare. Ex his minimis enim, vt quibusdam, perperam licet, videtur, conſtant omnino maxima, et per verba prius recte intellecta, facilius certiusque poſtea pervenitur ad ipſa vera rectius intelligenda. Hinc perquam appoſite acuteque dixit ARISTIDES, *Serm. Sacr.* I. p. 278. *T.* I. οὐκ ἄρα πανταχοῦ τόγε μεῖζον αἱρετώτερον, ἀλλ᾽ ἔστι τὶς καὶ μικροῦ χάρις. *Et parvis gratia ineſt magna.*

EXERCITATIO OCTAVA.

DE

REMEDIIS VETERVM COSMETICIS EORVMQVE NOXIS.

Omnibus fere foeminis curam atque induſtriam in eo potiſſimum eſſe poſitam, ne formae ſuae decus ſingulari benignioris Naturae munere, ipſis conceſſum detrimenti quid capiat; tam notum cuiuis atque perſpectum eſſe arbitror, vt operam omnino luderem, ſi id quidem multis exemplis ac teſtimoniis, in Veterum monumentis vbique larga oppido copia obuiis, iam operoſe probare ſuſciperem, praeſertim, quum affatim illud doceat quotidiana experientia, adeo, vt in hunc vſque diem, veriſſimum ſit iſtud Ovidianum: *)

Eſt

*) *De medicamine Faciei*, Add. et *Lib.* III. *de Art. Am.* 199. ſqq. vbi plura, quae huc ſpectant: quae ſcite illuſtrat WEDELIVS, *Exercit. Medicophilol. Cent* I. *Dec.* VIII. *Exercit.* 9. *pag.* 64. ſqq. *Conf.* et *Cent.* II. *Dec.* V. *Exercit.* 5. *pag.* 27. ſqq.

Eſt etiam placuiſſe ſibi quotacumque voluptas:
Virginibus cordi grataque forma ſua eſt.

Non vero ipſis ſufficit, ſolam diligentiam in eo collocare, quo Naturae creatricis beneficio, ornatae appareant, ſed et bonis ſuis inemtis quaſi ac gratis conceſſis haud contentae, vlterius audacter progrediuntur, idque praecipue curant, vt artis adiutricis lenociniis adiectis, cultiores atque magis commundatae videantur. Quorſum omnino ſpectare arbitramur illud Vlpiani, [a]) *Eſt aliaqua Mulier ex ſomno ſtatim ornata; non tamen commundata.* Vbi male olim in quibusdam Codd. legebatur *commodata*, quod bene in *emundata*, mutabat maximus HVGO GROTIVS, [b]) melius vero in *commundata*, AEGIDIVS MENAGIVS, [c]) auctoritate praeſertim COLVMELLAE et Gloſſarum Veterum, inductus et adiutus, quibus CATONEM, IVLIVM OBSEQVENTEM, PETRONIVM, et alios addit NICOL. HEINSIVS: [d]) quae vox rarior et aliquanto infrequentior apud Veteres quidem Auctores, reddenda proinde etiam videtur CORNELIO CELSO noſtro, loco mox infra adſcribendo. [e]) Hoc igitur nimium et aſſiduum formae non ſolum conſeruandae, ſed et mutandae et augendae, ſtudium foeminarum, cultus ſui iuſto ſtudioſiorum, laudatus modo CORNELIVS CELSVS mitius increpat, vocando *ineptias*, his quidem verbis: [f]) *Pene ineptiae ſunt, curare varos, et lenticulas, et ephelidas:*

a) *L.* 25. §. 10. *ff. de auro, argent. mund. legat.*

b) In *Florum Sparſ. ad Ius Iuſtinian. p.* 188. Conf. Scip. Gentilis *Orig. ad pandect. pag.* 283.

c) In *Amoenitat. Iuris Ciuil. Cap.* 39. *pag.* 309.

d) In *Not. ad Petron. Cap.* 47. *pag.* 238. Edit. Burmann.

e) Libro nempe VI, *Cap.* 18. haec vulgo alias, apud Cornel. Celſum, leguntur: *Apud nos foediora verba, ne conſuetudine quidem aliqua verecundius loquentium, commendata ſunt.* Vbi quidem quibusdam legendum placet *accommodata*, vna cum Roberto Keuchenio, in Not. ad Serenum Samon. *pag.* 233. nobis contra, potius ſcribendum videtur: *commundata*, eleganti, niſi fallor, antitheſi, antecedentibus *foedioribus Verbis*, iuſte oppoſita. Licet, quod haud prorſus negauerim, etiam vulgatum illud *commendata*, tolerari poſſe videatur. Certe melius et accommodatius hoc quidem eſt, quam iſtud, quod vulgo ſubſtituunt, *accommodata*. Sed haec obiter, et in tranſcurſu.

f) *Lib.* VI. *Cap.* 5.

das: Sed eripi tamen foeminis cura cultus sui non potest. Seuerius autem atque vehementius idem castigat Tertullianus, *peccata*, immo *artes diabolicas*, dicendo, sequenti quidem sermone, grauitatis ac veritatis plenissimo: g) *Non supergrediendum vltra, quam simplices et sufficientes munditiae concupiscunt, vltra, quam Deo placet. In illum enim delinquunt, quae cutem medicamentis vrgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt.* *) *Displicet nimirum illis plastica Dei: in ipsis se nimirum arguunt, et reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim, cum emendant, cum adiiciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta: Is est diabolus.* Verum vid. ibi reliqua, bene quidem longa, sed notatu et lectu longe dignissima: qualia et ista sunt in superioribus: h) Vbi pari modo praeter alia plura, acrius damnat, ceu artes a malo et immundo daemone edoctas et productas, *Medicamenta ex fuco, quibus genae colorantur, et illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* Sic enim ibi legendum, nempe *genae*, et non *lanae*, quod vulgo circumfertur, et ipse sensus manifesto docet, qui nullum hic *lanis* locum concedit, et locus praeterea alter, modo adductus, liquidius confirmat, qui pariter exhibet: *genas rubore maculant*, quod idem nempe est, quam quod hic dicitur: *fuco, quo genae colorantur.* Quomodo et loquutus est CYPRIANVS, i) *Genas mendacio ruboris inficere, oculos circumducto nigrore fucare.* Vtrumque vero sic graece exprimit CLEMENS ALEX. k) τὰς παρειὰς φυκοῦν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφεσθαι, ἢ στιβίζεσθαι, et HERODIANVS *Libr.* V. *Cap.* VI. ὑπογραφόμενος τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς παρειὰς ἐρυθραίνων. Ceterum de hoc veterum fuco, et nigro praesertim pulvere, ex antimo-

g) *Lib.* II. de *Cultu Foeminarum*, *Cap.* 5. *pag.* 156. Edit. Rigalt.

*) *Collinunt*, hic legunt ELMENHORST ad ARNOB. *Lib.* II. *pag.* 89. HERALDVS, ad MARTIAL. *Lib.* IX. *pag.* 179. et RIGALTIVS ad ARTEMIDOR. *pag.* 12. qui tamen ad ipsum Tertull. rectius defendit illud *porrigunt*, respicit enim ad *platyophthalmon*, de quo PLINIVS, XXXIII, vbi vid. HARDVIN. et DIOSCORID. *Lib.* V. *Cap.* 99. item GEOFFROY, *Tom.* I. *de Mat. Med. pag.* 219. et denique *Obseruat Crit. nostr.* mox citand. *pag.* 400.

h) *Lib.* I. *de Cultu Foemin. Cap.* 2. *pag.* 150.

i) *De disciplin. Virgin. pag.* 210.

k) *Lib.* III. *paedagog. Cap.* 2. *pag.* 217. add. *Lib.* II. *Cap.* 10. *pag.* 199.

timonio, seu stibio potissimum parato, alibi iam distinctius et copiosius a nobis actum fuit, l) quare ea hic incassum repetere, nec libet propter brevitatis studium, nec licet, propter angustum spatium. Cum Tertulliano autem, in easdem iustas acerbasque querelas effunduntur quoque splendidissima illa Veteris Ecclesiae lumina et decora, CLEMENS ALEXANDRINVS, m) BASILIVS MAGNVS, n) IOANNES CHRYSOSTOMVS, o) GREGORIVS NAZIAN. p) ISIDORVS PELVSIOTA, q) item PHILO IVDAEVS, r) ARNOBIVS, s) CYPRIANVS, t) HIERONYMVS, u) et alii, qui omnes vbique occasionem avide arripiunt, immundum illum Mulierum lasciuiorum mundum fucumque ementitum et adscititium acrius insectandi, damnaque ex hoc inuenusto venustatis studio, animae iuxta corporique et sanitati certissime metuenda, fideliter atque luculenter demonstrandi: quorum vero copiosiores locos hanc in rem plane eximios exserto quasi digito, indicasse iam sufficiat, quoniam eos integros exscribere nunc nec licet, nec vacat.

Ingenue ergo fatendum est, damnosas illas artes ad formam naturalem emendatiorem et cultiorem reddendam, a male solertibus ar-

 tificibus

l) Vid. si placet, *Obseruat. Crit. Lib.* IV. *Cap.* 15. *pag.* 400. sqq. vbi et cumplures Auctores alios simul laudauimus, qui de eodem argumento accuratius tractarunt, quos inter facile eminent GROTIVS, SALMASIVS, BOCHARTVS, CASAVBONVS, HERALDVS, le MOYNE, SPANHEMIVS, PRICAEVS, GONSALIVS, WEDELIVS, et pauci alii.

m) *Paedagog. Lib.* II. *Cap.* 12. et *Lib.* III. *Cap.* 2. sqq. et alibi.

n) *Tom.* II. *Opp. pag.* 114. et *Tom.* III. *pag.* 575. et multis aliis locis passim; praecipue Tractatu, *de Vera Virginitate.* Conf. inprimis ibi FRONTONIS DVCAEI *Not. pag.* 92.

o) *Tom.* I. *in Vet. Test. pag.* 498. *Tom.* II. *pag.* 863. *Tom.* III. *pag.* 846. *Tom.* IV. *pag.* 80. et *pag.* 335. *Tom.* VI. *pag.* 640. et *Tom.* I. *in Nou. Test. pag.* 366. *Tom.* V. *pag.* 1034. it. *Tom.* VI. *pag.* 252. etc. etc.

p) *Orat.* XI. *pag.* 182. *Tom.* I. *Opp.* et alibi passim.

q) *Lib.* I. *Epist.* 461. *pag.* 18. et *Lib.* II. *Epist.* 53. *pag.* 198.

r) *Lib. de mercede meretr. non recip. pag.* 667. *Lib. de Vita Contempl. pag.* 693. *de Ioseph*, et *de Special. Legg. pag.* 604.

s) *Lib.* II. *aduersus Gentes*, *pag.* 72. vbi vid. ELMENHORST. *pag.* 88. 89. it. HERALD. *pag.* 102. quem et vid. ad MARTIAL. *pag.* 179. sqq.

t) *Lib. de Habitu*, *seu disciplin. Virginum*, *pag.* 210.

u) *De Viduitate*, *ad Furiam*, *Tom.* I. *Epist.* X. *Cap.* II. et ad MARCELL. *Epist.* XXIII. *pag.* 66.

tificibus infeliciter excogitatas, cum ſanctiſſimis illis viris, ad grauiſſima potius peccata quin etiam abominanda prorſus flagitia referendas eſſe, quam quidem cum CELSO, ad meras leues ineptias; praeſertim, ſi iſtae offuciae ſanitati, immo et Vitae adeo ipſi officiunt, quod ſaepe numero accidiſſe compertum eſt. Audiamus igitur, ſi placet, hanc in rem, CLEMENTEM ALEXANDRINVM grauiſſime declamantem. Cuius ipſum locum, etſi verboſum et copioſum, integrum tamen huc transferre haud pigrabor, inprimis quum triplici naevo inſigni contaminatus mihi videatur, quem, ſi per exiguas quidem ingenii vires, licuerit, emaculare conabor. Sic autem ille habet: w) ἅμα γȣ̃ν ἡμέρᾳ σπαρασσόμεναι, καὶ ἀποστεινόμεναι, καὶ φυράμασί τισι καταπλαττόμεναι, ψύχȣσι μὲν τὸν χρῶτα, ὀρύττȣσι δὲ τὴν σάρκα τοῖς φαρμάκοις, καὶ τῇ περιεργίᾳ τῶν ῥυμμάτων τὸ οἰκεῖον μαραίνȣσι ἄνθος. διὰ τȣ̃τό τοι ὠχραὶ μὲν ἐκ καταπλασμάτων καταφαίνονται, εὐάλωτοι δὲ ὑπὸ νόσων γίνονται, τακερὰν ἤδη τὴν σάρκα φαρμάκοις, τὴν ἐσκιαγραφημένην ἔχȣσαι. τῶν ἀνθρώπων τὸν δημιȣργὸν ἀτιμάζȣσαι, ὡς ȣ̓ κατ᾽ ἀξίαν δεδωρημένον τὸ κάλλος. Quae ita quidem vulgo Latine redduntur: *Summo itaque mane, foeminae, ſe lacerantes et extendentes, variisque ac confuſis mixtionibus effingentes, viuum quidem cutis-colorem refrigerant, carnem autem Venenis effodiunt, curioſisque ac ſuperfluis abſterſionibus proprium decoris florem corrumpunt, et marcidum efficiunt. Quocirca a Cataplasmatibus quidem pallidae cernuntur, a morbis autem facile arripiuntur, vt quae adumbratam carnem venenis iam liquefactam habeant: Hominum opificem contumelia afficientes, tanquam, qui pro meritis, non fuerit eis largitus pulchritudinem.* Sed, vt iam ſtudio, plura alia praeteream, in hac quidem Verſione iure notanda, ego potiſſimum hic nunc quaero, quid ſit illud, ψύχȣσι τὸν χρῶτα; *Cutis colorem refrigerant?* deinde, quid ſibi iſta velint: ὀρύττȣσι τὴν σάρκα τοῖς φαρμάκοις; *Carnem venenis effodiunt?* et quis ex hoc profundo et abdito loco, perſpicuam quaſi lucem effodiat? et denique, quid iſtud ſignificet: τακερὰν ἤδη τὴν σάρκα φαρμάκοις, τὴν ἐσκιαγραφημένην; *adumbratam carnem, venenis iam liquefactam?* Certae non vmbrae ſolum hic mihi

w) *Lib.* III. *paedagog. Cap.* 2. *pag.* 217.

mihi videntur; sed merae potius densaeque tenebrae, vbique offusae. Quare mea quidem opinione, in priore loco, pro illis vulgatis ψύχεσι τὸν χρῶτα, melius substituendum ψήχεσι, h. e. *abstergunt, perfricant cutem*, vid. HESYCH. SVIDAS et alii. Altero vero loco, pro istis olim editis: ὀρύττεσι τὴν σάρκα φαρμάκοις, hinc rectius forsan legendum fuerit: Θρύπτεσι τὴν σάρκα, hoc est: *tundunt, comminuunt, atterunt, frangunt, seu emolliunt nimis carnem medicaminibus et pigmentis cosmeticis*, sensu, nisi fallor, antecedentibus ψήχεσι χρῶτα, admodum conuenienti ac perspicuo. φάρμακα enim proprie θρύπτειν dicuntur σώματα, σάρκας et νόσες, unde et λιθοθρυπτικὰ, seu τὰ λίθων θρυπτικὰ, aliaque id genus remedia θρυπτικὰ nota sunt ex Lexicis medicis, et aliunde. Quam facile autem nimia festinatione et incuria supinorum scribarum, ex Θρύπτεσι, fieri potuerit ὀρύττεσι, iam alibi, similibus exemplis a nobis dudum liquido demonstratum fuit. x) In tertio denique loco, pro obscuris istis: τὴν σάρκα ἐσκιαγραφημένην ἔχεσαι, vnius tantum literae mutatione, certius et elegantius nobis scribendum videtur: τὴν ἐσκιατραφημένην, h. e. *carnem habentes natura iam in vmbra educatam, desidem, mollem et effoeminatam; per adhibita vero medicamina faciei, adhuc molliorem et effoeminatiorem redditam.* y) Verissime igitur hic pronunciauit CLEMENS ALEXAN-

 DRI-

x) *Lib.* IV. *Obseruat. Crit. Cap.* 18. *p.* 416. vbi ostendimus, facillimum esse lapsum inter literas, forma fere sibi similes, nempe τὸ Θ. et τὸ Ο. quod et dudum obseruauit GALENVS, *Lib.* VII. *de Comp. Med. per Gen. Cap.* IX. *pag.* 846. *Tom.* XIII. et *Comment.* in *Lib.* II. *Epid. Hipp. pag.* 141. et in *Lib.* VI. *Epid. pag.* 354. *Tom.* IX. atque ex ipso CLERICVS, *Art. Crit. P.* III. *S.* I. *Cap.* 9. *pag.* 117. sq. Vid. et STEPH. le MOYNE *Obss. ad Var. Sac. pag* 129. IS. VOSSIVS ad MELAE *Lib.* II. *Cap.* 2. *pag* 436. et LAMB. BOS. *Obss. Crit. Miscell. Cap.* 48. *pag.* 190. vt alios taceam. Ceterum ista consimilium fere literarum Θ. et Ο. confusio innumeros paene errores apud solum HESYCHIVM, peperit: vt alibi, liquidissime et copiosissime docebimus. Quum vero vulgatum istud ὀρύττεσι, sensum etiam satis commodum et emphaticum efficiat; inde forsan in eo nihil fuerit mutandum.

y) Scilicet ἐσκιατραφημέναι, seu, quod idem, ἐσκιατραφηκυῖαι, vocantur contemtim, frequentissime, foeminae delicatiores, *in vmbra quasi enutritae, domisedae, et inerti otio ac mollitie paene diffluentes*: illisque inde σκιατραφία, in opprobrium veluti, vbique obiicitur. Ita DIO CHRYSOST. *Orat.* 69. *pag.* 622. ἐσκιατραφημένος, καὶ ἁπαλὸς, καὶ μάλιστα ἐοικὼς ταῖς γυναιξίν. PLVTARCHVS, *in Lycurg.* pag.

DRINVS: Τὰς γυναῖκας φιλοκόσμους καὶ φιλοκόμμους γίνεσθαι εὐαλώτους ὑπὸ τῶν νόσων, *Foeminas cultus sui conseruandi et augendi amantiores et studiosiores facilius corripi a multis magnisque ac grauibus morbis.* Quod tanto certius euenit, quo magis suspecta, periculosa et venenatae sunt indolis illa ipsa medicamina, quibus ad infucandam, aut incrustandam faciem, illae utuntur, aut rectius, abutuntur, qualia praesertim esse constat omnia saturnina, seu ex plumbo praeparata, nempe Cerussam, Minium, Lithargyrium, et ipsum denique illud sic dictum Saturni Saccharum, tam dulci blandoque nomine vix dignum. Quorum in censum atrum ea quoque merito veniunt, quae ex doloso Mercurio, aut ipso diro Arsenico, conficiuntur Remedia, ad formam conseruandam, immo verius perdendam, et vitam ipsam rapiendam, infeliciter reperta. Quod perquam multis funestis exemplis passim vberius docetur ab illis praesertim Medicis, qui de vsu et abusu Remediorum cosmeticorum, seu commoticorum, data opera tractarunt. z) Qui tanto maiorem fidem et graviorem auctoritatem merito

pag. 47. scite coniunxit θρύψιν, καὶ σκιατραφίαν, καὶ θηλύτητα πᾶσαν: qui et alibi dixit: σωμάτων λευκῶν, καὶ ἁπαλῶν, διὰ τὰς σκιατραφίας, quale et legitur *Lib. de Liber. Educat.* Conf. et huc POLLVX, *Lib.* IV. *Cap.* 19. *pag* 437. et *Lib.* VI. *Cap.* 40. *pag.* 670. sqq. vbi vid. *Comment.* praesertim vero BVDAEVS, *Comment. Ling. Gr. pag.* 1029. et ex quo sua hausit, HENR. STEPHANVS. Plures vero adhuc praetermisere isti Auctores Veterum locos, hic strictim saltim indicandos, v. g. LVCIAN. *de Gymnas. pag.* 287. et *pag.* 290. MAX. TYR. *Diss.* XII. *pag.* 121. HERODOT. *Lib.* III. *pag.* 163. GALEN. *Tom.* VI. *pag.* 47. IO. CHRYS. *Tom.* VI. *in Nov. Test. pag.* 939. *Florileg. Stob. Grot. pag.* 393. et DIODOR. SIC. *Tom.* II. *pag.* 452. vbi vid. Celeb. WESSELING. Sed haec iam sufficiant. Ex quibus nunc spero, apparebit, certissimam paene esse nostram Emendationem ἐσκιατραφημένην. Quam vero an forsan cum reliquis, iam praeoccupauerit POTERIVS, me plane fugit, quoniam splenda ipsius Editio CLEM. ALEX. mihi non est ad manus.

z) Veluti VILLANOVANVS, NICOLAVS, TROTVLA, KRAVT, FALLOPIVS et MERCVRIALIS, *de Decoratione*, IO. STEPHANVS, *de Cosmetice*, RONDELETIVS et FORESTVS, *de Fucis*; VARIGNANA, *de faciei et Corporis Mundificationibus*, BESARDVS et ZIMARA, *de eximia forma Corpori humano inducenda*, MINADOVS, *de Corporis humani turpitudinibus cognoscendis et curandis*, et tandem, vt finem faciam, HAFENREFFERVS, *de Cutis Affectibus.* Quibus omnibus et aetate, et labore improbo, huic vanitati impenso, longe prior est CRITO, qui quatuor olim grandes *Cosmeticorum* euulgauit Libros;

merito accipiunt a binis praecipue Medicis longe per orbem Celeberrimis, IOANNE inquam LANGIO, atque HERMANNO BOERHAAVIO, quorum teſtimonia ipſa fida experientia confirmata, tanto maiorem attentionem et exiſtimationem merentur. Sic autem prior LANGIVS: a) *Aliptae Hiſpanorum et Italorum ex Hydrargyro, Ceruſſa, et Minio, vna maceratis, fucum praeparant; quocum Mulieres genas quacunque inunxerint, his dentes brevi marceſcunt, anhelitus male olet, fronteque corrugata, oculi caligant, et ſeneſcentes, aſthmate pereunt.* Sed nunc audiamus etiam BOERHAAVIVM, ita grauiſſime monentem: b) *Acetum plumbi, ſi dilutum, cuti affricatur, puſtulas, rubedines, eryſipelas, phlegmonas, multum levat, cuti candorem, nitoremque conciliat; ſed corpori nocet, tandem in phthiſin deducendo: vt triſtiſſimis ſaepe conſtitit exemplis: Sex enim, vel ſeptem nobiles puellas, huius fuci vſu, mortuas novi.* Haec ille. Praeſertim vero huc diligenter inſeri, et plus ſemel attente legi meretur ſtupenda illa Hiſtoria, de Muliere quadam curae cultus ſui nimis dedita, et inde graui a deo, poena manifeſtiſſime punita; quam facundiſſime et nitidiſſime, pro more ſuo, ita enarrat IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, iſte veteris eloquentiae romanae nouus imitator feliciſſimus et ſtili vere latini artifex potentiſſimus, in praeſtantiſſimo opere, *de Virtutum et Vitiorum Exemplis*, notatu digniſſimis, *ſect.* CLXXII. *pag.* 335. *Sed non eſt paſſus Deus, exquiſitam illam, atque inutilem, in tuenda augendaque forma, mulieris ſedulitatem, cum tanta diuinae ipſius Maieſtatis contumelia, atque hominum offenſione, coniunctam, inultam abire; neque diem ſupplicio diſtulit: Sed repente indidem, vbi illa peccabat, graues ab ea poenas ac iuſtas expetiit. Nam primum caput illi praeter modum, intumuit, cuius capillis, Coſmianis, vt veteres loquebantur, medicamentis, aureum fulgorem conabatur inducere, quosque tanta*

Libros; ſed hodie exigua certe vtilitatis publicae iactura, deperditos: quorum tamen ſingula capita diligenter recenſuit GALENVS, paſſimque ampla ſatis ex iisdem dedit excerpta, *Lib.* I. *de Comp. Med. ſecund. Loc. Cap.* 3. ſqq. *pag.* 341. ſqq. *Tom.* XIII.

a) *Epiſt. Med.* 43. *Lib.* I. *pag.* 194.

b) *Element. Chem. Tom.* II. *Part.* III. *Proc.* 172. *pag.* 396. Add. B. SCHVLZII *praelect. in Diſpenſat. Brand. pag.* 4. et *pag.* 182.

ta disponebat arte, vt partim, sicut nunc mos est, ad genas fluere fineret, partim eleganti modo deuinctos, vertici daret, vt inde inextricabiles incautis spectantium oculis laqueos intexeret: Tum malae, quas cerussa purpurissoque non infecerat; sed incrustauerat, tam foedum, tam atrum nigrorem contraxerant, vt horrorem iis, qui aderant, incuteret: oculi ita extabant, prominebantque, vt paene e suis sedibus discederent; linguam, foras eiectam, crebris sibi morsibus dilacerabat; et in hoc oris habitu, animam edidit. Singulare Mulieribus illis exemplum, quibus carior est forma corporis, quam animi, pulcritudinis, quam pudicitiae. Hactenus quidem scriptor iste elegantissimus, siue rectius, artificiosissimus pictor, ERYTHRAEVS, cuius spirantem hanc ac veluti animatam Tabulam vtinam omnes molles, lasciuae et formae suae conseruandae, aut amplificandae iusto studiosiores Mulieres, ad cauendum, aut resipiscendum, per omnem suam vitam, quam attentissime intuerentur. Quibus denique, si placet, illud nouissimum exemplum perquam flebile, adiungatur, quod alibi nuper produximus, de matrona illustri non minus stirpe, quam ingenio ac doctrina, quae properantibus in perniciem fatis, ex improuido eiusmodi virosae Aquae cosmeticae vsu, subito visum perdidit, et paulo post, vitam ipsam, vt duplici sic quasi morte, miserrime periisse videretur. c) Quantum vero damni periculique sanitati et vitae saepius ipsi immineat a sola varia Capillorum lotura ac tinctura, iam dudum grauiter gnauiterque monuit TERTVLLIANVS, his nempe verbis, pio quidem zelo plenissimis: d) *Atquin et detrimentum crinibus medicaminum vis inurit, et cerebro perniciem etiam cuiuslibet sinceri humoris assiduitas reseruat, tum solis animando simul et siccando capillo, exoptabilis ardor nocet. Quis decor cum iniuria? quae cum immunditiis pulchritudo?* Cui Theologo Africano suffragatur Medicus Africanus, CAELIVS nempe AVRELIANVS, parcioribus quidem verbis, pon-

dere

c) Vid. si lubet, *Dissertat.* nostr. *de paradoxi Hippocrat. Veritate etc.* §. X. *pag.* 10. Simile autem fere exemplum funestum obseruauit B. PLATNERVS, in progr. *de pallore, per aduersam Valetudinem quaesito*, *pag.* 8. vbi plura, quae huc spectant.

d) *Lib.* II. *de Cultu Foeminar. Cap.* 6. *pag.* 156. Add. CLEM. ALEX. *Lib.* III. *Paedog. Cap.* II. *pag.* 248. Vid. et HADRIAN. IVNII *Comment. de Coma, Cap.* 7. fuse.

dere vero haud carentibus: [e]) *Cephalaea vehementius foeminas tenet, ob diligentiam capillorum.* Sed longe atrociora mala ex hoc insano fingendorum et pingendorum crinium studio iure metuenda fusius notauit GALENVS, et quidem e sua experientia, cuius ipsa verba, etsi copiosa, operae tamen omnino videtur pretium, hic infra, integra adscribere: [f]) Ὀυ μόνον ἐν κινδύνῳ γενομένας οἶδα πολλάκις γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ ἀποθανέσας ἐκ τε καταψυχθῆναι τὴν κεφαλὴν ὑπὸ τῶν τοιέτων φαρμάκων. ἡ βλάβη δὲ αὐταῖς μάλιςα γίγνεται, ποτὲ μὲν εἰς ἀποπληξίαν, ἢ ἐπιληψίαν, ἢ καταφορὰν, ἢ κάρον, ἢ τὴν καλεμένην κατάληψιν ἐμπιπτέσαις. ἔςι δ' ὅτε κατάρροις ἁλισκομέναις δισλύτοις, ὡς φθάσαι τὸν πνεύμονα παθεῖν, καὶ φθόην ἐξ αὐτῶν ἀκολεθῆσαι, κ. τ. λ. hoc est: *Non solum in periculo versatas saepe scio foeminas; sed et mortuas, ex perfrigeratione capitis, per huiusmodi pharmaca, inducta. Laesio autem eis maxime accidit, aliquando quidem in stuporem attonitum, aut comitialem, aut veternum, aut soporem profundiorem, aut catochen delabentibus: Aliquando vero destillationibus solutu difficilibus capiuntur, vt, antequam soluantur, pulmones male habere incipiant, exindeque tabes consequatur.* Hactenus quidem GALENVS. Cuius verissimum hoc effatum tristissimo exemplo, modo producto, inter mille alia, abunde confirmauit laudatus supra politissimus ERYTHRAEVS, qui et in eodem

e) *Lib.* I. *de Morb. Chron. Cap.* I. *pag.* 269.

f) *De Composit. Medicam. secundum Loc. Lib.* I. *Cap.* 3. *pag.* 340. *Tom.* XIII. *Opp.* per CHARTER. Ad quam noxiam capillorum curam ac loturam etiam respexisse videtur ACHMET. *Oneirocrit. Cap.* XXXVIII. *pag.* 30. εἰ τίς ἴδῃ, ὅτι ἐκ τῆς βαφῆς ἐβλάβησαν αἱ τρίχες αὐτε, κὰ̀ ἔτος εἰς ἐρημίαν τε πλέτε αὐτε κὰ̀ θλίψιν μεγάλην ἐλεύσεται: *Si quis viderit, pilos suos per tincturam, laesos ac corruptos fuisse; is opum suarum desolationem, magnamque calamitatem patietur.* Vbi male vulgo legitur ἑρμηνείαν, pro ἐρημίαν, quod vnice nempe verum. Sicvt et pari vitiosa per mutatione, in nonnullis vetustis STRABONIS exemplaribus, *Lib.* XVI. deprehenditur: ἑρμηνεία μεγάλη, ἡ μεγάλη πόλις, nempe pro ἐρημία. Liceat vero iam hac ipsa commoda occasione, grauiorem adhuc mendam facile tollere ex eodem ACHMETE, *Cap.* CLXX. *pag.* 148. vbi sic vulgo legitur: ἐάν τις εἶδε τὲς ἀςέρας ἐν ἀληθέσι, ἤτοι ἐν τύπῳ γραμμάτων, et ita male vertitur: *Si quis videat sidera per res veras et existentes, puta in figura literarum.* Sed falsae omnino hic sunt res istae verae: Legendum enim haud dubie: ἐν ἄλλῃ θέσει, *in alia et insolita positione, veluti literarum.* De quo alibi plura. Sed haec obiter.

eodem elegantiſſimo Libello, *ſect.* XXXVIII. *pag.* 63. de alia libidinoſa et impudica foemina hoc refert. *Illa morbo capitis, ex medicamento, quo fucatum capillis nitorem inducebat, contracto, in ipſo aetatis flore deceſſit.*

Sed vnicum hic adhuc addam Remedium Coſmeticum, Chirurgicum quaſi, vt ita dicam, pauciſſimis quidem cognitum, ſed ſaeuum, crudele ac deteſtabile prorſus, hincque vix habiturum apud lectores fidem. Solebant ſcilicet olim prouectioris iam aetatis puellae, marceſcente ſenſim nitidioris formae flore, truculentas manus in teneram ſuam faciem armare, atque variis adhibitis artibus ac cataplaſmatis, veterem ipſi pellem detrahere, quo noua et iuuenilior Cutis ſuccreſceret, quae praeteritos quidem annos velaret, reductum vero noua quaſi vernatione, aetatis amoenioris florem callide mentiretur; Veluti

Anguibus exuitur tenui cum pelle, vetuſtas.

Fidem vero huius incredibilis fere inſaniae facit potiſſimum TIBVLLVS, cuius en ipſa verba, notatu ſane digna, g)

Tollere tunc cura eſt, albos a ſtirpe capillos,
Et Faciem, demta pelle, referre nouam.

Putabam, inquit ibi, mirabundus quaſi, maximus IOSEPHVS SCALIGER, *noſtro tempore, tantum hoc incepiſſe. Sed, quantum video, non minus illae veteres lupae inſaniebant; quam hae noſtrae aetatis.* h) Idem plane, vt ingenue fatear, tunc mihi accidit, quum primum hos ipſos ſingulares verſus Tibullianos legerem: Omnino enim putabam, illos non tam proprie et ſecundum ipſa nuda verba, quam potius, poetice, aut allegorice, eſſe intelligendos; donec Vir quidam et natalium ſplendore, et ampliſſimorum munerum dignitate, et ſumma denique eruditione illuſtriſſimus, iam ante complures annos, coelitibus adſcriptus, mihi ſerio affirmaret, quum forte de vero huius ipſius loci

ſenſu,

g) *Lib.* I. *Eleg.* IX. 45.

h) In *Caſtigat. in* TIBVLLVM, *pag.* 148. vbi vid. et alios etſi paucos, recentiores Interpretes. Nihil tamen hic obſeruauit cl. HEYNE, amicus noſter clariſſimus, in nouiſſima ſua ſuauiſſimi huius poetae Editione, multo magnoque labore curata.

ſenſu, ſermo incidiſſet, ſeſe quondam in ipſa ſua familia, nobilem habuiſſe virginem, quae iisdem quaſi furiis exagitata, idem crudele facinus in ſe tentaſſet, et vix praeſentiſſimum Vitae periculum ſalua effugiſſet, niſi aſſidua ſolertiorum Medicorum cura atque induſtria ſero tandem ipſam a proximo rapacis leti limine reuocaſſet. Addebat praeterea, in Italia praeſertim, hanc quidem cruentam inſaniam frequentius regnare, aut rectius loquendo, impunius ſaeuire, inter puellas publicati maxime pudoris, quae crudeliſſimo hoc et ancipiti remedio, veterem quaſi pellem rugasque ſeniles exuerent, quo renato veluti prioris iuuentae flore, ex impermiſſis gaudiis ſic diutius captare poſſent ſordidum et inhoneſtum lucrum a pretioſis ſuis dedecorum emtoribus, vt nempe poëta lepidiſſime de re turpiſſima loquitur. Quorſum et nonnihil pertinet Caſus ille Tragico-Comicus, vt ſic loquar, relatus a VITO RIEDLINO, *Curar. medicar. Obſ.* 745. *Cent.* VIII. *pag.* 464. de quadam nempe Ancilla, formae ſuae ſat iam venuſtae, per remedia coſmetica, adhuc tamen magis augendae, iuſto ſtudioſiore, quae loco conſuetae ſibi aquae coſmeticae mitioris, aquam ſic dictam fortem, a iuuene nequam, illi clanculum ſubſtitutam, temere arripiendo, totamque faciem eadem lauando, inter ſaeuiſſimos certe dolores et ardores, eroſionesque, veterem quidem cuticulam perdidit; ſed felici veluti ac lucroſa iactura, nouam plane, illa ipſa longe teneriorem ac nitidiorem ſenſim recuperauit, adeo, vt ille quidem nebulo et ſceleris artifex poſtea, magnam potius ab ea gratiam ex hac fauſta fraude, inierit. Magis tamen violentum ac periculoſum Coſmeticum Matronae faciei foediſſimis puſtulis ardentibus vndiquaquae obſitae, inito conſilio, applicandum cenſuerunt magni illi Medici, HOLLERIVS, PARAEVS, aliique, imponendo nempe ipſi emplaſtrum ex cantharidibus paratum: vnde quidem diriſſima mox et ipſum interitum minitantia ſubſequuta ſunt ſymptomata; quibus tamen per idonea remedia, feliciter ſedatis, et effuſa interim ſimul eruptis totius faciei exulceratae veſicis, ingenti ſaniei purulentae copia, omnis illa inſanabilis prius deformitas in perpetuum euanuit, faciesque ipſa noua, quaſi luna renata, longe purius pulchriusque enituit, adeo, vt et opu-

lentum ſponſum eadem alliceret, felixque coniugium iniret. Vid. PARAEI *Opp. Lib.* XX. *cap.* 28. *pag.* 593. et FREIND *Comment.* 9. *in Hipp. Epid. p.* 159.

Sed nolo iam plura de fuco, ab omni ſcil. mendaci fuco alieniſſimus. Nam, vt cum PRVDENTIO, *Hamartigen.* 273. *ſeqq.* tandem finiam,

Taedet ſacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quae plaſmata fuco
Inficiunt, vt pigmentis cutis inlita perdat
Quod fuerat, falſo non agnoſcenda colore.

EXERCITATIO NONA.

IN

DIFFICILEM PLINII LOCVM

LIB. VII. CAP. 50.

DE

MORBO PER SAPIENTIAM MORI.

Peroſque Mortalium per Moriam mori, ſiue per ſtultitiam ſuam, in frangendis perdendisque animi et corporis viribus, ſubinde commiſſam, grauiſſimos ſibi morbos contrahere, mortesque ſubitas ante diem, arceſſere, ita, vt iſta conſueta ſtultitia, non tam Coelum ipſum, quod olim notabat poëta, quam orcum potius atque ſepulchrum, petere videantur: id adeo vſque frequenti conſtantique experientia, ab omni quidem aeuo, vbiuis confirmatum eſſe arbitror, vt nemo forſan reperiatur, qui de tam explorata ac manifeſta veritate vel minimum dubitare audeat. Inde igitur mirum ſemper, immo paene morum, viſum fuit eruditis Viris quam plurimis, qui PLINIVS a) ſenſu prorſus contrario, in hunc quidem modum, ſcribere olim potuerit: *Atque etiam Morbus eſt aliquis per Sapientiam mori.* Hinc neſcio quis ſapientiae, aut alius certe morbus illorum mentes inuaſit, vt in hoc quidem

a) *Lib. VII. Cap.* 50.

dem *Sapientiae Morbo* explicando, acerrimas inter ſeſe lites agitarent et infeſtis quaſi ſignis concurrerent, ac ſi de ipſa Sapientiae arce aut occupanda, aut defendenda, pugnandum eſſet. *) Quorum multas diverſas de hoc loco, ſententias operoſe produxit, ac acute diiudicauit CASP. A REIES, b) ipſe ſimul diligens Pliniani huius oraculi obſcurioris Indagator et interpres: et poſt eum, vt iam monui, WALDSCHMIDIVS, plures autem adhuc collegit ANDR. SCHOTTVS, c) quas inter tamen, vt ingenue fatear, multae occurrunt, quae ab ipſa ſapientia minime dictatae videntur; quorſum et iſta pertinet, quae a DAN. HEINSIO prolata potius, quam probata fuit, *): neque ipſe SCHOTTVS hic meliorem elegit partem, quam ſequeretur. Quod nec praeſtitit ex eadem ſocietate, ſodalis, IO. HARDVINVS, d) licet ibi nouam minusque aſtutam, vt ipſe ait, interpretationem ſeſe inueniſſe ac tradidiſſe glorietur, quod ipſi quidem ambabus, quod dicitur, largimur; quoniam illa omnino minus aſtuta eſt. Sapientius vero atque felicius de hoc ſapientiae morbo, olim inter ſeſe diſputarunt praeſtantiſſimi Viri IO. BEVEROVICIVS, e) et CLAVD. SALMASIVS, f) praeeuntibus nempe lucidamque facem praeferentibus ipſis maximis quondam ingeniis, IO. DALECHAMPIO, g) IOSEPHO SCALIGERO, h) HIERON. MERCVRIALI, i) aliisque nonnullis. Quibus omnibus nouiſſime acceſſit Cel. HEVMANNVS, qui relictis

*) Conf. huc inprimis WILHELM HVLDERICI WALDSCHMIDII, *Diſquiſitio Academ. de hoc ipſo* PLINII *loco*, Kiliae, 1703. vbi omnes fere diſcrepantes inter ſeſe eruditorum variorum circa hunc locum controuerſum, ſententias diligenter recenſet, et accurate examinat. Add. FRANCK. *de* FRANCKENAV *Satyr. Med.* IX. *p.* 174.

b) In *Elyſio iucundar. Quaeſtion. Campo, Quaeſt.* C. *p.* 1236. *ſqq.*

c) *Obſeruat. Human. Lib.* V. *Cap.* X. *pag.* 217. *ſq.*

*) Cuius vid. de hoc PLINII loco, *Epiſtola*, in *Epiſtolicis Quaeſtionibus* IO. BEVEROVICII, *pag.* 28. *ſqq.*

d) In *Not. ad iſtum* PLINII *locum*, *p.* 406. copioſius vero ibidem, *pag.* 429. *Tom.* I. *opp.* cuius et vid. *praefat.* de hac controuerſia.

e) In *Epiſtol. Quaeſtion. pag.* 65. *ſqq.*

f) Ibidem, *pag.* 69. *ſqq.* et in *Op. Epiſtolar. Salmaſ. Epiſt.* 36. *p.* 79. *ſqq.* et *Epiſt.* 40. *pag.* 86. praeſertim autem in *Exercit.* PLIN. *pag.* 283.

g) In *Not. ad* PLIN. *pag.* 465. *Tom.* I. *Opp.* cum *Not. Varior.*

h) In SCALIGERANIS *primis*, *p.* III.

i) *Variar. Lection. Lib.* VI. *Cap.* XX. *p.* 129. b.

et reiectis aliorum sententiis, hucusque quidem cognitis, nouam plane viam, pro more, ingressus est, qua explicaret et emendaret PLINIVM, quo vero successu illud factum fuerit, aliorum esto iudicium. Nobis enim iam per Chartae temporisque angustiam, et instituti nostri rationem, nec licet, nec libet, aut hanc nouissimam, aut RAMAZZINIANAM, *) aut ceteras antiquiores circa hunc locum PLINII controuersum, a REIESIO, SCHOTTO, HARDVINO et WALDSCHMIDIO, larga quasi manu allatas, diligentius referre, vel operosius refellere, praesertim, quum a moribus nostris maxime abhorreat, crambem toties iam coctam inani opera recoquere, et fastidiosa copia lectores a dapibus nostris, forsan haud satis scite conditis, absterrere, vt nauseam scilicet capiant, et impransi quasi, abeant.

Vt igitur nunc omnia paucis complectar, quae circa hunc quidem tot controuersis nobilem PLINII locum, ambitiosius dici et adferri poterant; ea certe illius explicatio visa mihi semper fuit ceu simplicissima et simul verissima, quam partim iuuenerunt, partim autem inuentam et adoptatam, propagarunt ac propugnarunt Viri per orbem celeberrimi superius iam cum merita laude allegati, nimirum IO. DALECHAMPIVS, HIERON. MERCVRIALIS, IOS. SCALIGER, IO. BEVEROVICIVS et CLAVD. SALMASIVS, cum paucis aliis, quos inter potissimum eminet WALDSHMIDIVS, iam supra aliquoties laudatus, item, quod inprimis maximum firmamentum sententiae isti addit, ill. VAN SWIETEN, **) qui nempe, mea certe opinione, sat liquido solideque demonstrarunt, per istum quidem *Sapientiae Morbum*, in PLINIO, nihil intelligendum esse aliud, quam diram phrenitin, seu atrocem Meningum Cerebri inflammationem, cum ferocissimo mentis emotae delirio, ceu cuiuis notum, coniunctam. Quorum verisimillimae sententiae grauissimum praesertim pondus solidissimumque robur ipse mox adiicit PLINIVS, ceu optimus fidelissimusque verborum

*) Vid. egregium RAMAZZINI Libellum de *Morbis Artificum*, *Cap. vltimo*, *pag.* 315. Conf. huc *de la* CERDA, *Comment.* ad VIRGILII GEORG. *Lib.* IV. *pag.* 520.

**) *Comment. in Aphoris.* BOEHAAV. *Tom.* II. *p.* 579. vbi et plura vid. in seqq. quae huc maxime spectant, *pag.* 585. *sqq.* et *pag.* 329. *sqq.*

rum suorum interpres, Capite proxime sequenti 51. haec vberioris veluti explicationis gratia, et quidem ex HIPPOCRATE ipso, sapienter subiungens: *Iam signa letalia: In furoris morbo risum: Sapientiae vero aegritudine, fimbriarum curam et stragulae vestis plicaturas.*

Ex quibus nunc luculenter admodum, opinor, patet, ipsum sub *Sapientiae Morbo*, vel *aegritudine*, potissimum descripsisse saeuum phrenitidis morbum. Constat enim Medicos inter omnes, singularia illa signa, seu symptomata, *fimbriarum* inquam, *curam*, *et stragulae Vestis plicaturas*, siue, vt vulgo apud Medicos veteres audiunt, *Crocidismum* et *Carphologiam* inter primaria praesentis phrenitidis signa diagnostica et diacritica, merito censeri, nec perfectam et adultam quasi phrenitidem sine iisdem, facile reperiri. Sic enim post ipsum HIPPOCRATEM nostrum, qui primus frequentius huius ipsius funesti indicii meminit, [k]) et HIPPOCRATEM alterum, puta ARETAEVM, [l]) item GALENVM, [m]) omnes fere Medici veteres, illos quidem subsequuti, anxium istud, etsi inane, floccos, festucas, pilosque vellendi ac legendi studium, ceu praecipuum et eminens veluti signum, in phreniticis, sedulo adnotarunt, quod aliquot singularibus locis, ex ipsis petitis, iam probare, haud alienum, aut inconueniens, spero, erit. Ita nempe ALEXANDER TRALLIANVS, [n]) ἐπὶ πλέον δ᾽ ἐπιτεινομένου τοῦ πάθους, ἄρχονται καὶ κροκιδίζειν καὶ καρφολογεῖν, *si autem affectus magis intendatur, incipiunt et floccos carpere et festucas legere:* nec non PAVLLVS AEGINETA,

k) V. g. in *praenot. pag.* 451. *T.* I. *Edit. Lind.* I. *praedict. p.* 474. et *Coac. praenot. p.* 527. item III. *Epid. sect.* III. *p.* 741. VII. *Epid. pag.* 834. de *Intern. Affect. p.* 253. *Tom.* II. et de *Victu Acutor. pag.* 304. Conf. FOES. in *Oecon. p.* 190. et *p* 218. item PROSP. ALPIN. *de praesag. Vita et Morte, Lib.* II. *Cap.* III. *pag.* 81. et THOM. FIENI *semiot. part.* II. *Cap.* VI. *pag.* 214. vt et CASAVB. ad THEOPHRAST. *Charact. p.* 121.

l) De *Morbor. Acutor. Cur. Lib.* I. *Cap.* I. *pag.* 73. et ibi PETR. PETITVS, in *Comment. p.* 226.

m) *Lib.* IV. de *Loc. affect. Cap.* II. *pag.* 455. *Tom.* VII. *opp.* item *Lib.* V. *cap.* 4. *p.* 489. et in *Comment.* ad HIPPOCRAT. *Prognost. pag.* 607. *Tom.* VIII. vbi simul scite obseruat, posteriores omnes Medicos vsitatas sibi voces κροκυδίζειν, et καρφολογεῖν, de signis phreniticorum, ab illis HIPPOCRATEIS mutuatos fuisse: quem et Vid. *Tom.* IX *part.* I. *pag.* 84. et *Tom.* II. *pag.* 379. et alibi saepius.

n) *Lib.* I. *Cap.* XIII. *pag.* 44.

NETA, o) καὶ κροκυδίζουσιν, καὶ καρφολογοῦσι, καὶ πυρέττουσιν ὀξέως παρ᾽ ὅλον τοῦ νοσήματος τὸν χρόνον, *et floccos vellunt, et festucas colligunt, et peracuta febre laborant per omne morbi tempus:* NONVS quoque p): παρέπεται αὐτοῖς πυρετὸς ὀξὺς, καὶ παραφροσύνη, καὶ κροκυδισμὸς τῶν χειρῶν, *Comitatur phreniticos febris acuta, delirium, et manibus floccos euellere videntur.* Sed clarius adhuc rem explicat CAELIVS AVRELIANVS, q) ita scilicet scite definiens atrocem illum morbum: *Phrenitim esse alienationem mentis celerem, cum febri acuta, atque manuum vano errore, vt aliquid suis digitis attrectare videantur, quod Graeci κροκιδισμὸν, siue καρφολογίαν vocant, et paruo pulsu ac denso.* Iterum in sequentibus, r) *intelligimus, phrenitim ex concurrenti febre acuta, et alienatione mentis, et pulsu paruo atque crebro, atteſtante Carphologia et Crocidismo: Ex his enim intelligitur passionis genus.* Omnium autem luculentissime paullo post, s) vbi de discernenda, ab aliis morbis acutis, phrenitide, accuratius tractat: *Ab aliis deliriis ita discerni, vel internosci potest, cum neque Crocidismum in aegrotantibus viderimus, quod est ex operimentis fimbriarum veluti decerptio; neque Carphologiam, quae est festucarum leuium a parietibus veluti detractio, quam necesse est phreniticos facere.* Neque sane diuersum ab his sentit THEODORVS PRISCIANVS, t) *Phreneticorum,* scribens, *caussas certa accidentia et manifesta designant. Sunt enim acutae febres cum terribili mentis alienatione, sunt iuges insomnietates, ex Meningae incensione, vel indignatione venientes, et quod speciale accidens his tantummodo manifestum est, de parietibus, aut straminibus paleas, vel floccos legunt.* Qui singularis THEODORI locus in primis hanc in rem, notari meretur. Interea tamen non diffitemur, etiam in aliis morbis acutis, *Carphologiam* et *Crocidismum*, phreniticis alias quasi proprium, nonnunquam obseruari: licet hic non tam de eo sit quaestio, quid saepe, aut aliquando; quam potius, quid sempet fiat. Sic enim ipse HIPPOCRATES: u) ὁκόσοισι ἐν πυρετοῖσι κοιλίη ὑγρὴ, καὶ γνώμη τεταραγμένη

o) *Libr.* III. *Cap.* VI. *pag.* 28.

p) De *Morborum particularium Curat. Cap.* XXV. *pag.* 28.

q) *Acutarum Passionum Lib.* I. *Prooem. pag.* 8. fine.

r) Ibidem, *Cap.* III. *pag.* 13.

s) Eodem *Libro* I. *Cap.* V. *pag.* 19.

t) *Lib.* II. seu *Logic. Cap.* II. *pag.* 67.

u) De *Victu acutor. pag.* 304. *Tom.* II. *Opp. Lind. Edit.*

γμένη καὶ οἱ πολλοὶ τῶν τοιουτέων τὰς κροκίδας ἀφαιρέουσι. *Quibus autem in febribus, aluus liquida est, et mens perturbata, et multi ex talibus, floccos auferunt:* item alibi manifestius, x) ὁκόσοισιν ἐν πυρετοῖσιν ὀξέσιν, ἢ περιπλευμονίῃσιν, ἢ φρενίτισιν, ἢ κεφαλαλγίῃσι, πρὸ τοῦ προσώπου φερομένας, καὶ θηρευούσας διὰ κενῆς, καὶ ἀποκαρφολογούσας, καὶ κροκίδας ἀπὸ τῶν ἱματίων ἀποτιλλούσας, καὶ ἀπὸ τοῦ τοίχου ἄχυρα ἀποσπώσας, πάσας εἶναι κακὰς καὶ θανατώδεας: Quae ita eleganter, vt solet, plerumque, Latine reddidit Romanus ille HIPPOCRATES, CORN. CELSVS: y) *Illa quoque Mortis indicia sunt: si manibus quis in febre, et acuto morbo, vel insania, pulmonisue dolore, vel capitis, in Veste floccos legit, fimbriasque diducit, vel in adiuncto pariete, si qua minuta eminent, carpit.* Vnde nunc perspicue, opinor, patet, quam temerariam, immo paene phreniticam, vt ita loquar, Censuram in CORNELIVM CELSVM hic exercuerit nouus ille optimorum Auctorum Veterum ZOILVS, aut ARISTARCHVS, et vitio creatus Censor, CLAVDIVS VERDERIVS, z) quum ex vanissimo obloquendi et reprehendendi studio, ita contra ipsum insurgere haud erubesceret: *Apud* CELSVM *obseruationes quaedam sunt ludicrae: qualis haec, si nimirum aegrotus summis digitis extrema parietum euellat, hoc est, lapillos ex muro exradicet, signum mortis esse.* Quodsi enim bonus iste, aut malus, homo ipsum HIPPOCRATEM, ceterosque Medicos veteres hactenus laudatos, paullo diligentius legisset, aut recentiores peritos in arte salutari doctores consuluisset, prudenter haud dubie pudenterque ab ista sua frivola ac ieiuna censura abstinuisset, certiusque tum didicisset, istam quidem de phreniticorum *Crocidismo* et *Carphologia*, obserua-

x) In *Praenot. Tom.* I. *pag.* 451. vbi vid SPON. *Aph. Nou. pag.* 184.

y) *Lib.* II. *Cap* VI. *pag.* 55.

z) In sic dicta *Censione in Auctores, pag.* 144. de quo portentoso et plerumque pessimo optimorum Auctorum Censore, caeterum Vid. MORHOF. *Polyhist. Tom.* I. *Lib.* I. *pag.* 191. STRVVII *Introduct. ad Notit. Rei Litter. Cap.* V. *pag.* 237. THOM. BARTHOLINI *Epist. Med.* 4. *Cent.* III. *pag.* 16. *sqq.* B. MENCKEN. *de Histrionia seu Charlataneria Eruditor. pag.* 43. VOSSII *Lib.* IV. et V. *Rhetor.* KOENIGII *Bibl. Vet. et Nou. p.* 81. BAILLET *iudic. Eruditor.* etc. *Tom.* II, 61. *pag.* 7. aliosque plures, qui insanabile illud Caput acerrimo lixiuio ex iusta indignatione et vindicta, merito perfricuerunt.

ſeruationem non tam ludicram eſſe, vt ipſe ſat ludicre opinabatur, quam potius maxime ſeriam ſolidamque, cum ipſo quippe ineluctabili fere vitae periculo plerumque coniunctam *) Quare fatalem iſtum praecocis ſapientiae morbum, quo mens aegra VERDERII laborabat, in CELSO, quin et HIPPOCRATE ipſo, primo quidem huius ſingularis obſeruationis Auctore, et toto Medicorum ordine, temere redarguendo, non ſine acri iuſtaque cenſura, merito dimiſit Celeb. MORGAGNVS. a)

Quum igitur ſat luculenter abundeque, niſi fallor, hactenus demonſtratum ſit, funeſtam illam *Carphologiam* atque *Crocidiſmum* ſemper eſſe ſigna phrenitidi propria, perpetuo ipſi adiuncta et inſeparabilia, verbo, vera pathognomonica, per quae potiſſimum illa ab aliis morbis acutis ac deliriis accuratius diſcerni et internoſci poſſit: hinc iam non dubitamus amplius, in maximorum Virorum SCALIGERI nempe, atque SALMASII eosque feliciter ſequuti WALDSCHMIDII, atque SWIETENII, ſententiam lubentiſſime deſcendere, atque cum illis confidenter aſſerere, quo mentem noſtram praecipue propendere, iam ſupra ſubindicauimus, PLINIVM nempe per *Sapientiae Morbum*, aut *aegritudinem*, nihil intellexiſſe aliud, quam quidem ipſam phrenitim; idque ideo vel maxime, quod mox, ceu ſignum ipſi proprium, ſpeciale, eminens atque inſeparabile, illi ex ipſo, quem laudat, HIPPOCRATE, adiungat *fimbriarum curam atque ſtragulae veſtis plicaturas*, hoc eſt *Crocidiſmum* et *Carphologiam*, quod quidem certiſſimum. Sed praeſtat iam, ipſa illa bina Reipublicae litterariae oracula ſplendidiſſima, SCALIGERVM inquam, atque SALMASIVM, ſuis quidem verbis, adyto quaſi dignis, audire. Sic ergo ille maximus non Veterum ſolum Auctorum; ſed et ipſorum temporum Emendator

*) De quo plura exempla memorabilia vid. apud PETR. FORESTVM, *Obſ. Med.* 2. *Lib.* x. *pag.* 17. et ibid. *Schol. pag.* 23. et *pag.* 28. item *Obſ.* 3. *pag.* 35. et *Schol pag.* 38. ac denique *Obſ.* 11. *pag.* 93. vt iam HILDANVM, ZACVT. LVSITANVM SENNERTVM, FERNELIVM, DVRETVM, HOLLERIVM, BELLINVM, PORTVM, aliosque plures obſeruationum medicarum collectores, taceam.

a) *Epiſt. in* CELSVM, *pag.* 11. *ſqq.*

tor feliciſſimus: b) *Sapientiae Morbus duobus locis, apud* PLINIVM, *Lib.* VII. *eſt Complicatio ſtragulorum,* κροκυλεγμὸς *Graecis, floccorum lectio:* Κροκιδίζω, *ſiue* κροκυδίζω, *floccos lego, verbum eſt Medicorum, de Phreniticis dici ſolitum.* Φρένες *autem ſaepe prudentiam ſignificant:* φρενῖτις *Morbus, quo Sapientia laborat, vel aegritudo Sapientiae.* PLINIVS, *Lib.* VII. *Cap.* LI. *inter ſigna letalia ponit fimbriarum curam et ſtragulae veſtis plicaturas, in Sapientiae Morbo.* Hactenus SCALIGER de hoc Sapientiae Morbo, ſapientiſſime.

Cui nunc ſuffragatur SALMASIVS, c) et ſucceſſionis honore, et vaſta eruditione, et hac ipſa denique ſententia, ipſi SCALIGERO haud impar; cuius en ipſa iam accipe verba, lectu ſane digna: κροκυδισμὸς *in ſapientiae morbo.* GALENVS *in Medico:* φρενῖτις μέν ἐν ἐςὶ ἔκςασις διανοίας μετὰ παρακοπῆς σφοδρᾶς, καὶ χειρῶν ἀλλοίων περιφορᾶς, καὶ κροκυδισμȣ̃, καὶ καρφολογίας, καὶ πυρετȣ̃ ὀξέος. PLINIVS, φρενῖτιν *vocat ſapientiae morbum, Lib.* VII, *Cap.* 51. *cui et fimbriarum curam et veſtium plicaturas tribuit. Vt* ἀρθρῖτις *dicitur articulorum morbus, quo laborant articuli:* πλευρῖτις, *quo latera aegra ſunt:* πνευμονῖτις, *quo pulmones: ita et* φρενῖτις, *morbus, quo ſapientia laborat, vel aegritudo ſapientiae. Igitur ſapientiae aegritudinem vocat* τὴν φρενῖτιν, *at furoris morbum ibidem,* τὴν μανίαν. Idem ille alibi, d) τὴν φρενῖτιν PLINIVM *intellexiſſe per ſapientiae aegritudinem, plane mihi conſtat, vel* τὴν φρενῶν νόσον: *quoniam nempe ipſum* HIPPOCRATEM *primum ſigna illa letalia, Crocidiſmum ſcilicet et Carphologiam, in aegritudine ſapientiae, de phrenitide prodidiſſe autumat. Iam hinc certo certius Sapientiae morbum, vel aegritudi-*

 nem

b) In SCALIGERANIS *primis, pag.* III. Add. CASAVB. ad THEOPH. *p.* 121. et KÜSTER. ad SVIDAM, voce ἀφαιρεῖν κροκίδας, *pag.* 392. *Tom.* I. item Cel. WESSELING ad HERODOT. *Lib.* III. *pag.* 196. Ceterum illud κροκυλεγμὸς, laudatum a CASAVBONC, IOS. SCALIGERO atque SALMASIO, occurrit apud HESYCHIVM, hoc quidem modo: Κροκυλεγμὸς, τὸ κολακευτικῶς τὰς κροκύδας ἀπολέγειν τῶν ἱματίων: pro quo vero in *perronianis, pag.* 221. male, niſi fallor, ita legitur: Κροκόλεργος, *genus adulationis, a legendis floccis Veſtium:* quo ipſo ad hunc ipſum HESYCHII locum manifeſto reſpici, vix vllum, puto, ſupereſt dubium. Sed haec obiter.

c) *Exercitat.* PLINIAN. *pag.* 283.

d) *Epiſt.* SALMAS. XXXVI. *p.* 80. *ſq.* et in *Quaeſt. Epiſtol.* BEVEROVICII *p.* 71. *ſqq.*

nem ab eo vocari, quae graeco auctori, vnde accepit, φρενῖτις *nominatur. Ita ergo et ſapientiam vſurpauerit in illis verbis paullo obſcurioribus et intricatam ſententiam continentibus*: atque etiam Morbus eſt aliquis, per ſapientiam mori. *Quod graecis verbis hic forſan expreſſum fuerit:* ἔστι καὶ τὶς νόσος, τὸ φρενιτικὸν ἀποθνήσκειν. etc. Sed de his hactenus. Quae quum blanda veritatis ſpecie ſeſe cuiuis facile commendarent, mirum profecto haud erat, hanc ipſam planam ac perſpicuam obſcurioris illius loci PLINIANI explicationem, vtpote ex ipſa atrocis iſtius morbi natura et indole depromtam, ac tantorum Virorum auctoritate ſimul communitam plures eruditorum in liberum aſſenſum protinus pertraxiſſe. Quos inter, vt alios iam praetereeam, praecipue eminet Medicus quondam inſignis, WEDELIVS, [e]) qui ipſi ſapientem quoque de hoc ſapientiae morbo, Exercitationem publicauit, in qua tamen in eo diſceſſionem fecit a ceteris, quod ſtatuit, PLINIVM quidem intellexiſſe phrenitin, ſed non veram illam ac proprie ſic dictam, quam potius alteram ſpuriam, ſiue notham, vt vulgo dicitur, ex ſauciato, vel inflammato diaphragmate ortam. Qua vero impenſa ſua opera commodius ſuperſedere potuiſſet, ſi tempeſtiue meminiſſet, CASPARVM A REIES iam olim hanc ipſam opinionem ſtrenue et operoſe defendendam primum ſuſcepiſſe. [f]) Vterque autem in hanc ſententiam ideo potiſſimum inductus fuit, quod inter omnes conſtet, φρενῶν nomen olim diaphragmati fuiſſe impoſitum, quia ibi, ex communi fere veterum opinione, magna ſapientiae humanae pars recondita quaſi ſit, indeque ipſius affectionem, ſeu phrenitin, vel ex violenta laeſione, vel vehementi inflammatione, obortam, commodiſſime et ingenioſiſſime a PLINIO vocari potuiſſe *Sapientiae Morbum*, quod nempe αἱ φρένες et diaphragma denotent, et ſapientiam, ſeu ipſam mentem humanam, ceu notiſſimum. Specioſa haec ſunt, fateor, prima quidem fronte, et ad aſſenſum facile impetrandum, non inepta, aut incommoda. Forſan enim in aliquo Medico vetere PLINIVS legerit: ἔστι δὲ καὶ νόσος τὶς, διὰ φρενῶν ἀποθνήσκειν, idque, ambiguo vocis φρενῶν ſenſu

e) *Exercitat. Med. Philol.* 10. *Decad.* x. *pag.* 77. *ſqq.*

f) *Elyſ. iucundar. Quaeſt. Camp. Quaeſt.* 100. ſeu vltima, *pag.* 1257. *ſqq.*

ſenſu deceptus, per feſtinationem, negligentiam, aut Medicinae imperitiam, infeliciter verterit, (vt ſaepe nempe ſolet, copioſe id oſtendentibus SCALIGERIS, CAGNATO, REINESIO, HOFMANNO, BODAEO A STAPEL, SARACENO, et aliis; praeſertim autem SALMASIO, in vaſto *Exercit.* PLIN. opere, per omnes fere paginas, itemque HARDVINO,) in hunc nempe modum: *Atque etiam Morbus eſt aliquis, per ſapientiam mori;* quum potius reddere debuiſſet: *Atque etiam Morbus eſt aliquis, per Diaphragma, ſeu Diaphragmatis inflammationem, mori.* Sic et apud HIPPOCRATEM ſaepius legitur: φρένες ἀλγέουσι, φρένες πονέουσι, φρένες νοσέουσι, et ſimilia, quae pariter a rerum medicarum ignaro verti vitioſe poſſent per: *Mens, ſeu ſapientia dolet, laborat, aut aegrotat;* quum tamen de diaphragmate potius ſermo eſſet, quod nempe proxime accedit ad Plinianam interpretationem. Sed illud incertum; hoc autem certius, iam antiquiſſimo HOMERI aeuo, ad GALENI, AEGINETAE, THEOPHILI, quin et inferiora tempora, φρένας ſignificaſſe diaphragma, ſeu ſeptum transverſum, longeque ſerius ipſum diaphragmatis nomen licet iam a PLATONE, in TIMAEO, primum inuentum, obſeruante GALENO, *Lib.* V. *de Loc. affect. Cap.* 4. in Scholis Medicorum fuiſſe receptum, vt iam alibi obiter oſtendi. Quod quum ab aliis multis, praeſertim autem DIETERICO, g) dudum vberius demonſtratum ſit, nolo incaſſum actum hic agere. Vnicum tamen mihi hanc in rem, proferre liceat HESYCHII locum, quod emendatione maxime indiget. Sic enim ille: φρένες, μέρος τι τῶν ἐντοσθίων, τὸ ὑπὸ τῷ ἡπατικείμενον, τὸ διάφραγμα τοῦ στήθους. En vero hic nouum et inauditum hucuſque diaphragmatis ſitum, ὑπὸ τῷ ἥματι, ſeu *ſub hepate*, quum tamen, vt vel lippis et tonſoribus notum, non *ſubter*, ſed potius *ſuper hepate*, diaphra-

g) In IATREO HIPPOCRAT. N. 908. *pag.* 1372. *ſpq.* add. COEL. RHODIGINI *Lib.* II. *Antiq. Lect Cap.* LI. *pag.* 99 *ſqq.* item *Lib.* IV. *Cap.* XXI. WOVWER. *Polymath. Cap.* IX. *p.* 58. *ſqq.* HOFMANN. *in* GALEN. *de vſu part.* IV, 14. 238. *p.* 75. LAVRENT. *Anat. Lib.* IX. C. IV. *qu.* 4. *pag.* 736 *ſqq.* BRODAEI *Miſcell. L.* V. *Cap.* XIV. DALECAMP. ad PLIN. XI, 37. *p.* 805. *Tom.* I. et inprimis SANCTA CRVZ. ad HIPP. *de Morbo Sacr.* text. 73. it. LINDEN. *phyſiol. Lib.* I. *Cap.* VI. *Art.* 8. *p.* 150. *ſqq.* vt iam FOESIVM in *Oecon.* GORRAEVM aliosque Lexicographos taceam.

diaphragma circumtentum ſit. Quare hic haud dubie legendum: ἐπὶ τῷ ἥπατι, *ſuper hepate*, quomodo longe melius POLLVX: ἐπίκειται τῷ ἥπατι τὸ διάφραγμα, non autem ὑπόκειται. Vnde longe rectius ipſe HOMERVS h) nec Anatomes, nec Chirurgiae imperitus, vt alibi probaui: Πρὸς στῆθος, ὅθι φρένες ἧπαρ ἔχουσι, *ad pectus, vbi diaphragma hepar continet, ſibi nempe annexum:* vbi videndus EVSTATHIVS, qui et alibi hac de re ſic egregie: i) Φρένες, οὐ μόνον ἀσωμάτως καὶ νοητῶς, ἐπὶ λογισμῷ, ἀλλὰ καὶ μέρος τί τῶν σπλάγχνων, ὃ καὶ διάφραγμα λέγεται. Ἔστι δὲ ὑμὴν ἀποχωρίζων τὸ ἧπαρ, μετὰ τοῦ σπληνὸς, τοῦ τε πνεύμονος καὶ τῆς καρδίας. Sed haec obiter. Hoc porro etiam extra omne dubium poſitum, vt pergamus, quod creditum olim fuerit, φρένας iſtas, ſeu diaphragma humanae Mentis ac Sapientiae amicam eſſe potiſſimum ſedem et interius receptaculum, quod ſcilicet animaduerterent boni iſti priſci mortales, vulnerata, inflammata, aut quocunque alio modo laeſa, neruoſa inprimis diaphragmatis parte, ferociſſimum illico oriri delirium, cum amaro riſu et ſpaſmo cynico et morte plerumque ipſa, coniunctum. Διὸ καὶ καλοῦνται φρένες, inquit ARISTOTELES, k) ὡς μετέχουσαί τι τοῦ φρονεῖν: Sed ſapientiſſime noſter contra reſpondet HIPPOCRATES: l) οὐδὲ οἶδα ἔγωγε, τίνα δύναμιν ἔχουσιν αἱ φρένες, ὥστε φρονέειν τε καὶ νοεῖν: Cui et ſuffragatur ipſe ARISTOTELES, qui haec omnia HIPPOCRATI debet; ſed maligno ſuo more, muneris Auctorem ingratus reticet. PLINIVS vero, dum haec ARISTOTELIS Latine verteret, ſed nimis feſtinanter, vt plerumque ſolet, haec ipſa meliora perperam omiſit. Sic enim ille: m) *Quae praecordia appellant, quia Membrana Cordi praetenditur, Graeci appellaverunt* φρένας. *Huic certe refertur accepta ſubtilitas Mentis: ideo nulla eſt* ei

h) *Lib.* IX. *Odyſ.* v. 301. quem locum merito laudat GALENVS, *Lib.* IV. *de vſu partium, Cap.* XIV. *p.* 385. *Tom.* IV. *opp.* per CHARTER. Add. HOFMANNI *Comment. l. c. p.* 74.

i) In *Comment. ad* ILIAD. *Lib.* I. *pag.* 57. et ad *Lib.* III. *p.* 939. et alibi.

k) *Lib.* III. *de Part. Animal. Cap.* X. *pag.* 74. *Edit.* WECHEL.

l) *Lib. de Morbo Sacro, p.* 343. *Opp. T.* II. *Edit.* LINDEN. Conf. BALLON. *Conſil. Med. Lib.* II. *Hiſt.* I. *p.* 16. *Tom.* III. et de *Virg. et Mul. Morb. p.* 119. *Tom.* IV. *Opp. Venet.* 1735.

m) *Lib.* XI. *Hiſt. Nat. Cap.* XXXVII. *pag.* 805. *Tom.* I. *Opp.* cum *Var. Not.*

ei Caro, ſed neruoſa exilitas. Bella vero ratio, et inſuper quoque falſa; quum nemo hodie neſciat, ipſum diaphragma ex parte tam carnoſa, quam neruoſa, conſtare: quod in eodem loco iam ipſe docuit ARISTOTELES, quem vero prae manibus potius, quam prae oculis, tum habuiſſe videtur PLINIVS. Verum, ſi et haec omnia vltro largiamur, ſi et praeterea ſponte concedamus, illud quidem atrox delirium ex diaphragmate laeſo obortum, recte vocari poſſe phrenitin, quod negabat quidem olim, cum aliis, ALEXANDER TRALLIANVS n) rectius vero affirmat his HIPPOCRATES o): φρενίτιδες γίνονται καὶ ἐξ ἑτέρων νούσων τὰς φρένας ἀλγέουσιν, ὥστε μὴ ἐᾶσαι ἂν ἅψεσθαι. Καὶ πῦρ ἥκει, καὶ ἔκφρονές εἰσι, καὶ ἀτενὲς βλέπουσι, vt GALENVM, AEGINETAM, ORIBASIVM aliosque, et ex recentioribus, praeſertim BALLONIVM, illis cunctis doctrina et experientia omnino parem, iam taceam: Tamen ne ſic quidem ſatis bene perſpicio, quid noua hac ſua ac ſingulari opinione potiſſimum iuuerint PLINIVM CASPARVS A REIES, licet triumphum quaſi ante Victoriam, canat, et agonothetam audacter poſcat, et eum ſero poſt, ignorato hoc ſuo doctore ac ductore, ſequutus, WEDELIVS? Siue enim ſub iſto *ſapientiae Morbo*, ipſa illa phrenitis vera ac proprie ſic dicta, intelligatur, quae in Cerebri eiusque Meningum inflammatione, fontem quaſi ſuum ac fundum habet; ſiue de altera phrenitide, ſeu paraphrenitide, accipiatur, quae in diaphragmate laeſo, aut inflammato, ſedem ſibi conſtituit: Vtraque certe commodiſſime et acutiſſime dici omnino poterat *Morbus ſapientiae*, hoc eſt: νοῦσος φρενὸς, ſeu φρενῶν, ψυχῆς πόνος, πάθος σοφίης καὶ διανοίας, vt HIPPOCRATES noſter ſaepe loquitur, qui et aliquoties in Aphoriſmis et alibi, dixit, φρὴν item γνώμη νοσέει, et ὑπὸ σοφίης νοσέειν: qua de loquendi ratione elegantiſſima nos alibi plura adnotauimus: p) Non enim

n) *Lib.* I. *Cap.* XIII. *pag.* 45.

o) *Lib* III. *de Morbis*, 9 *pag.* 101. *Tom.* II. *Opp.* vbi vid. PROSP. MARTIAN. *in Comment. pag.* 189. et *p.* 191. et ARNOLD. VILLANOVAN. de *parte operat. pag.* 262. Add. inprimis DIETERICI *Iatreum* HIPPOCR. *pag.* 1375. *ſqq.* LAVRENT. *Anat. Lib.* IX. *Cap.* IV. *quaeſt.* 4. *p.* 736. *ſqq.* et ipſe rurſus HIPPOCRATES, *de Affect. pag.* 166.

p) *Lib.* IV. *Obſeruat. Crit. Cap.* XIII. *pag.* 377. vbi et plures Auctores alios laudauimus, qui illas ſimilesque phraſes metaphoricas ſcite et diligenter explicarunt.

enim PLINIVS respexisse solum videtur ad locum affectum, siue cerebrum fuerit, siue diaphragma, sed potius ad ipsum Morbi effectum, Mentis nempe alienationem et sapientiae turbationem. Inde ergo vtraque phrenitis semper est φρενὸς νόσος, siue *sapientiae Morbus*, quoniam nempe in eo Mens potissimum sana mirum quantum turbatur, et tristibus vmbris, horrendisque visis inquietatur.

Praeterea quoque vera illa Cerebri phrenitis frequentissime per consensum nempe neruorum et mutuam συμπάθειαν, monstrante bene DIEMERBROECKIO, *) coniuncta est cum altera illa diaphragmatis, quod vel ex difficili, suspiriosa et anxia respiratione, praesertim vero dolore, tumore ac tensione ipsius diaphragmatis et hypochondriorum, etiam ab ipso HIPPOCRATE superius obseruata, manifestius patet. Inde huc post GALENVM, Libb. de Affect. egregie PAVLLVS AEGINETA: q) ἔστιν ὅτε καὶ τῷ διαφράγματι συμπάσχει ὁ ἐγκέφαλος, διὰ τῶν κατασπειρωμένων ἐν αὐτῷ νεύρων, τὸ πάθος ὑπομένει: et mox, paucis interiectis: εἰ δὲ κατὰ συμπάθειαν τῶν φρενῶν, φρενῖτις γίγνοιτο, ἥτε ἀναπνοὴ ἀνώμαλός ἐστιν, καὶ τὰ ὑποχόνδρια ἀνασπᾶται. Denique his omnibus accedit, quod proprium et primarium verae phrenitidis signum sit *Crocidismus* et *Carphologia*, vt supra latius demonstrauimus: quum e contrario, illa altera diaphragmatis phrenitis risum potius inconditum, acerbum ac paene Sardonium, vna cum horrendo vultus spasmo cynico, ceu signum eminens pathognomonicum, sibi adiunctum habeat. Sicut ipse HIPPOCRATES r) funesto TYCHONIS infelicis exemplo, praeter alia, probat,

*) *Anat. Lib.* II. *Cap.* III. *pag.* 257. add. BARTHOLIN. RIOLAN. LAVRENT. et alios, qui de diaphragmate scripserunt.

q) *Lib.* III. *Cap.* VI. *pag.* 27. b. et *p.* sqq. 28. Conf. FOREST. *Lib.* X. *Obs.* 2. *pag.* 30. sqq. schol. BALLON. *Consil. Med. Lib.* II. *Hist.* I. *pag.* 16. *Tom.* III. *opp. Venet.* 1735. item *de Virg. et Mul. Morb. pag.* 119. *Tom.* IV. WILLIS de *Anima Brutor.* etc. *Part.* II. *Cap.* XI. *pag.* 257. et *Prosp.* ALPIN. *de praesag. Vit. et Mort. Lib.* II. *Cap.* III. *pag* 85. sqq. item FRANC. PORTI *Dec. Med. Lib.* II. *Cap.* II. *pag.* 43.

r) *Lib.* V. *Epidem. pag.* 794. et *Lib.* VII. *pag.* 877. it. *Lib.* I. *Epid. Sect.* 3. *Aeg.* 2. *pag.* 673. et ibi GALEN. *pag.* 102. *T.* IX. *Opp. Part.* I. Conf. SCALIGER. *Exercit. in* CARDAN. CCCXVIII. 6. *pag.* 976. sqq. et SCVLTET *Armament. Chirurg.*

bat, qui in obſidione circa Datum, catapulta diaphragma traiectus, συν γέλωτι θορυβώδει ἐτελεύτησεν, *cum riſu tumultuoſo, moriebatur*: quale quid etiam ARISTOTELES s) de bellatoribus, diaphragmate percuſſis, refert, et ex eo ſic PLINIVS: t) *In proeliis, gladiatorumque ſpectaculis, mortem cum riſu, traiecta praecordia attulerunt.* Quum ergo ipſe hic PLINIVS in *Sapientiae Morbo*, aut *aegritudine*, *fimbriarum curam et ſtragulae veſtis plicaturas*, ceu potiſſimum et ſingulare ſignum, adnotauerit, *riſum* autem *furoris morbo*, vel ex diaphragmatis laeſione, vel quacunque alia denique cauſſa, oborto, tribuerit; quod peſſime quidem hic inuertit et in PLINIO transponit REIES, merito inde notatus ob infelicem audaciam, a WALDSCHMIDIO: Sat valide, me quidem iudice, exinde ſequi videtur, illum per *ſapientiae Morbum*, ſolam veram phrenitin, a *Crocidiſmo* et *Carphologia* ſemper comitatam, intellexiſſe.

Haec vero omnia iam perſcripſeram, quum mihi, nihil tale cogitanti, forte fortuna, ab Amico adfertur B. noſtri quondam STENZELII Exercitatio bene longa, de hoc ipſo PLINII loco, hic 1736. publicata, in qua variis allatis prius, moxque iterum relictis, coniecturis, tandem, ceu de ipſa veritate certiſſime perſuaſus, aperte pronunciat, nullum alium hic a PLINIO deſcriptum fuiſſe morbum, quam quidem diram αὐτοχειρίαν, ſeu Mortem manu impia et inhumana, in proprio corpore, factam. Quae vero an ipſa PLINII mens fuerit? alii diligentius diſquirant et ingenue diiudicent: Ego certe lubens prudensque iudicium meum qualecunque hic ſuſpendo, ne in pios B. Anteceſſoris noſtri manes temere forſan peccaſſe videar. Sed ne nimia loquacitate in ipſum forte *ſapientiae morbum* incidamus, nunc demum *modum quaſi teneamus ex ſapientia*, quod TACITVS merito olim iudicabat difficillimum.

Haec

urg. Part. II. *Obſ.* LIII. *pag.* 117. vbi ſimilem fere Caſum retulit. Add. CAMERARII *Memorab. Med. P.* II. *Obſ.* 88. *Cent* x. *pag.* 835. ſqq. et REIES, *Quaeſt.* 100. *pag.* 1261. ſqq.

s) *Lib.* III. de *Partibus Animal. Cap.* x. *pag.* 57.

t) *Lib.* XI. *Cap.* XXXVII.

Haec autem qualiacunque vt commentaremur, opportunam nobis occaſionem vberemque diſſerendi materiam nobis benigne praebuit haec ipſa docta et elegans diſſertatio *de Crocidiſmo et Carphologia, Signo in Morbis acutis plerumque letali.*

ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

DANIEL WILHELMVS TRILLERVS

FAC. MED. H. T. DECANVS.

Quum TIBI inaugurale quoddam ſpecimen in publicam lucem edituro, haud ſatis placerent vulgaria quidem illa et millies iam pertractata et recocta quaſi, diſſertationum argumenta, quae quotidie, de pallidis febribus, nodoſa podagra, rigida arthritide, foeda ſcabie, ſimilibusque humanae gentis calamitatibus, vulgo notiſſimis, ingenti lectorum delicatiorum cum nauſea, ceu merces faſtiditae ac periturae, in forum publicum extruduntur: dubitanti TIBI ac circumſpicienti, rogatus, inter alia, Auctor fui, vt de *Crocidiſmo* et *Carphologia*, memorabili illo et ſingulari atrocis phrenitidis ſigno, diſſertationem TVAM conſcriberes, de quo nempe in Veterum quidem Graecorum et Latinorum Medicorum monumentis, frequens fieret mentio, in Recentiorum vero Libris, paene nulla, aut certe perquam rara ac parca, adeo, vt ne vllam quidem, de iſto argumento, diſſertationem me vnquam conſpexiſſe, recorder. Quare vix dubito, quin vel ex Medicis ipſis, in Veterum Auctorum lectione haud ſatis verſatis, futuri ſint nonnulli, quibus ipſe tuae diſſertationis Titulus obſcurus, peregrinus, atque plane incognitus viſus fuerit. Candido ergo meo Conſilio libenter obſequutus, argumentum illud, TIBI a me propoſitum, breuiter quidem, ſed tamen ſimul tam docte et perite tractaſti, vt nihil propemodum deſiderari poſſit, quod ad ipſam quidem rem ſufficienter explicandam, quidquam conferat. Quod ſi

vero

vero quidam forſan adhuc deſint Veterum Medicorum loci, eos haud dubie, in Lectorum commodum, ſupplebit Programma noſtrum, ipſi diſſertationi TVAE doctiſſimae ſubiunctum. Gratulor ergo TIBI ex animo, de hoc primo eruditionis tuae medicae ſpecimine egregio, ex quo perſpicue patet, quantos indefeſſo ſtudio, in arte noſtra feceris progreſſus. Gratulor quoque venerando TVO Patri, doctrina pio, Vita probo, et TE denique, tam bonae indolis Filio, felici, quod ſpes ſuas in tenera adhuc aetate, de TE conceptas, hodie non ſolum largiſſime impletas, ſed et fauſto ſane et iucundo errore, longiſſime ſuperatas ſpectat, atque ex ſummis honoribus, TIBI merito collatis, incredibilem paene capit animi voluptatem, quam nemo certe perſentiſcere, aut explicare valet, niſi qui ipſe fuerit pater. Gratulor porro ipſi ordini noſtro, de tam bonae frugis diſcipulo, in quo erudiendo, et expoliendo ipſum nunquam poenitere debet impenſae quondam operae ac diligentiae. Gratulor denique omnibus aegris, qui a tuis ſalutaribus conſiliis in poſterum, non ſolum auxilium petent, ſed et, vt ſpe fere certa praeſumo, impetrabunt. Ita ergo Vale ex voto TVO, meoque, ac mihi, vna cum reuerendo tuo patre, amico et fautore noſtro integerrimo, fauere perge. Scribebam raptim inter negotia priuata, et calamitates publicas, Wittebergae, D. XXVII. Septembr. A. O. R. CIↃ IↃ CCLVII.



EXERCITATIO DECIMA.

DE

NOVA VERAQVE EXPLICATIONE

LOCI CVIVSDAM HIPPOCRATICI

HACTENVS OBSCVRISSIMI

E LIB. VII. DE MORB. EPIDEM. EXTREM.

DE

MENSIBVS PER NARES

LEONIDAE FILIAE ERVMPENTIBVS

AB IMPRVDENTI AVTEM MEDICO CVM IPSIVS

INTERITV INFELICITER REPRESSIS.

Tam variae, insolitae, immo paene incomprehensibiles sunt viae Menstruorum, naturali suo atque consueto itinere variis de caussis, exclusorum, vt nulla fere corporis pars, nullumque membrum inueniatur, in quod, turbato rerum ordine, impetum non fecerint, atque per idem, violenta quasi effugia quaesiverint. Sic enim, horresco fere referens, qua data veluti porta, subinde proruperunt, per capitis cutem ac verticem, frontem, tempora, palpebras, oculos, nares, genas, maxillas, mentum, labia, os, linguam, ductus saliuales, gingiuas, dentium alueolos, aures, dorsum, mammas, axillas, vmbilicum, brachia, manum, pollicem, singulosque digitos, inguina, genua, pedes, illorumque talos ac digitos, naturae muliebris labia, vesicam vrinariam, atque extremum denique anum. Quae tamen omnia, quantumuis satis miranda ac propemodum incredibilia, portentosa sua nouitate et dira insoliti casus atrocitate, longissime vincit illud quidem exemplum prodigiosum, immo horrendum prorsus, a magno quondam RVYSCHIO, a) plus semel obseruatum,

a) *Aduersarior. Anatom. Decad.* III. *Obs.* 3. *pag.* 13. sqq. *Tom.* I. *Opp.* Conf. IDON. WOLFII *Obs. Chirurg.* XX. *Lib.* I. *pag.* 69. et MARC. AVREL. SEVERINI de *Abscess. Lib.* IV. *Cap.* 7. *pag.* 197. vbi simile portentum de quodam Iuuene, ex

ſeruatum, ac deinde fideliter relatum, de puella quadam, quae ceu per totidem noua quaſi oſtia, *viuum ſimul emiſit ſanguinem, per capitis cutem, aures, os, oculos, vmbilicum, mammasque: et quidem ex his, tantum exiliebat ſauguinis, vt neceſſe foret, vitris ſupra papillas impoſitis, profluentem cruorem excipere.* b) Cui tamen perquam ſimile exemplum aliud adnotauit SCHVRIGIVS, c) in foemina quadam Dreſdenſi: qui nobis ſimul laudabili ſua induſtria, in colligendis id genus variis, *de inſolitis Menſium viis*, obſeruationibus rarioribus, apud complures Auctores ſparſim obuiis, gratas commodasque ferias quaſi fecit, d) ne nobis dura nunc neceſſitas impoſita ſit, de hoc ipſo arduo Argumento vberius diſſerendi, ipſiusque inconcuſſam veritatem contra quosuis incredulos et rerum medicarum ignaros prorſus oblocutores, paulo operoſius defendendi, qui has ipſas violentas menſium aberrantium molitiones, pro terroribus magicis, inauditis miraculis, et portentis

Vvv 3

ex SCHENCKIO, refert, vt et WEDELIVS, *Amoenitat. Mat. Med. Lib.* II. *Sect.* 2. *Cap.* 19. *pag.* 499. Similem autem portentoſam haemorrhagiae quaſi vniuerſalis ſpeciem RVYSCHIANAE illi deſcriptioni in omnibus fere exacte conuenientem, obſeruauit ac deſcripſit POTERIVS, in *Singular. obſeruat. Med. Cent.* II. *Cap.* 56. *pag.* 156. vbi conferendus omnino in *Notis*, HOFFMANNVS. Sed omnem paene fidem et rationem ſuperat mirandus ille, imo ſtupendus paene Caſus de puella quadam decem annorum, tota fere per omnia membra, in ſanguineos quaſi riuulos reſoluta, quem in *ſcriniis* BOERHAAVIANIS repertum et haeredum beneficio, impetratum, lectorum commodo et emolumento, benigne publicauit BOERHAAVIVS ille alter, ſeu, quod idem, Illuſtr. van SWIETEN, *Commentar.* in *Aphoriſmos Boerhaau. Tom.* IV. *pag.* 426. ſqq. digniſſimus vtique, qui plus ſemel ab omnibus rerum medicarum ſtudioſis et curioſis, diligentiſſime legatur et expendatur.

b) Miſellae huic puellae vndique αἱμοῤῥοοῦσῃ, commode aptari poſſunt illa, ſpirantem quaſi ac loquentem picturam repraeſentantia, grandiſoni LVCANI, *Lib.* IX. *Pharſal.* 808. *ſqq.* de magnanimo Tullo, a peſtilentiſſimo ſerpente Libyco, Haemorrhoo dicto, letaliter admorſo:

Vtque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycii preſſura Croci; ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilatum ſanguine Virus.
Sanguis erant lacrimae: quaecunque foramina nouit
Humor, ab his largus manat Cruor: Ora redundant,
Et patulae nares: Sudor rubet: Omnia plenis
Membra fluunt Venis: totum eſt pro vulnere Corpus.

c) In *Parthenolog. Sect.* II. *Cap.* 8. *pag.* 208.

d) Ibidem, *Sect.* II. *Cap.* 3. *pag.* ſqq. vsque ad *pag.* 118. quod totum quam diligentiſſime et copioſiſſime tractat de *Inſolitis Menſtruationis Viis.*

tentis quasi Thessalis, impudenter imprudenterque forte habebunt, quae tamen intemerata tot praestantissimorum Auctorum fide firmiter nituntur, de qua vel tantillum dubitare, nefas profecto foret atrocissimum. e)

Ex omnibus autem istis Viis inconsuetis, quas sibi Menses moliuntur, consueta sua familiarique via prohibiti, haec quidem vulgo habetur frequentissima, et, si non semper tutissima, respectu tamen reliquarum nonnullarum, plerumque minus periculosa, quae per apertas potissimum nares, liberum expeditumque illis praebet ostium: id quod praeter quotidianam experientiam, multis exemplis, vndique ex variis auctoribus, diligenter collectis, idem probat SCHVRIGIVS, f) quibus longe plura, si necesse, adiici hic a nobis possent; quum inter mille forsan puellas, paucissimae tantum reperiantur, quae ante primam sanguinis menstrualis eruptionem, largam frequentemque narium haemorrhagiam passae non fuerint. Sed nec id ipsum iam sua aetate, incognitum fuit ipsi nostro HIPPOCRATI, quin potius,

e) Varios istos Auctores, qui *de insolitis Mensium Viis*, scripserunt, iam dudum, ante ipsum SCHVRIGIVM, ingenti quidem copia, allegarunt SENNERTVS noster, *Lib.* IV. *prax. Cap.* II. *pag.* 192. DIETERICVS, *Iatr. Hipp. pag.* 602. et *pag.* 120. sqq. MOEBIVS, *Physiol. Cap.* 20. *p.* 572. DONATVS, *Hist. med. mir. Lib.* IV. *Cap.* 19. *pag.* 409. sqq. HORSTIVS, *Problem. med. Dec.* 9. *p.* 258. HOFMANN. pater, de *Method. med. Lib.* I. C. 17. *p.* 249. BONETVS, *Med. sept. Tom.* II. *p.* 36. BARTHOLINVS, *Histor. anat.* 16. *Cent.* I. *p.* 31. sqq. VERZASCHA, *Obs. med.* 13. *p.* 36. STALP. van der WIEL, *Obs. med.* 18. et 19. *Cent.* I. *p.* 85. et *p.* 87. it. *Obs.* 79. *p.* 348. et *Cent. post. Obs.* 17. *p.* 197. VALENTINI, *Pandect. medic. Legal. Cas.* 16. *p.* 50 SCHENCKIVS, *Obs. med. Lib.* IV. *Tom.* II. *pag.* 257. sqq. LANZON. *Animaduers. var. med.* XXXIII. *pag.* 159. sqq. vt et maxime ill. *van* SWIETEN, *Comment. in Aphorism.* BOERHAAV. *Tom.* IV. *p.* 421. sqq. et STAHL, *Diss. de insolitis Mensium Viis*, item in *Tract. Germ.* de eodem argumento: praesertim autem, vt iam plures alios consulto omittendo, mihi laborem minuam, Lectori vero fastidium, numerosissimam istorum Auctorum veluti cateruam, quam diligentissime collectam, vna produxerunt, GEORG. FRANK *de* FRANCKENAV, *Satyr. Med.* XV. *pag.* 269. sqq. item *Dissert. de Haemorrhoid. pag.* 439. sqq. et denique IO. GOTHOFRED. SCHEID, in *Annot.* ad *de* LA MOTTE *Tractat. de Morbis Grauidar. et puerperarum*, *pag.* 234. sqq. sed haec sufficiant.

f) *Parthenolog.* laudat. *Sect.* II. *Cap.* 3. *pag.* 92. sqq. Adde SCHENCK. *Obs. Med. Lib.* IV. *pag.* 258. sqq. *Tom.* II. aliosque plures, modo laudatos.

tius, apud illum, frequens paſſim interiecta legitur mentio illius quidem vicariae et quaſi ſuccedaneae ſanguinis menſtrui, per nares, euacuationis, vbi nempe conſueta ſolitaque per ipſum pudoris ſinum, via illi, diuerſis ex cauſſis, denegata fuerit. g)

Quo et praeſertim pertinet memorabilis illa ſimulque flebilis apud eundem, Hiſtoria, de miſeranda *Leonidae filia*, h) quae ſimili menſtruali narium haemorrhagia primum correpta, nec ſuo, nec naturae vitio, ſed ſola imperiti et temerarii Medici latiſſima et inexcuſabili prorſus culpa, in ipſo amoeno aetatis flore, in letale vitae exitium praecipitata fuit.

Iſte vero HIPPOCRATIS locus, de quo nobis iam ſermo, ab interpretibus paene omnibus, vel nimium feſtinantibus, vel ſtili breuioris et dictionis inuſitatioris haud ſatis gnaris, adeo quidem male tractatus ac ſordidis tenebris inuolutus fuit, pudet taedetque fateri, vt, ſi HIPPOCRATES ipſe rurſus in noſtrum hoc aeuum delatus foret, ipſe, credo, haud intellecturus eſſet, quae quondam ſcripſiſſet.

Quare nos operae forſan pretium facturos putauimus, ſi commoda quidem hac occaſione, ſponte nobis oblata, hunc ipſum caliginoſum HIPPOCRATIS locum accuratiori aliquanto examini ſubiiceremus, ipſumque, disiectis illis prius tenebris, ab interpretum vel incuria, vel imperitia, ipſi circumiectis, clariore nonnihil ac certiore luce perfunderemus. Audiamus igitur, ſi placet, iam ipſum HIPPOCRATEM loquentem:

> Τῇ Λεωνίδεω θυγατρὶ ἡ φύσις ὁρμήσασα ἀπεστράφη· ἀποστραφεῖσα ἐμύκτηρισε· μυκτηρίσασα διηλλάγη· ὁ ἰητρὸς οὐ ξυνεῖδεν· ἡ παῖς ἀπέθανεν·

Sed nunc attendamus etiam, ſi lubet, quomodo ipſam HIPPOCRATIS mentem perceperint, atque in ſuis verſionibus expreſſerint interpre-

g) Exempli cauſſa, *Aph.* 33. *Sect.* V. *Lib.* I. *de Morb. pag.* 8 *Lib.* I. *de Morb. Mulier. pag.* 458. et paſſim, in ſqq. et denique *Lib.* I. *de Morb. Epidemicis*, *pag.* 665. et ſaepius, in ſequentibus eiusdem Argumenti Libris.

h) *Lib.* VII. *de Morbis Epidemicis*, *pag.* 888. *Tom.* I. fine.

terpretes! CORNARIVS ergo, quem poſtea, hic, nimis ſecure, ſequuti ſunt MERCVRIALIS, atque LINDANVS, ita vertebat:

Leonidae Filiae Natura concitata, auerſa eſt: auerſa, in iram excanduit: vbi ira excanduit, reconciliata eſt. Medicus non intellexit: Puella mortua eſt.

Sed quis, quaeſo, in his quidem, ſenſus ſanus, facilis aut perſpicuus? quin potius iſte cum ipſa illa Filia mortua, mortuus quaſi et funeratus videtur: quomodo enim obſecro, puella iſta poſt incandeſcentiam illam, blande reconciliata, atque hinc rurſus mentem placide compoſita, exinde ſubito mori potuit? Quare vix dubitem, quin, ſi ipſe HIPPOCRATES hanc quidem obſcuram et a ſua certe mente tam alienam, verſionem legere poſſet, ipſe forſan ira concitatiore ita incandeſceret, vt aegerrime reconciliaretur, diceretque indignabundus: *Hic Medicus interpres me plane non intellexit:* Quod etiam haud dubie pronunciaturus eſſet de ſequenti nunc verſione FRANCISCI VALLESII:

Leonidae Filiae Natura conuerſa eſt; conuerſa vero ſubſannabat; Subſannans pacata eſt; Medicus non intellexit: Puella mortua eſt.

Ecquis enim, paullo emunctioris naris Lectorum, his modo perlectis, ſanna certe ac riſu non indignis, tantum a ſe impetrare poterit, vt

Ira cadat Naſo, rugoſaque ſanna?

Quare etiam prudens, iam abſtineo a producendo hic eiusdem in haec verba, Commentario, quippe qui falſae huic et ab HIPPOCRATIS mente prorſus abhorrenti Verſioni ſuperſtructus, nihil quidquam ſane complectitur, vt quiuis certe iam per ſe coniicere ac diuinare poteſt, quod aut HIPPOCRATEM ipſum illuſtret, aut Lectorem erudiat, vel oblectet.

Supereſt denique adhuc vnus FOESIVS, qui propius, inter omnes, verum quidem vidit; ſed non penitus aſſecutus eſt, quum nempe ita hunc Locum Latine redderet:

Leonidae

Leonidae Filiae Natura ad impetum incitata, sese auertit, atque, vbi auersa est, sanguinem ex Naribus effudit; quo effuso, permutata est: quod non vidit Medicus; puella mortua est.

Scilicet huic soli FOESIO, mira certe felicitate, hic datum erat, habere Nasum, quum ipsi vel eminus suboleret, τὸ μυκτηρίζειν, in quo potissimum verbo totius rei cardo nunc vertitur, non posse hic obtinere vulgarem quidem significationem; ita, vt idem scilicet sit, ac χλευάζειν, καταγελᾷν, ἐξουθενεῖν, h. e. *subsannare, Naso adunco suspendere*, vt acute ait HORATIVS, *irridere, ludibrio exponere, nihili facere*, ac *parui pendere*, alias recte sic exponentibus SVIDA, HESYCHIO, ETYMOLOGICO MAGNO, POLLVCE, EVSTATHIO, BVDAEO, STEPHANO et aliis: *) quem vulgarem huius verbi sensum inconsiderate arripiendo, in errorem delapsus est VALLESIVS, vt supra vidimus; et ante eum, in paullo maiorem, CORNARIVS, quum τὸ μυκτηρίζειν verteret, per *ira excandescere*, qualem significatum, quantum equidem memini, vix admiserit verbum illud graecum, ἀπὸ τῶν μυκτήρων, seu a *crispante Naso, rugosaque Sanna*, petitum. Licet igitur laudatus FOESIVS, cum in *Not.* tum *Oeconomia*, istam suam coniecturam timide dubitanterque, vt semper fere solet, proponat; nihil tamen certius, nihilque verius, quam τὸ Μυκτηρίζειν, in hoc quidem loco, idem denotare, ac vulgo alias, τὸ αἱμοῤῥαγεῖν διὰ μυκτήρων, seu διὰ ῥινῶν, hoc est, *sanguinem per Nares emittere:* sed novo prorsus et inusitato huc vsque sensu, ab ipsa tamen analogia verbi nequaquam alieno, hincque in Lexicis graecis, in posterum, sedulo adnotando. Neque enim apud ipsum HIPPOCRATEM,

*) Conf. huc inprimis TIBER. HEMSTERHVS. *Not.* ad LVCIANI *Dial. Mort. pag.* 353. *Tom.* I. IO. BRODAEI *Miscellan. Lib.* IV. *Cap.* 32. in *Thesauro Crit.* IAN. GRVTERI, *Tom.* II. *pag.* 530. et VOSSII *Instit. Orat. Lib.* IV. *Sect.* 5. *pag.* 239. item FABRICII *Not.* ad SEXT. EMPIR. *Lib.* I. *aduers. Grammat. Cap.* 10. *pag.* 262. SCHOTTI *Adag. sac. pag.* 128. IOACH. CAMERARII *Comment. vtriusque Linguae*, *pag.* 111. et *pag.* 113. et ELSNER. *Obss. sacr. Tom.* II. *pag.* 199. qui vero, nescio sane, quare, rara huius verbi exempla esse, ibi pronunciat, quum tamen obuia vbique sint: Praesertim autem apud LXX. INTERPRETES.

TEM, neque vllum Auctorem graecum alium, quantum equidem recordor, μυκτηρίζειν idem significare obseruaui, ac *sanguinem per Nares effundere*, adeo, vt hinc, hoc ipsum Verbum nouo quidem et insolito isto sensu sumtum, inter sic dicta ἅπαξ λεγόμενα, iure forsan referendum videatur. Etsi autem SEXTVS EMPIRICVS recte negat, τὸ μυκτηρίζειν, secundum analogiam, idem designare posse, ac εἰς τὴν ῥῖνα τύπτεσθαι, *in Naso feriri;* tamen negaturus, credo, haud esset, hoc certe loco Hippocratico viso, idem commode nonnunquam valere posse, ac αἷμα ἐκ ῥινὸς στάζειν, ἢ ἐκ μυκτῆρος ἐκχέειν. LXX. quidem INTERPRETES, EZECH. VIII. 17. τὸ μυκτηρίζειν, pro *Naribus quidquam admouere*, vel *odorari*, accepisse videntur: de quo tamen arduo loco hic plura dicendi, iam spatium non est. HIPPOCRATES vero i) illius verbi loco, frequentius passim potius vtitur phrasibus: ἀπὸ μυκτήρων, ἢ ἀπὸ ῥινῶν στάζειν, vnde στάξιες ἐκ μυκτήρων, ἢ ἐκ ῥινῶν, vt et ῥήξιες μυκτήρων, et μυκτὴρ ῥηγνύμενος, nec non ῥύσις ἐκ μυκτῆρος, item αἷμα διὰ μυκτήρων ἐκχέειν, ἢ ἐκκρίνειν, et διὰ μυκτῆρος ῥέειν, quomodo et loquutus ipsius felicissimus imitator, ARETAEVS, et denique, ἐς τὰς ῥῖνας μεταπεσεῖν τὸν ῥόον τοῦ αἵματος, item τὸ ῥεῦμα τοῦ αἵματος ἐκπεσεῖν τῶν μυκτήρων. Vt alia id genus plura iam taceam, in ipsius quidem Operibus, vbique fere occurrentia.

Sic etiam pari modo, μυκτὴρ ἀποστάζει, AETIVS dixit, k) qui et saepius, in sequentibus, commemorat τὰς ἐκ τῶν μυκτήρων αἱμοῤῥαγίας, quod subinde quoque occurrit apud DIOSCORIDEM, l) AEGINETAM, ALEXANDRVM TRALLIANVM et GALENVM inprimis ipsum: qui ipse alio loco, m) in simili fere casu, de foemina

i) V. g. *Libb. de Coac. Praenot.* item *prognost.* nec non *de praedict.* vt et *de iudicat.* et praecipue, in *Libb. de Morb. Epidem* etc. FOESIVS autem hic, in *Oeconomia*, voce Μυκτὴρ, contra morem suum, perquam parcus et auarus quasi est, in allegandis locis, huc quidem facientibus. Quod obiter notare liceat.

k) *Lib.* VI. *Cap.* 3. *pag.* 100. b.

l) *Lib.* III. *Cap.* 52. *pag.* 194. et *Lib.* IV. *Cap.* 46. *pag.* 260. et alibi saepe.

m) *Lib. de Venae sectione contra* ERASISTRATVM, *Cap.* 1. *pag.* 407. *Tom.* X. *Opp.* per CHARTERIVM.

na loquens, post diuturnam mensium suppressionem, largissimam tandem narium haemorrhagiam cum leuamine, passa, dixit: φύσις αἷμα ἐκ μυκτήρων ἐκχέασα πάμπολυ, quod profecto idem est, ac hic, in nostro quidem loco, φύσις μυκτηρίσασα: Denique, nam omitto studio, plura alia, CEDRENVS *pag.* 217. de TITI imperatoris morbo et morte, dixit: αἱμορραγήσας διὰ τῶν μυκτήρων, hoc est breuiore stilo HIPP. μυκτηρίσας. Cunctas igitur has phrases et operosas et copiosas, HIPPOCRATES noster nobili felicique audacia, breuissime, et simul bellissime ac significantissime, expressit per vnicum illud verbum Μυκτηρίζειν, quod propter novitatem suam insolitam, hic paullo diligentius a nobis merito fuit explicandum.

Verum iam vnus adhuc restat scrupulus, circa verbum διηλλάγη, prius quoque eximendus, ad quod quippe, ceu ad praeruptum quendam scopulum, etiam obhaeserunt Interpretes, adeo, vt inde tam miras, paene dixissem, tam miseras versiones nobis procuderent. Est enim τὸ διαλλάττειν, et διαλλάττεσθαι, vulgari quidem sensu, quem isti praepropere nimis et incaute, arripuerunt, idem, ac καταλλάττειν, h. e. *reconciliare, in gratiam et amicitiam cum aliquo redire*, item *litem dirimere*, quod ex mille DEMOSTHENIS, ISOCRATIS, PLVTARCHI, LVCIANI, APPIANI, et aliorum locis, quin et ex MATTHAEO ipso, satis superque constat, vt vel ex BVDAEO, STEPHANO et aliis Glossariis, cuiuis cognitum est. Sed et simul idem significat, ac *immutare, sedare, pacare, liberare* et *dissoluere*, quem sensum praesens hic noster locus potissimum requirit, tumque tantundem valet, ac ἀπαλλάττειν, μεταλλάττειν, παραλλάττειν, et διαλύειν, testibus HESYCHIO, SVIDA, EVSTATHIO et aliis. Inde DIONI inprimis CASSIO, διαλλάττειν, et διαλλαγὴ, nunc sumitur, pro *reconciliare* et *reconciliatione;* nunc autem rursus, pro *permutare*, et *permutatione.* Ne de multis aliis iam dicam.

Ceterum nemo, quaeso, procaci fastu, aut moroso fastidio, haec grammatica ac philologica vilipendat: ex his minimis enim constant omnino maxima; et a verbis, prius recte intellectis, facilius certiusque deinde ad res ipsas peruenitur, vt vel ex hoc ipso HIPPO-

CRATIS loco clariſſime patet; nec nucleus bene capitur, multo minis eſtur, niſi diffractis prius corticibus; inde ergo perquam bene et acute alicubi PLATO: οὐκ ἄνευ σμικρῶν, τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὐκεῖσθαι. Sed haec obiter, et vix ex neceſſitate.

His ergo praemiſſis, ac fundamenti quaſi loco, ſubſtratis, nunc tandem ipſam noſtram huius obſcuri hactenus, loci verſionem, ſiue, ſi quis malit, paraphraſin, producere liceat:

Leonidae Filiae Natura menſibus primum eruptura, ſeu, primum menſium impetum factura, auerſa fuit a via ſua conſueta. Sic auerſa, conuerſa eſt ad Nares, ex quibus nempe ſanguinem large effudit. Illud vero ſanguinis profluuium ſubito ſedatum ac repreſſum fuit a Medico quodam, qui imprudens, non intellexit, quid ſcilicet Natura ibi per Nares moliretur. Vnde puella miſere interiit.

Nimirum Medicus iſte, quisquis ille tandem fuerit, nam bene eſt, quod latet, larga forſan et diuturna nimis narium haemorrhagia, ita ſubito perterritus, vt vitae quidem ac ſaluti iſtius puellae, metueret; Naturae, per ipſum HIPPOCRATEM, n) clare loquentis, plane ignarus, imprudenter et infeliciter Remedia ſtyptica et ſtaltica externa adhibuiſſe videtur: vnde perquam credibile eſt, ferocem ſanguinis adeo repente cohibiti ac repreſſi, impetum mox caput ipſum, aut pectus, aut forſan vtrumque ſimul, quam violentiſſime inuaſiſſe, moleque ſua oppleuiſſe; vt inde miſeranda illa puella vel phrenitide, vel apoplexia, vel denique epilepſia, aut ſuffocatione, alioue eiusmodi diro ſymptomate, nam de vero morbi mortisque genere HIPPOCRATES hic plane ſilet, ſubito extingueretur: forſan tamen ad hunc

n) *Aphoriſ.* nempe 33. *Sect.* V. qui ſic habet: Γυναικὶ, τῶν καταμηνίων ἐκλειπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν. Quae CELSVS ita vertebat *Lib.* II. *Cap.* 8. *pag.* 69. *Quae menſtruis non purgatur, ſi ſanguinem ex naribus fudit, omni periculo vacat.* Sed non ſatis bene ad ipſam HIPPOC. mentem, qui nempe generatim dixit, ἀγαθὸν, h. e. ἄλυπον, bene hic exponente GALENO, *Comment.* in h. l. *pag.* 214. *Tom.* IX. non vero ἀκίνδυνον, aut ἄνευ κινδύνου ἅπαντος: quod eſſet ſcil. contra experientiam. Sed raro Hippocratica accurate vertit CELSVS, vt alibi multis exemplis euidentiſſime oſtendam.

hunc ipſum noſtrum locum reſpexerit idem, ſcribendo ita in *Coac. praenot. pag.* 553. τὰ ἐκ ῥινῶν λάβρα βίῃ ἀπολειφθέντα, ἔστιν ὅτε σπασμὸν ἐπικαλεῖται· φλεβοτομίη δὲ λύει: *Fluxiones ex naribus largae, per vim ſuppreſſae, quandoque conuulſionem prouocant: Venae ſectio autem ſoluit:* prout eiusmodi funeſta exempla quam plurima apud TVLPIVM, o) WEDELIVM, p) SCVLTETVM, q) LOSSIVM, r) BONETVM, s) BALLONIVM, t) SENNERTVM, u) SCHVRIGIVM, x) aliosque, paſſim adnotata, proſtant. Hanc autem, quam modo propoſui, veram certamque ipſius HIPPOCRATIS eſſe ſententiam, magna me vtique ſpes tenet, immo maior adhuc fiducia.

Cui igitur ex cunctis his verſionibus, ceu faciliori, euidentiori, et ipſi experientiae medicae conuenientiori, prima veluti palma iure ſit deferenda; ipſi nunc cordati, aequi, rerumque medicarum intelligentes Lectores ſplendide arbitrentur.

Vnum vero hic, ſub finem, idque pauciſſimis, adiicere nobis adhuc liceat: HIPPOCRATEM nempe noſtrum, eo ipſo in loco, hactenus explicato, eleganti iſta Figura rhetorica vſum fuiſſe, quae ab HERMOGENE quidem, LONGINO, ARISTIDE, PLVTARCHO aliisque, vulgo κλίμαξ, aut κλιμακωτὸν, vocatur, ab ARISTOTELE autem, EVSTATHIO, ATHENAEO et aliis, ἐποικοδόμησις: a Latinis vero Rhetoribus, vt CICERONE, AVTORE *Rhet. ad* HERENN. *Lib.* IV. DIOMEDE, QVINTILIANO, *Lib.* IX. *Cap.* 3. *Inſt. Orat.* et aliis, *Gradatio*, ſiue, vt AQVILAE placuit, *Adſcenſus.* Cuius venuſtae figurae quam plurima paſſim occurrunt exempla apud omnes vtriusque linguae Auctores, immo in ipſis *Epiſtolis Paullinis*, praecipue in ea, ad *Romanos*, quae maximam iam partem, diligenter

 colle-

o) *Obſ. med. Lib.* I. *Cap.* 28. *pag.* 57.

p) *Opiolog. Lib.* II. *Sect.* III. *Cap.* 3. *pag.* 146.

q) *Armament. Chirurg. Part.* II. *Obſ.* 97. *pag.* 224.

r) *Obſeruat. medicinal.* XI. *Lib.* IV. *pag.* 348.

s) *Medicin. Septentrional. Tom.* II. *Lib.* IV. *pag.* 37. ſqq.

t) *Conſilior. Medicinal. Lib.* II. *Hiſt.* 4. *pag.* 116. ſqq. *Tom.* II.

u) *Pract. Lib.* IV. *Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 5. *pag.* 524.

x) *Parthenolog. Sect.* II. *Cap.* 3. *pag.* 92. ſqq. et *Cap.* 6. *pag.* 159. ſqq.

collegit VOSSIVS *Lib.* V. *Instit. Orat. Sect.* 8. *pag.* 294. *sqq.* et praesertim, THOMAS GATAKERVS, *Aduersar. Miscell. Lib.* I, *c.* I. *pag.* 171. *sqq.* quibus add. LVCIANVS, in *Hermotim. pag.* 553. *Tom.* I. ARISTIDES, *Sermon. Sacr.* IV. *pag.* 333. *Tom.* I. per IEBB. et ARTEMIDORVS, *Lib.* I. *Oneirocrit. cap.* 37. *pag.* 35. vt plures alios iam taceamus. Res enim vulgo notissima.

Sed ne plura de hac quidem rhetorica κλίμακος, aut *Gradationis* et *Adscensionis* figura, iam commemoremus, id nunc prohibet potissimum alia *Honorum Gradatio*, seu *Adscensus*, ἄλλη τε τιμιωτέρη κλίμαξ, ad quam laudabili nisu gressuque, vt speramus, nunc contendit Candidatus Noster, etc.

EXERCITATIO VNDECIMA.

DE

VINO MODICO HYPOCHONDRIACIS SALVTARI

AD SACRVM LOCVM I TIMOTH. V, 23.

NONNIHIL ILLVSTRANDVM.

Hypochondriaco malo, vulgo sic dicto, affectis, generosum praesertim Vinum, parcius, per intervalla, sumtum, apprime conducere, non neglectis tamen simul ceteris medendi legibus; de eo quidem neminem Medicorum rectius sentientium vel aliquantulum dubitare arbitror, quorum inde testimonia, vbiuis facile obvia, et ab aliis iam diligenter collecta, operosius hic producere nec vacat, nec opus est. Quum enim pertinax illud Malum hypochondriacum infaustam suam originem potissimum debeat ventriculo frigido, soluto, inflato, et ad ingestos cibos promte concoquendos supino nimis atque languido, item intestinis iusto suo aequalique motu peristaltico destitutis, flatibusque distentis, vna cum mesenterio, sordida colluvie oppleto, atque hinc inde obstructo, vnde vicinae quoque partes, veluti hepar atque lien, aliaeque in consensum simul rapiuntur; recte sic censentibus

bus CONRINGIO, WEDELIO, ETTMÜLLERO, HIGHMORO, NEEDHAMIO, HOFFMANNO, et aliis paene innumeris: Inde per ſe iam ſatis liquido pateſcit, eximium nobileque vinum modice et tempeſtiue in vſum vocatum, pro innata ſua diuerſa variaque virtute, cuncta haec mala coniuncta ſenſim leuare, et accedentibus aliis remediis idoneis, tandem expugnare poſſe. Recte ergo ſapienterque, vt ſemper fere ſolet, HIPPOCRATES noſter [a]: Ὅσα τῶν σιτίων ἢ φῦσαν, ἢ καῦμα, ἢ δῆξιν παρέχει, ἢ πλησμονὴν, στρόφον, οἶνος ἐπιπινόμενος ἄκρητος ἀπαλλάσσει τῶν τοιούτων: *Quicunque cibi aut flatum, aut aeſtum, aut morſum, aut repletionem, aut tormen faciunt, a talibus liberat Vinum meracum, inſuper potatum.* Quorſum et potiſſimum ſpectat illud ALEXANDRI TRALLIANI [b]: Οἷς τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ἀσθενὲς, καὶ ψυχρότερον φύσει, ἐπὶ τούτων εὔκαιρός ἐστιν ἡ τοῦ οἴνου ἐπίδοσις, συμμέτρως παραληφθεῖσα: *Quibus os ventriculi imbecillum, et natura frigidius eſt, in his tempeſtiue eſt vini potio, ſi modice aſſumatur.* Quo et denique iſtud pertinet PLINII, [c] *Vino modico nerui iuuantur, ſtomachus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, triſtitia et cura hebetatur, vrina et algor expellitur, ſomnus conciliatur:* quae conſueto PLINII more, maximam quidem partem, tranſumta ſunt, ex DIOSCORIDE [d]: ita enim ille: Οἶνος εὐστόμαχος, ὀρεκτικὸς, θρεπτικὸς, ὑπνοποιὸς, ῥωστικὸς, εὐχροίας παρασκευαστικὸς, κ. τ. λ. Sed plures Vini laudes operoſe hic conſcribere, nec noſtri nunc eſt otii, nec inſtituti: nec Lectores, credo, id a nobis expectabunt, aut deſiderabunt: praeſertim, quum Vino iam per ſe laudabili, nullae vnquam ſuſpenſae hederae defuerint, nulli, inquam, eloquentes laudatores, tam ex veteribus, quam recentioribus, *foecundi enim calices quem non fecere diſertum?* quorum tamen ingentem copiam in ſcenam quaſi hic producere, intempeſtiuae ſane at-

que

a) *Lib. de Affect. pag.* 194. *Tom.* II. *Opp.*

b) *Lib.* I. *cap.* 13. *pag.* 55.

c) *Lib.* XXIII. *Cap.* I. *pag.* 819. *Tom.* III *Opp.* et *Lib.* XIV, *cap.* 5. alibique ſaepius.

d) *Lib. V. Cap.* I. Conf. huc inprimis PLVTARCH. III. *Sympoſ.* 5. *p.* 652, vbi ſequentia notari merentur: τοῖς ἐκλελυμένοις, καὶ τόνου τινος δεομένοις, κατὰ τοὺς ἀρρωστίας στομάχου, ἰατροὶ οἶνον διδόντες βοηθοῦσι. *Reſolutis et robore indigentibus propter ſtomachi infirmitates, Medici Vinum ordinantes, auxilium praeſtant.*

que superuacuae foret industriae. Interea vero rationem nunc liquido patere arbitror, quare *S. Apostulus* PAVLLVS TIMOTHEO suo praeceperit, vt sanitate sic exigente, diaetam hucusque consuetam, mutaret, et relicta aqua, ad modicum Vini generosioris vsum transiret. Hunc enim in modum, monendo, ad ipsum scribit: Μηκέτι ὑδροπότει, ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ, διὰ τὸν στόμαχόν σου, καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας: *Noli amplius aquam bibere; sed vino potius vtere modico, propter stomachum tuum, et crebras infirmitates tuas.* Hic itaque cum ex ipsius morbi descriptione, tum remedii diaetetici praescriptione Paulina, haud obscure colligi posse videtur, vel ipsum TIMOTHEVM molesto illo et eruditis plerumque familiari, morbo hypochondriaco fuisse conflictatum. Quum enim ille corpus suum, quod ab ipsa natura fluxum et imbecillum acceperat, in tenera adhuc aetate, continuis laboribus, vigiliis et itineribus attriuisset, dum iam Ephesum, iam Corinthum peteret, et in Macedonia saepe, in Italia, vbique terrarum, vbique marium, cum praeceptore PAVLLO, appareret, vt IOANNES loquitur CHRYSOSTOMVS, e) deinde Ecclesiae Ephesinae recens plantatae, atque difficillimis illis temporibus, multis magnisque periculis et persecutionibus expositae, ordinandae et regundae, tum admodum iuuenis, praefectus esset, vti fama quidem vulgo tenet, teste EVSEBIO: perquam credibile inde videtur, eum vigilando, laborando, precando, meditando, et arduum hoc suum munus ex omni quidem parte, sancte, pie et circumspecte curando, exiguas corporis vires adhuc residuas, sensim magis fregisse, atque, vt fieri solet, morbum hypochondriacum sibi demum contraxisse, praesertim, quum his accederet victus tenuis ac parcus, et merae aquae, fortassis non semper optimae, potus, vt taceam frequentiora ieiunia, veteri olim ecclesiae consueta: de quibus multa passim BASILIVS MAGNVS, IO. CHRYSOSTOMVS, vterque GREGORIVS, et alii plures. *Continuatio enim litterati laboris*, vt scite vereque ait APVLEIVS, f) *omnem*

gratiam

e) *Homil.* I. *ad populum Antiochen. pag.* 7. *sqq. Tom.* I. *Opp. in Vet. Test.* vbi plura, quae huc spectant, et hoc nostrum Argumentum egregie illustrant.

f) *Apologia*, *pag.* 276. vbi vid. *Not.* ELMENHORSTII, *pag.* 324. et PRICAEI, *pag.* 9.

gratiam corpore deterget, habitudinem tenuat, ſuccum exſorbet, colorem obliterat, vigorem debilitat. Frigidus ergo, laxus languensque TIMOTHEI ſtomachus his dictis ex cauſſis, nec cibi ſatis appetens erat, nec eiusdem tenax; ex quo vitioſo fonte deriuata deinde clades in vniuerſum corpus defluxit. Poſt commemoratam enim primam mali cauſſam, nempe τὸν ϛόμαχον, ſcil. ἀσθενέϛερον καὶ κακόσιτον, ſiue vno verbo, κακοϛομαχίαν, mox PAVLLVS, ceu peiores eiusdem effectus, ſubiungit τὰς πυκνὰς ἀσθενείας, *infirmitates crebras et aſſiduas*, hoc eſt τὰς ἐπαλλήλους ἀῤῥωϛίας, ſiue morbos ſibi inuicem continua quaſi ſerie ſuccedentes, et per totum paene corpus ſeſe ſenſim diffundentes, vt perquam ſignificanter τὰς πυκνὰς ἀσθενείας hic interpretatur IOANNES CHRYSOSTOMVS, g) Quo ipſo viva fere ſpiransque ipſius diri mali hypochondriaci imago nobis ob oculos ponitur. Eſt enim illud re ipſa numeroſum malum, Lerna quaſi malorum, calamitatum Ilias, foecundiſſima variorum morborum parens ac ſeminarium, vti ROLFINCIVS ait, et, vt Medici loqui amant, Morbus complicatus et ex multis aliis quaſi compoſitus: praeſertim, vbi iam inueterauit, et longiores in corpore vitiato moras traxit: Tum enim non ſolum cuncta paene abdominis viſcera occupat, vt ſupra iam monitum; ſed et altiora petens, ipſum thoracem inuadit, ibique anxias ſpirandi difficultates, acerrimas praecordiorum expanſiones, tremulas cordis palpitationes, pleuritides ſpurias, aliasque plures eiusmodi luctuoſas tragoedias concitat. Verum nec intra hos limites ſolos, ſubſiſtit ſemper indomita atrocis illius mali ferocitas: quin potius in cerebrum ſaepe ipſum impetum facit, iſtamque ſublimem nobilemque ſenſuum officinam variis vanis imaginibus, horrendis pauoribus, triſtibusque vmbris et

g) *De Ingluvie et Ebrietate, Homil.* XII. *pag.* 655. *Tom.* VI. *Opp.* in *Vet. Teſtament.* et alibi: praecipue vero *Homil.* XIV. in I *Timoth.* I. *p.* 517. *Tom.* VI. in *Nov. Teſt.* vbi commemorat τὰς πυκνὰς ἀσθενείας, ἀπό τε ϛομάχου, ἀπό τε τῶν ἄλλων μερῶν, quo ipſo ſententia noſtra magis adhuc confirmatur. Conf. huc inprimis HENR. SMETII *Miſcellan. Med. Lib.* XI. *Sect.* 3. *pag.* 604. *ſqq.* et praecipue *pag.* 618. 619. vbi diffuſe et exacte de hac ipſa TIMOTHEI ſobrii ὑδροποσίᾳ, ipſiusque in κακοϛομαχίᾳ, noxa grauiſſima, tractat.

et insomniis opplet ac conturbat, adeo vt miserandi aegroti aliena videant, audiant et loquantur, atque ab imaginoso quasi morbo, aut exsomni Corybantiasino subinde exagitari videantur.

Tam calamitosa igitur Hypochondriacorum est conditio, tam male viuam isti agunt, aut trahunt potius, vitam: nulla lux illis vnquam prospera exoritur, nulla placida ac tranquilla occidit: semper metuunt, diffidunt, trepidant, aestuant, dubitant, desperant, sibi et omnibus aliis oneri sunt atque taedio, et, vt cum poëta loquar, vbique quasi *post equitem atra sedet cura.* In omnibus fere corporis partibus, tam externis, quam internis, aut veri, aut ficti et imaginarii, doloris sensu, sua certe opinione, tanguntur, et semper abunde habent, de quo acerbe conquerantur, adeo, vt vniuersus hic mundus ornatissimus ipsis fere solis vasta horridaque solitudo, inuisus squalidusque Carcer, vel aerumnosum denique ergastulum esse videatur. Conf. huc WEDELII *Exercitat. Medico-philol.* IV. *Decad.* IX. *pag.* 30. Haec ergo symptomata cuncta atrocia sunt forsan istae PAVLLI πυκναὶ ἀσθένειαι, et CHRYSOSTOMI ἐπάλληλοι ἀῤῥωςίαι.

Contra hanc vero numerosam malorum caternam, duplicem nunc medelam TIMOTHEO suo proponit PAVLLVS, ceu duplex Medicus, animae nempe atque corporis, docendo ipsum primo, quid omittendum sit; deinde quid agendum. Primo nimirum loco, prohibet τὴν ὑδροποσίαν, huc vsque scilicet ipsi consuetam: μηκέτι, inquit, ὑδροπότει, *noli amplius aquam bibere.* Quoniam nempe aqua, praesertim aliquanto frigidior, copiosius ingesta, exilem ventriculi laxi frigidique tonum adhuc superstitem, penitus tandem infringit et euertit, exiguam ciborum appetentiam, eosdemque concoquendi facultatem extinguit, ipsum ventriculum iam flatibus distentum, magis grauat, et nouis flatibus auget, hinc τὰ ὑποχόνδρια μετέωρα reddit, καὶ διαβορβορύζοντα, h. e. *eleuata et murmurantia,* vt HIPPOCRATES ait, [h]) sicque malis mala addit: πίπτει γὰρ ὁ ςόμαχος ταῖς συνεχέσιν ὑδροποσίαις, *concidit enim stomachus continuo aquae potu,* vt vere pronunciat

LIBA-

h) *Aph.* 73. *Sect.* IV.

LIBANIVS.*) Quare ex his rationibus, Aqua ſimplex frigida hypochondriacis aut penitus erit interdicenda; aut certe, vbi bibendi cupido fuerit iniecta, dimidia fere vini generoſioris menſura permiſcenda. Ex altera vero parte, TIMOTHEO nunc ſuadet Apoſtolus τὴν οἰνοποσίαν, ex allatis nempe iam ſupra rationibus, his quidem verbis: ἀλλ᾽ οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ; *ſed Vino modico vtere*: hoc eſt: *nimio ſed parcito vino*, vt SERENVS SAMMONICVS [i]) loquitur; verum tibi ab aqua diutius olim conſueta, ad vinum nunc tranſituro initium primo faciendum eſt ab exigua tantum vini quantitate, donec ſenſim ſenſimque natura nouum generoſioris potus genus impune ferre ac ſuſtinere aſſueuerit. E quo ſaluberrimo Conſilio ſumma Apoſtoli prudentia, vt ita dicam, medica luculenter admodum elucet: idem enim dudum ſapientiſſime ſic praeceperat ipſe HIPPOCRATES [k]): καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον· τὸ δὲ κατ᾽ ὀλίγον, ἀσφαλὲς· καὶ ἄλλως, ἤν καί τις ἐξ ἑτέρου ἐφ᾽ ἕτερον μεταβαίνῃ. *Etenim omne multum naturae eſt inimicum: quod vero paullatim fit, tutum eſt: tum alias, tum ſi quis ex altero ad alterum tranſeat:* quo et reſpexit haud dubie CORNELIVS CELSVS, [l]) HIPPOCRATIS quaſi interpres: *Ergo, quum quis mutare aliquid volet, paullatim debet aſſueſcere.* Namque omnis mutatio ſubita nimis et celeri quaſi vertigine, ab vno extremo ad alterum, deuoluta, cum in diaeta, tum in ipſo corpore humano, ſumme pernicioſa eſt, et non ſolum ſanitatem, ſed vitam etiam ipſam ſaepius in atrox diſcrimen adducit: quae vero contra gradatim quaſi et pedetentim, debita cum circumſpectione, inſtituitur, metuendo periculo vacat, et corpori ipſi plerumque ſalutem et ſolatium adferre ſolet; ceu nemini Medicorum, opinor, ignotum.

Yyy 2 Non

*) *Epiſt.* 1578. Edit. B. WOLFII, *pag.* 715. vbi vid. reliqua, huc omnino ſpectantia. Plura in hunc ſenſum, vid. apud. WETSTEN. *Comment.* in hunc ipſum noſtrum locum paulinum, *pag.* 345. *Tom.* II. N. T. Conf. huc inprimis SMETII iam laudati *Miſcell. Med. Lib.* XI. *pag.* 618. *ſq.*

i) de *Medicina*, *Cap.* de *Iſchiad. et Morbo articul.*

k) *Aph.* 51. *Sect.* II.

l) *Lib.* I. *cap.* 3, *pag.* 25. Sed plura hanc in ſententiam dicta ac collecta a nobis vid. in *Diſſertat.* noſtra, *de Tabaci ptarmici abuſu*, *pag.* 25. *ſq.* proxime a fine. Conf. SALLVSTII SALVIANI *Variarum Lectionum de Re medica, Lib.* III. *cap.* XI. *pag* 255. *ſeqq.*

Non solum autem ὀλιγοποσίαν τοῦ οἴνου, seu parciorem vini vsum ab initio, ob dictam iam caussam grauissimam, commendat hic suo TIMOTHEO Apostolus; sed et eandem salutarem regulam ipsi in posterum, per omnem vitam obseruandam praescribit, etiam tum, quum ipsius iam natura per quotidianum vsum, vini aliquanto patientior fuerit reddita, vt nempe parcius semper vtatur vino, licet per stata interualla, quoties exigeret necessitas, paullo frequentius: quem Apostoli sensum acute hic perspexisse videtur IO. CHRYSOSTOMVS, ita scribens m): οὐ μὴν ἀνῆκεν αὐτὸν ἀνέδην ἐμφορεῖσθαι τοῦ οἴνου, ἀλλ' ὅσον πρὸς ὑγείαν, οὐ πρὸς τρυφήν: *Non tamen ipsum Timotheum vino permisit effuse nimis impleri; sed ad sanitatem, non ad delicias, praecepit bibere.* Qua prudenti cautione tanto magis hic opus erat; quanto generosiora ac valentiora vina asiatica, speciatim graeca, plerumque fuisse, constat ex ipso HIPPOCRATE, GALENO, THEOPHRASTO, ATHENAEO, SIMEONE SETHO, PLINIO, CASSIODORO, et aliis *). Quare iustus inde suberat metus, ne per vina ista ob suauissimum suum saporem, et adiecta insuper ex more, condimenta, palato quidem gratiora, feruore vero interno, tanto nocentiora, liberalius hausta, nouus morbus calidior, maiore cum periculo, accenderetur, dum vetus frigidior, extingueretur, sicque ipsum remedium deterius fieret ipso morbo: vt iterum egregie prorsus in hunc nostrum locum commentatur laudatus modo CHYSOSTOMVS, n) Τοσοῦτον κελεύων πίνειν, ὅσον διορθοῦν ἀσθένειαν, ὅσον ὑγείαν παρέχειν τῷ σώματι, ἀλλὰ μὴ νόσον ἑτέραν: *Tantum Vini bibere iubet, quantum valetudinem adiuuet, quantum corpori sanitatem, haud vero alterum morbum ingerat.* TIMOTHEO igitur οἶνον ὀλίγον commendans PAVLLVS, iterum perite scienterque respexit ad ipsas artis salutaris regulas. Sic enim veteres quoque Medici

m) *Homil.* XIV. in I. *Epist. ad* TIMOTH. *cap.* I. *pag.* 517. *Tom.* VI. in *Nov. Test.* vbi plura. add. AMBROS. *Epist.* 82.

*) Conf. huc HIERON. MERCVRIAL. *Var. Lect. Lib.* II. *cap.* 13. et *Lib.* V. *cap.* I. item TVRNEBVM, BACCIVM, SACHSIVM, et alios plures, qui ex instituto, de Vinis, scripserunt: quibus add. SMETII *Miscell. Med. Lib.* XI, 4. *pag.* 620. *seqq.*

n) *Homil.* I. ad *populum Antiochen. pag.* 7. *Tom.* I. *Opp. in Vet. Test.*

Medici omnibus illis aegrotis, quibus ſecundum Artis praecepta, vinum indulgendum erat, pariter οἶνον tantum ὀλίγον permittebant. Ita HIPPOCRATES, o) πινέτω οἶνον ὀλίγον, μὴ πολλὸν, *Bibat aegrotus Vinum modicum, non multum.* Idem alibi p) οἶνος ἀσθενέουσι ξὺν καιρῷ, καὶ μετριότητι προσφερόμενος: *Vinum aegrotis tempeſtiue et modice oblatum:* Pariter in antecedentibus: πίνειν οἶνον ὑδαρέα, λευκὸν, ὀλίγον, *Vinum bibere, aquoſum, album, modicum,* et alio loco, huc imprimis perquam appoſito, apud eundem, de Eudemo, ſplenem vehementer dolente, q) προσετάττετο ὑπὸ τῶν ἰατρῶν, πίνειν οἶνον ὀλίγον, λεπτὸν, *Imperabatur a Medicis, Vinum bibere modicum, tenue.* Quemadmodum etiam ARISTOTELES dixit *Lib. de Somno ac Vigilia, cap.* III. *pag.* 24. δεῖ οἶνον ὑδαρῆ καὶ ὀλίγον πίνειν, *oportet Vinum aquoſum et modicum bibere.* ALEXANDER quoque TRALLIANVS, r) τοῖς δὲ ἔχουσιν ἀσθενέστερον τὸν στόμαχον, καὶ ὀλίγον οἶνον δεῖ παρέχειν, *qui imbecilliorem habent ſtomachum, iis etiam paulum vini propinare conuenit.* Quo et reſpexit ARTEMIDORVS s): οἶνον δὲ πίνειν ὀλίγον, ἀγαθὸν, *vinum bibere modicum, bonum eſt.* Huc quoque appoſite CAELIVS AVRELIA-

o) *Lib. de Intern. Affect. pag.* 208. *Tom.* II. Ibi vero, vt id obiter hic notem, τὸ οἶνον ὀλίγον, μὴ πολλὸν, eſt pleonaſmus, vt notum: de quo poſt VOSSIVM, aliosque, plura STANLEI. ad AESCHYL. *p.* 830. et Cl. ABRESCH noſter, ad eundem, *p.* 405. et ad N. T. item POTTER. ad LYCOPHRON. V. 353. aliique plures: qui tamen hic apud HIPPOCR. maiorem emphaſin et efficaciam inferre omnino videtur.

p) *Lib. de Affect. pag.* 195. *Tom.* II. *opp.* alter vero locus extat. *Lib.* II. *de Morb. p.* 64. ibid. ſed plura id genus loca alia paſſim in iſtis HIPP. Libris, occurrunt. Sic ibidem *Lib. de Intern. Affect. pag.* 224. legitur: Πινέτω τοῦ οἴνου ὀλίγον ἀκρητέστερον, et paucis interiectis, *pag.* 226. οἶνον δὲ πινέτω μέλανα, στρυφνὸν, ὀλίγον *Vinum vero bibat nigrum, acerbum, modicum:* qui locus praeſertim egregie huc facit. Sed plura id genus alia ſtudio iam tacemus.

q) *Epidem Lib.* VII. *pag.* 876. *Tom.* I. Quem ſingularem HIPP. locum dudum produxeramus in *Curis philol. Wolf.* in h. l. *p.* 481. *Tom.* III. qui tamen nouiſſime quoque iterum huc allatus fuit a WETSTENIO, *p.* 346. *Tom.* II. quod caſu potius, quam conſilio, ſic accidiſſe, putarem, niſi paſſim, ex aliis etiam locis, haud paucis, mihi conſtaret, eum tenues obſeruationes noſtras in vſus ſuos convertiſſe. Quod tamen placide potius, quam aegre, ferimus, ob vtilitatem nempe publicam, cui cuncta noſtra qualiacunque vnice dicata ſunt.

r) *Lib.* I. *cap.* 10. *pag.* 27. Conf. GALEN. *de Affect. Ren. pag.* 541. *Tom.* X.

s) *Oneirocrit. Lib.* I. *cap.* 68. *pag.* 56.

NVS [t]) *fi neceffitas coeperit*, (leg. potius *coëgerit*, vt alibi faepe,) *etiam vinum, fed omnino paruum, ad releuandas corporis vires, dandum*: Et rurfus [u]): *Dabimus mediocriter vinum lene, paruum.* Quibus, vt et aliis, locis, paffim hinc inde apud ipfum, occurrentibus, *vinum paruum* idem eft, ac οἶνος ὀλίγος, hic in noftra Epiftola paulina. Accedat his demum alius eiusdem CAELII AVRELIANI locus, propter argumenti fcilicet fimilitudinem [x]): *In nutriendis Viribus, vinum dari conftituit*, prout ibi, ex noftra quidem emendatione, haud dubie legendum videtur: ita enim prorfus PLINIVS, *Lib.* XXIII, *cap.* I. *Vino aluntur vires*, et iterum *Lib.* XIV. *cap.* 5. pulcherrime: *Neque Viribus corporis vtilius aliud, Vino, neque aliud voluptatibus perniciofius, fi modus abfit.* Sed ipfa hic potius loquatur quotidiana experientia. Omitto iam plura id genus alia, paffim apud ipfum obuia. Huc tamen et apprime CORNELIVS CELSVS [y]): *Vinum meracius quidem; fed non ita multum, dari debet*: quod et faepius alibi, prudenter monuit. Sed de his hactenus: ὀ γὰρ πρέπει περὶ οἴνȣ ὀλίγȣ πολυλογεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀλίγον λόγον ποιεῖν, nec vini parcos prodigos effe decet verborum. Si quis vero praeter iam a nobis hic allata, plura hanc in rem collecta cognofcere aueat; is, quaefo, poft HVG. GROTIVM, euoluat praefertim IO. PRICEVM, [z]) IO. IAC. WETSTENIVM, [a]) WOLFIVM noftrum, eheu! defideratiffimum [b]), et alios Interpretes, quibus demum addat DIETERICVM [c]) et praecipue IO. RHODIVM. [d]) Tracta-

t) *Acutor. Morbor. Lib.* I, *cap.* II. *pag.* 34.

u) *Morbor. chronicor. Lib.* I, *cap.* 4. *pag.* 305.

x) *Acutor. Morb. Lib.* I. *cap.* 15. *pag.* 59. vbi tamen vulgo, in omnibus Edit. fic inepte et ridicule prorfus legitur: *In nutriendis virginibus, vinum dari conftituit*: ineptior vero magisque ridicula eft adiecta ibi explicatio: *Forfan meretriculis, quarum procacia mero incenditur.* Sed nec *meretriculis*, nec *virginibus*, locus ibi effe poteft vllus, vt ipfum CAELIVM infpecturis protinus clariffime patebit. Simile vero turpe mendum, vt id obiter hic interponere liceat, foedauit etiam SALLVSTIVM, *cap.* 99. de *Bell. Iugurth* vbi fine vllo fenfu, in omnibus Codd. hodie legitur: *Vectigales, item tubicines fimul omnes figna canere*: pro quo tamen fcribendum omnino, *Vigiles*, vt iam olim obferuauimus, et forte etiam alii dudum viderunt: Libri enim iam non funt ad manum.

y) *Lib.* III, *cap.* 21. *pag.* 166.

z) *Comment. in h. l. pag.* 807. *fq.*

a) *Comment. in h. l. pag.* 346. *Tom.* II.

b) *Cur. philol. Tom.* III. in *Epift. Paul. pag.* 481. in h. l.

c) *In Iatreo Hippocrat. p.* 1012.

d) *Lexic. Scribon. p.* 381. *fq.* vbi plura, quae huc fpectant, lectu digna.

Tractarunt quidem iam alii, ante nos, hoc ipſum noſtrum Argumentum, quos inter potiſſimum eminent HENRICVS SMETIVS e) THOMAS BARTHOLINVS f), GEORG. WOLFGANG. WEDELIVS g), et VALENT. HENR. VOGLERVS h), quibus demum acceſſit BENIAMIN EWALDT i), laudabili quidem conſilio et inſtituto ſibi pares; ingenio autem, eruditione et fortuna, praeſertim, quod ad poſtremum ſpectat, multum inter ſeſe diſpares. Omnes vero diuerſam a nobis, viam ingreſſos eſſe, illico patebit illorum quidem dicta cum hac noſtra Exercitatione, vel obiter tantum conferentibus. SMETIVS enim atque BARTHOLINVS, item, ex parte, WEDELIVS quoque, non tam ipſum TIMOTHEI morbum ſpeciatim attingunt; ſed operam potiſſimum ſuam in eo collocant, vt de indagando vero vocis ὀλίγος, ſenſu, nimis ſoliciti, in genus, naturam et virtutem vini diligentius inquirant, ab Apoſtolo in medelam, TIMOTHEO commendati: Inde igitur parum hic nobis profuerunt viri hi alias praeſtantiſſimi; inprimis, quoniam ſimul plerisque, ex illis, iam fatali quadam neceſſitate, nobis carendum fuit: Laudatus tamen modo VOGLERVS ipſum quoque TIMOTHEI morbum, ſeu κακοςομαχίαν, nonnihil illuſtrare inſtituit, qui inde videatur, ſi libuerit. De poſtremo autem EWALDI labore, aut conatu, ne quid nos ipſi paullo inclementius in illum dixiſſe videamur; ipſi, quaeſo, Lectores candidi, rerumque periti aequum ferant iudicium, vel ex vnico ipſius loco, hic infra, a nobis, ſed intra ſpem impetrandae prius veniae, ſpeciminis veluti gratia, producendo: k)

Verum

e) *Miſcellan. Med. Lib.* XI, 4. *pag.* 620. *ſeqq.* vbi perquam copioſe, ſed et perquam egregie et exacte, de hoc ipſo noſtro loco ſacro tractat.

f) *de Morb. Biblic. Cap.* XXV. *p.* 85. *ſqq.*

g) *Exercitat Medico-philol. Decad.* IX. *Exercitat.* IV. *pag.* 27. *ſqq.*

h) *De Rebus natural. et med. in ſcriptura ſacra, pag.* 364. *ſqq.*

i) *In Scrutinio Med. Timothei Infirmitatum Vino* ὀλίγῳ *curandarum*, Regiomonti, 1706.

k) *Praeſumitur haud vane*, verba ſunt Auctoris, §. X. *pag.* 6. *appetitum Timothei exulem fuiſſe, ructusque ſubinde tonitruantes obortos, vel continuo horrendoque ventris murmure, et veluti arietantium in ſe ſpirituum rugitibus, etiam variato toties per gradus muſicos, ſono, circumſtantium fors auditorum, vel proprias duntaxat aures offendiſſe.* Hactenus Auctor. Mira vero obſeruatio, tonitruans quaſi, et veluti arietantium in ſe ſpirituum rugitibus plena

Verum haec qualiacunque hactenus commentati ſumus, non quantum libuit; ſed quantum potius licuit, ob Librorum meliorum ac potiorum penuriam, inuiſis iam eheu! clauſtris abditorum, medias inter turbas, et calamitates publicas, temporibus hiſce afflictiſſimis, quibus ad cor moeſtum ac deiectum fulciendum et reficiendum, *οἴνῳ οὐκ ὀλίγῳ, ἢ ὀλιγοφόρῳ, ἀλλὰ μᾶλλον πολλῷ καὶ πολυφόρῳ, ἄνευ δὲ μέθης καὶ κραιπάλης*, opus eſſe videtur. Ipſam autem ſcribendi occaſionem opportune nobis praebuit haec ipſa Diſſertatio Inauguralis Medica, de *Malo Hypochondriaco*.

EXERCITATIO DVODECIMA.

DE

MACIE CORPORIS

EX

OBSIDIONE CONTRACTA

AD

QVENDAM GALENI LOCVM A MAGNIS CRITICIS FRVSTRA TENTATVM ILLVSTRANDVM ET VINDICANDVM.

Dira illa duraque obſidio, quam, triennium nunc fere effluxit, non quidem diu, at tanto grauius, perpeſſi ſumus, cuiusque triſtem horridamque memoriam nulla vnquam apud nos delebit aetas; commode nunc me memorem facit loci cuiusdam ſingularis apud GALENVM [a]) occurrentis, in quo inter alias maciei et atrophiae cauſſas, ipſa quoque *obſidio* relata legitur. Qui tamen, quum a Viris quibusdam eruditiſſimis et in maxima quidem fama poſitis, praeter omnem ratio-

plena eloquentia, et ſuauiſona denique Muſica ſcilicet. Sed nec tempus, nec locus hic iocandi. *Iam frons laeta parum, et deiecto lumina vultu: Et nox atra caput triſti circumvolat vmbra,* vt cum poeta ſic eheu! loqui liceat.

a) *Comment.* I. in HIPPOCRAT. *Lib. de Articul. Text.* XXIX. *pag.* 308. *Tom.* XII. *Opp.* per CHARTER.

rationem, aut neceſſitatem, diuerſis modis tentatus, ſiue rectius, vexatus fuerit; noſtra certe opinione, vtique meruiſſe viſus eſt, vt opportuna hac occaſione, nobis hic forte ſubminiſtrata, noſtra qualicunque opera, et liquido illuſtraretur, et potiſſimum ab intempeſtiuis illis emendationibus et infelicibus coniecturis, heu! piget fateri, ſolide vindicaretur.

En vero nunc ipſa GALENI verba, prout hodie quidem, in melioribus Operum Editionibus, leguntur:

Ὅσοι διὰ λιμὸν, ἢ διὰ πολιορκίαν ἢ πένθος, ἢ λύπην, ἢ ἀνορεξίαν, ἐνδεῶς προσφερόμενοι τροφὴν, ἐλεπτύνθησαν, ὀυκ εὐθέως αἱ σάρκες αὐτοῖς γίνονται ξηραί. κ. τ. λ.

Quae ita recte ſciteque latine redduntur:

Quicunque ſeu fame, ſeu obſidione, ſeu luctu, ſeu moerore, ſiue etiam cibi faſtidio, alimenti non ſatis ſumentes, extenuati ſunt; caro non ſtatim ſicceſcit.

Haec igitur, licet tam clara planaque omnino videantur, vt nulla fere explicatione indigeant; tamen, quis non valde miretur? ita obſcura atque vitioſa, ex parte, viſa ſunt MARSILIO CAGNATO, b) Medico cetera doctiſſimo et Critico ſolertiſſimo, vt falſam deprauatamque lectionem illius loci infeliciter arriperet, eamque infelicius adhuc defendendam et commendandam ſerio cenſeret.

Quum enim olim in vulgatis antiquioribus GALENI exemplaribus, aut ſcribentis negligentia, aut imprimentis errore, πολυοργίαν, legeretur; maluit CAGNATVS iſte illam vitioſam lectionem ſecure nimis, ſequi, eamque per *iracundiam*, vertere; quam rectiorem ſanioremque VIDI VIDII interpretationem tutius approbare, qui reddiderat iſtam vocem per *obſidionem*, legendo nempe acute prorſus feliciterque, πολιορκίαν; quae ſcilicet lectio vnice vera et proba, immo vnice neceſſaria eſt, hoc quidem loco, vti mox pluribus, ſolide ſpero, perſpicueque ſatis, docebitur.

Sed

b) *Variar. Obſeruat. Lib.* II. *Cap.* 13. pag. 545. ſqq. in *Lampade*, ſeu *Theſauro Critico* IAN. GRVTERI, *Tom.* III. *Parte Secunda.*

Sed audiamus nunc, si lubet, ipsius rationes, quibus sese potissimum inductum credidit, vt admitteret potius vulgatum, etsi obscurum adhuc et ambiguum, nempe πολυοργίαν, quam rectum et emendatum, πολιορκίαν, vt VIDIO merito videbatur.

Ita igitur, quasi re iamiam transacta, et lite plane decisa, severe pronunciat: *Si sententiam spectemus; nusquam apparet huius mutationis necessitas: Non enim dubitatur, quin aliquis ob iracundiam, exiguo sumto cibo, possit emaciari: Obsidionis autem mentio opportuna non videtur: etenim confundit et perturbat orationem. Nam famem, luctum, dolorem, inappetentiam inedia sequi potest; simili modo et iracundiam. Inediam vero sequitur macies: at obsidionem non sequitur inedia, nisi eam praecedat fames, aut animi aliqua perturbatio, aut quid aliud, quod prohibeat hominem nutriri, seu cibum sumere. Scilicet Obsidio non est eiusdem caussarum ordinis, cuius fames, luctus, moeror, inappetentia, quippe hae propinquiores; illa remotior est; at non est verisimile, vnam hanc ex remotis caussis, cum propinquarum multis confundere Galenum voluisse. Iracundia vero est eiusdem ordinis, cuius sunt aliae ab ipso commemoratae, ideo videtur eius mentio, quam obsidionis, opportunior, si ad verborum, graecique sermonis integritatem animum attendamus.*

Haec quidem ille: quae tamen nollem ita inconsiderate excidisse viro doctissimo; quoniam, si candide fateri liceat, haec omnia nec vllo solido fundamento nituntur, nec apte et concinne inter se cohaerent; quin potius sibi inuicem manifesto vehementerque aduersantur, adeo, vt haec ipsa veri inania commenta referre, ac refellere, propemodum vnum idemque sit. Cur enim, quaeso, vt pauca tantum iam moneam, sola obsidionis mentio, ex Auctoris quidem opinione, hic minus opportuna videatur, et sola confundat ac perturbet orationem; quum tamen fames ac cibi fastidium eandem non confundant? Verum respondet mox CAGNATVS noster: *Obsidio non est eiusdem caussarum ordinis, cuius nempe fames, luctus, moeror, inappetentia.* Sed hoc sane perquam mirum mihi videtur: fames enim et inedia haud magis eiusdem sunt caussarum ordinis, ac moeror, luctus, tristitia et iracundia. Quod si ergo ad eandem hanc classem referri haec commode

mode possint, vt prudenter hic factum videmus ab ipso GALENO; cur, obsecro, sola obsidio, quae eiusdem nempe est generis atque ordinis, ac fames et cibi fastidium, hic temere excludatur? quae tamen, vt eheu! notissimum, et corpus horrida macie consumit, et mentem simul edacibus curis, luctibus, et pauoribus obruit ac deprimit, vt inde miserrimi obsessi duplici quasi flagello crudelissime caedantur. Quare perquam frigidum et paene ridiculum, sit venia dicto, mihi videtur, quando Auctor noster statim subiungit: *Obsidionem non sequitur inedia, nisi eam praecedat fames, aut animi aliqua perturbatio, aut aliud quid, quod hominis nutritionem prohibeat.* Quasi vero non in plerisque obsidionibus, praesertim diuturnioribus, aut praecedat, aut sequatur dira fames, aut certe ciborum fastidium; in omnibus vero perpetua animi perturbatio, moeror, angor, cura ac vigiliae, aliaque plura mala, quae corpus tum male curatum, lenta macie conficiant, viribusque sensim exhauriant. Causas ergo et physicas et ethicas hic scite et apte coniungere voluit GALENVS, quae corpus cum anima arctissime sociatum arida macie limant atque extenuant. Obsidio nimirum, et fida foedaque ipsius comes, fames, cum inedia, aut ciborum nausea, spectant ad corpus; luctus vero, moeror atque anxia cura ad animum, vt nemini non notissimum. Sed de his inferius plura.

Quodsi vero cuncta haec momenta, mea certe opinione, haud leuia, etiam non obstarent; nullo tamen prorsus modo tolerari commode hic posset vox ista GALENI Libris illata, et frustra a CAGNATO defensa, scilicet πολυοϱγία: Tota enim barbara est, et vniuersae Graeciae prorsus ignota. Scribendum vero tum rectius fuisset πολυοϱγησία, vt ad hanc normam formamque, ἀοϱγησία legitur apud ARISTOTELEM, ANDRONICVM RHODIVM et alios, inprimis autem PLVTARCHVM qui integrum περὶ ἀοϱγησίας, Librum conscripsit, ceu notum, item δυσοϱγησία, apud HIPPOCRATEM nostrum, εὐοϱγησία, apud PHILONEM IVDAEVM, BASILIVM M. IOANNEM CHRYSOST. et alios: Πολυοϱγία, vero aut πολυοϱγησία apud nullum probatae notae Auctorem, quantum equidem me-

mini, vſquam occurrit. Quis ergo nunc credat, GALENVM, atticarum elegantiarum callentiſſimum Virum, earumque ſtudioſiſſimum ſectatorem, vt ſaepe ipſe de ſe vere praedicat, praeter vllam neceſſitatem, voce tam horrida et inficeta, atque hinc acerrima omnium Muſarum πολυοςγία aut πολυοςγησία, digna, vt ſic barbare loquar, vnquam vſum fuiſſe? Sed ipſi iam CAGNATO prudenter obiectum fuit, a Viro quodam graece doctiſſimo, πολυςγίαν haud eſſe vocem graecis auribus cognitam et auditam; quem tamen ſcrupulum ipſi mox exemit alius ſuperueniens, illo in graecae linguae notitia ſi non peritior; at certe audacior, qui hic ad conſuetam Graecorum licentiam in componendis alio atque alio modo, Vocabulis, ipſamque Linguae analogiam prouocauit, addendo inſuper, ne quid fuco, aut ſcenae deeſſet, ſeſe apud alios quoque Auctores hanc ipſam vocem controuerſam πολυοςγίαν, quondam legiſſe, licet iam ipſorum locorum haud amplius recordaretur. Sed qui poterat quaeſo, bonus iſte homo illorum locorum recordari, quos, certus ſum, nusquam viderat, nusquam legerat, quoniam in ipſa rerum natura haud extabant? Nihilominus tamen ipſe CAGNATVS vano hoc fumo fucoque fraudulenter inductus et turpiter deluſus, nimis profecto confidenter, etiam ſic recte iudicante REINESIO, ſcripſit: *propterea omnis mendi ſuſpicio in voce πολυοςγία, auferenda videbatur.* Mox tamen, quaſi de Vadis aut Vatis illius fide haud ſatis adhuc certus, rurſus fluctuat, et a ſagaciſſimo MVRETO admonitus, mauult πολυωςίαν, hoc eſt *curam,* legere, quam πολιοςκίαν, admittere, quae vox, neſcio quare, ipſi mirum in modum moleſta et odioſa videtur.

Verum quod ad vocem πολυωςίαν a MVRETO quidem ſubſtitutam, attinet; eam, licet probe graeca ſit, haud tamen hic locum commode inuenire poſſe crediderim, ideo, quoniam ſemper fere non tam curam anxiam et cum moerore et luctu coniunctam; qualem nempe hic GALENI locus proprie requirit, quam potius, curam nobilem ac prouidam, ſiue cuſtodiam cum auxilio, honore, praeſidio, et liberali beneficentia vnitam ſignificat, vt ex AELIANO probat SVIDAS, item EVSTATHIVS, HESYCHIVS cum aliis, luculentius

lentius vero patet ex DIODORO SIC. *Lib.* I. *pag.* 69. et *pag.* 102. *Lib.* XI. *pag.* 469. et *Lib.* XVIII. *pag.* 206. item PLVTARCHO, *Lib. an seni gerenda sit Respubl. pag.* 792. *Tom.* II. et alibi, quibus addas licet BVDAEVM, STEPHANVM et alios. Inde ergo LXX. INTERPRETES τὸ πολυωρεῖν, et πλυωρίαν, frequentius Deo ipsi attribuunt, vt in Psalmis et alibi, videre est, item et apud CLEMENTEM ALEX. *Paedagog.* II. 8. bene obseruante CASAVBONO: c) cui profecto curam humilem, abiectam, vitiosam et cum moerore ac tristitia sociatam adscribere, nefas omnino foret.

Quoniam igitur nec πολυοργία hic locum habere potest, quia nempe omni auctoritate caret, vt modo perspicue demonstratum; vnde et nihil reperire potuit, licet operose quaereret, vt solebat, DAVMIVS, d) quo iuuaret aliquantulum ambiguam CAGNATI sententiam, aut desperatam propemodum causam aliquo modo defenderet: neque porro MVRETI πολυωρία, ob rationem supra datam, curam vllam, aut attentionem hic meretur; hinc vtramque hanc coniecturam, tanquam infelici sub sidere natam, omnino reiiciendam censemus.

Vnus vero adhuc superest THOMAS ille REINESIVS, Vir in hoc amoeno vtilique studiorum genere, sui saeculi, per Germaniam nostram, facile primus, immo paene vnicus, qui, vt erat nempe iudicio acerrimo, ingenioque foecundissimo, duplici modo hunc ipsum GALENI locum emendare adgreditur, sicque tandem pro summa sua, qua tum in docto orbe pollebat, auctoritate, seuere ac confidenter pronuntiat: e) *Vera Lectio est:* πολλὴν ἀγρυπνίαν, *continuae enim et pertinaces Vigiliae non minus extenuant corpus, quam fames et moeror diuturnus. At, quum etiam nimia Venus et frequentior coitus corpora resoluat et extenuet; videndum, an legi possit, quod edito esset propius:* πολλὴν ὀχείαν: HIPPOCRATES *Lib.* II. περὶ Διαίτης· λαγνείη μὲν ἰσχναίνει διὰ κένωσιν.

c) In *Casaubonianis*, a B. WOLFIO heu! quondam nostro, editis, *pag.* 81. Conf. Cel. WESSELING. ad DIODOR. SIC. *Lib.* I. *pag.* 69.

d) *Epist.* XLV. ad REINES. *pag.* 125. sqq.

e) In *Appendice suis et* DAVMII *Epistolis* ἀμοιβαίαις adiecta, *pag.* 342.

κένωσιν. Haec ille ἰατρὸς τε καὶ κριτικὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Equidem ingenue hic fateor, vtramque hanc Viri magni coniecturam ingeniosam vtique esse, verisimilem, locoque huic longe conuenientiorem, ac quidem praecedentes CAGNATII atque MVRETI; praesertim vero priorem, de multis continuisque Vigiliis, quippe quae non leue vtique fulcrum ex isto consimili fere ipsius GALENI f) loco accipere videtur: λῦπαι δὲ, καὶ ἀγωνίαι, καὶ θυμοὶ, καὶ φροντίδες, ἐν οἵῳ τρόπῳ καὶ αἱ πλείους ἀγρυπνίαι, βλάπτουσι, καταλύουσαι τὴν δύναμιν, *Tristitia vero, et anxietates, et ira, et cura, eo genere sunt noxiae, quo frequentes Vigiliae, quod Vires resoluant.* Interim tamen, quod pace tanti Viri manium, dictum sit, neutra istarum emendationum mihi hic necessaria videtur; ob grauissimas, nisi fallor, rationes, iam supra late productas, quoniam nempe ipsam πολιορκίαν, ceu primariam causam, semper presso quasi pede, tanquam tristes effectus, sequuntur λῦπαι, ἀνορεξίαι, καὶ ἀγρυπνίαι, et ex his sensim λεπτυσμὸς, siue ἰσχνότης, *moerores, cibi fastidia, vigiliae, et inde totius corporis macies et cachexia*, vti notissimum.

Quare nunc vehementer miror, ipsum illum REINESIVM, pro mira sua sagacitate et coniectandi felicitate, illico non animaduertisse, vnice in hoc GALENI loco legendum esse πολιορκίαν: quum tamen ipse omne genus bellicarum calamitatum, per infausta sua tempora, expertus esset, nempe ciuium stragem, vrbium vastationes, agrorum depopulationes, aedium incendia, rapinas, propriaeque domus expilationes, fugam, famem, pestilentiam, et sexcenta alia furibundi Martis discrimina, vt passim ipse acerbissime conqueritur: g) vnde haud dubie probe nosset, non pinguescere in obsidionibus miseros incolas inclusos; sed extrema potius macie extenuari. In vrbe enim a feris hostibus arctius obsessa, et ingentibus machinis igniuomis nocte dieque, nulla interiecta mora, quassata, vbi immensa fere ferri igniti pon-

f) *Lib.* XII. *de Methodo Med. Cap.* 5. *pag.* 283. *Opp. Tom.* X. Conf. et eiusdem *Comment.* III. in VI. *Epid.* HIPPOCR. *Text.* 29. *pag.* 461. *Tom.* IX.

g) In *Variis Lectionibus*, et potissimum in *Epistolis* ad HOFMANNVM et ad NESTEROS. Vid. inprimis *Epist.* II. VII. XVI. et XXX. etc. ad HOFMAN.

pondera horrendo cum ſtridore, per apertum aërem rotata voluuntur, quae aedes tremefactas perrumpunt, incendunt, euertunt, disiiciunt; vbi miſerabile vulgus, domibus ſuis male fidis ac nutantibus relictis, cum terrifico vlulatu, per deſertos vicos pauide diſcurrit, omnis conſilii, ſpei, ſalutis vitaeque ipſius incertum, imo et pertaeſum: vbi ſimul iuſtus metus mentem ſollicitam perpetuo exagitat, ne ingens pulueris pyrii moles ſpecu abdita, a vicinis vndique flammis ſubito correpta, horrido fragore explodatur, totamque ſic vrbem imis e ſedibus euerſam in miſerandum buſtum conuertat, hominesque ipſos communi illa ruina inuoluat, vt auulſi laceríque hinc inde artus in ſublime rapti, ſaxis trabibusque intermixti, horrendum viſu! circumuolitent: vbi denique omnia clamore militum, ſtrepitu armorum, mulierum puerorumque ploratu, ſonitu flammae, fragore ruentium tectorum, terrore, tumultu, trepidatione, imo caede, ſanguine et rapinis miſcentur: In tali inquam vrbe, mille calamitatibus oppreſſa, quis obſecro, tum tam ferus eſt ac ferreus, vt apparatiſſimas etiam epulas iucunde et auide appetat, vel attingere tantum cupiat; vel noctu, placidam ac tranquillam quietem, metu nempe omni ſolutus, ſuique plane ſecurus, capere poſſit? Nemini certe, nemini prorſus, tanta tunc mentis eſt conſtantia, niſi forte rectius, tantus ſtupor: Experti eheu! hic loquimur, qui, *quod miſerrimum eſt in bello, ipſi ſaeuam obſidionem paſſi ſumus*, vt EVMENES olim apud LIVIVM h) dolens, merito exclamabat. Eo ipſo enim moeſto funeſtoque truculenti obſidii tempore, omni profecto, omni inquam,

Diſtrictus enſis cui ſuper anxia
Ceruice pendet, non ſiculae dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem;
Non auium Citharaeque cantus
Somnum reducent.

Inde igitur tam turbulento et deſperato rerum ſtatu, ipſa humana corpora curis, vigiliis, pauoribus, inedia, ſitu, ſqualore, et ſexcentis aliis taediis et aerumnis hebetata et attrita, tandem, viribus ſenſim ſpo-

h) *Lib.* XXXVII. *Cap.* 53.

ſpoliata, lenta tabe macieque exareſcant, plane neceſſe eſt. Hinc etiam de omnibus fere Obſidionibus, praeſertim atrocioribus et diuturnioribus, quales potiſſimum ex antiquitate notae ſunt *Numantina*, *Peruſina*, *Praeneſtina*, *Brunduſina*, *Melia*, *Saguntina*, *Athenienſis*, *Petilina*, *Rheginenſis*, *Pylina*, ſeu *Sphacteriana*, *Carthaginienſis*, *Mutinenſis*, *Byzantina*, *Meſſenica*, *Pydnaea*, *Tauromenitana*, *Maſſilienſis*, *Aleſiana*, *Rhodia*, *Calaguritana*, *Azotia*, *Hieroſolymitanae*, aliaeque plures paſſim commemoratae, a POLYBIO, DIODORO SICVLO, DIONE CASSIO, PLVTARCHO, ATHENAEO, STRABONE, DIONYSIO HALICARNASS. IOSEPHO, LIBANIO, LIVIO, aliisque, praeſertim vero APPIANO, obſeruatum fuit, miſerandum prorſus ſpectaculum poſt ſeram tandem deditionem, praebuiſſe ipſos ciues, laruarum, aut infernarum imaginum ad inſtar, macie tetra paene conſumtos,

Hoſtibus ipſis
Pallorem et maciem, et tenues miſerantibus artus,

vt Vaſcones Calaguritanos, ſaeuam obſidionem diutius paſſos graphice deſcribit IVVENALIS. i) Quo et praeſertim ſpectat viua illa ſpiransque Obſidionis Dertonenſis deſcriptio GVNTHERI, ſui ſaeculi Maronis: k)

Quis referat miſerae ſqualorem plebis, et aegro
Tabida membra ſitu, deteſtandumque colorem?
Quum velut e tumulo, permiſſu Regis, ab arce,
Non homo, ſed pallens hominis prodiret imago.
Tunc licuit miſeris, quam ſit miſerabile, longa
Obſidione premi, proprio perpendere caſu.

Sed

i) *Satyra* XV. 100. vbi vid. GRANGAEI et reliquorum Interpp. Notas, apud HENNINIVM. Conf. DAVSQVEI. ad SIL. ITAL. *Lib.* II. *pag.* 89. ſqq.

k) In *Ligurino*, *Lib.* III. 168. ſqq. add. et antecedent. v. 19. ſqq. vbi vid. RITTERSHVSIVS. Imitatur vero hic ipſe GVNTHERVS potiſſimum SILIVM ITALICVM, modo laudatum in ſpirante quaſi deſcriptione horrendae famis ſaguntinae obſidionis, *Lib.* II. 463. ſqq. vbi in *Notis* plura ſimilia opportune adfert citatus modo DAVSQVEIVS, *pag.* 87.

Sed regrediamur, ſi placet, ad antiquiora aliquanto tempora. Ita igitur ARISTOPHANIS *ſcholiaſtes*, l) et ex illo SVIDAS m) de Obſidione Pylina, ſiue Sphacteriana: διὰ τὸ πολλαῖς μὲν ἡμέραις πολιορκεῖσθαι ἐν ἐρήμῳ νήσῳ, καὶ ἀφ᾽ ἧς ȣ̓δὲν τῶν ἐπιτηδείων ἦν λαβεῖν, πολλῷ δὲ μετὰ τὴν ἅλωσιν, συγκεκλεῖσθαι χρόνῳ, δεδεμένȣς ἐν ξύλῳ, ὠχρȣ̀ς τε καὶ ἰσχνȣ̀ς, καὶ δυσειδεῖς γεγονέναι: *Quare neceſſe erat, illos propter obſidionem diuturnam, quam in Inſula deſerta, omniumque rerum ad victum neceſſariarum inopia laborante, ſuſtinuerant, et quod poſt captiuitatem, compedibus et neruis vincti, in carcere diu detenti fuiſſent, pallore et macie confectos fuiſſe, et tetrum ſui ſpectaculum praebuiſſe.* Sic et de Romanis in tumulo quodam congregatis, et a Veientibus ibi arctius incluſis et obſeſſis, vt omnibus Vitae ſubſidiis neceſſariis aegerrime carerent, DIONYSIVS ſcripſit HALICARNASS. *Lib.* XI. *pag.* 571. ἐμάχοντο κεκμηκότες οἱ πλεῖστοι τὰ σώματα λιμῷ τε καὶ δίψει, καὶ ἀγρυπνίᾳ, καὶ τῇ ἄλλῃ κακώσει: *pugnabant, plerique fame, ſiti, inſomnia, aliisque incommodis fracti.* Pariter de Rheginis diuturna obſidione cinctis, ita DIODORVS SICVLVS: n) τȣ̀ς ζῶντας νεκρῶν ἔχοντας διάθεσιν, καὶ παρειμένȣς τὰ σώματα καταλαβὼν ὁ Διονύσιος: *Quos viuos adhuc accepit Dionyſius, mortuorum potius ſimilitudinem referebant, habebantque corpora vigore deſtituta et emaciata:* Quale quid etiam de Athenienſibus diu obſeſſis, retulit APPIANVS: o) Qui et alibi p) ita non ſine legentium horrore, depingit nobis pertinaces trucesque Numantinos: σώματα ἦν ἀκάθαρτα, καὶ τριχῶν, καὶ ὀνύχων, καὶ θριπῶν, καὶ ῥύπȣ μεστά, *Corpora ipſis erant ſordida, et pilis, vnguibus, vermibus ac ſqualore plena,* prout ſcilicet hunc locum probabiliter legendum eſſe, alibi docuimus, q) ſicut et paullo infra, apud eundem r) pro αὐτȣ̀ς ὄντας

l) Ad *Nubes* ipſius, *pag.* 134.

m) *Tom.* I. *pag.* 880. *Edit.* KÜSTERI.

n) *Bibl Hiſt. Lib.* XIV. *Cap.* III. *p.* 726. *Tom.* I. *Edit.* WESSELINGII Conf. *Lib.* XIX. *Cap.* 49 *pag.* 355. *Tom.* II.

o) De *Bellis Mithridaticis*, *pag.* 331. *Tom.* I. *Edit.* ALEX. TOLLII.

p) De *Bellis Hiſpan. pag.* 532. *Tom.* I.

q) In *Obſeruat. Criticis*, *Lib.* IV. *Cap.* 18. *pag.* 416. vbi pro monſtroſo Ὀρύπων, recte forſan legimus Θριπῶν.

r) De *Bellis Annibal. pag.* 552. *Tom.* I. Mendum quidem huius loci bene perſpexerunt

τας ἀπ' ἀγρυπνίας καὶ κόπου, scribendum omnino videtur ἄυους ὄντας, *siccos, aridos et infirmos a vigiliis et laboribus*, quomodo eleganter saepius loquuntur LVCIANVS, AELIANVS, GALENVS, IOSEPHVS, LIBANIVS, HELIODORVS et alii plures; sed de quo alibi plenius et accuratius. Denique huc etiam eximie pertinet sequens THEODORETI locus, s) de Daniele, tribusque ipsius sociis in captiuitatem Babylonicam, aut, quod fere idem, in aulam regiam abductis: αὐτοὺς δὲ ἐκέλευσε ὁ βασιλεὺς τὴν ἐκ τῆς πολιορκίας, καὶ τῆς ὁδοιπορίας ἀποδύσασθαι καχεξίαν, *Iussit Rex, vt macilentum infirmumque corporis habitum ex obsidione et itinere contractum exuerent, siue deponerent.* Verum hic potius ipsum sanctissimum Vatem IEREMIAM, testem scilicet αὐτόπτην grauissimum, audiamus, qui longa pertinacique obsidione pressos a Nabuchodonosore, ciues hierosolymitanos miserrimos, ceu tenues potius et exangues vmbras, quam viuos vigentesque homines, ita describit, seu rectius depingit: t) Ἐπάγη δέρμα αὐτῶν ἐπὶ τὰ ὀστέα αὐτῶν, ἐξηράνθησαν, ἐγενήθησαν ὥσπερ ξύλον: *Arcte adhaesit*

xerunt TOLLIVS et PALMERIVS; sed non bene correxerunt. Ille enim inferendum censet μαλακοὺς; hic vero in *Exercitat. in Auctores Graec. pag.* 162. legendum coniicit κάμνοντας, vel potius ἐκλύτους ὄντας. Verum rectior haud dubie est lectio nostra ἄυους: Sic ἄυος ὑπὸ λιμοῦ, dixit ALCIPHRON, *Ep.* 4. *Lib.* III. et *Ep.* 70. ἄυος ὢν ὑπὸ τῆς τῶν ἀναγκαίων ἐνδείας: quomodo et LVCIANVS saepe, ἄυος ὑπὸ λιμοῦ, ἀγρυπνίας, πόνου, et APPIANVS ipse ἄυος ὑπὸ πολιορκίας: Taceo alia plura. Sed et ita Latini: *Fame siccus*, dixit CATVLLVS et MARTIALIS, *Mulier cibi abstinentia sicca*, PETRONIVS, *ieiuniis aridus*, TERTVLLIANVS in *Apolog.* Quibus vel maxime accedit, frequentissime in Vett. Codd. confundi ἄυος et αὐτὸς, vt apud IOSEPHVM, LVCIANVM, AELIANVM et alios. Vid. GRAEV. ad LVCIAN. *Tom.* II. *pag.* 888. Cl. GRONOV. ad AELIAN. de *Nat. Animal. Lib.* II. *Cap.* 5. *pag.* 992. *Tom.* II HVDSON. ad IOSEPH. *Lib.* VI. de *Bell. Iud. Cap.* 4. *pag.* 348. *Tom.* II. et IS. VOSS. ad MELAE *Lib.* I. *Cap.* 14. *pag.* 383. denique etiam IO. PIERSON. *Verisimil. Lib.* I. *Cap.* 3. *pag.* 37. vbi in ANTONIN. LIBERAL. *Cap.* 24. ἄυην ὑπὸ πολλοῦ καύματος, rectius legit, pro vulgato αὐτὴν, quod et dudum ipsi videramus: alias enim sensus sibi non constat. Sed plura huius frequentis confusionis exempla collegit THOM. GATAKERVS, in *Aduers. Miscell. posthum. Cap.* XIV. *pag.* 554. sqq. et post eum, Auctor ignotus, in *Miscell. Obseruat. Crit. Vol.* V. *Tom.* III. *pag.* 42. sqq. Igitur de hac nostra emendatione vix dubitandum. Sed de his alias, vt dixi.

s) *Serm.* VIII. de *Prouidentia*, *pag.* 286. *Edit. Paris.* cuius et vid. *Quaest.* 21. in IV. *Regg. Libr.*

t) THREN. IV. 8.

adhaesit eorum cutis ossibus eorum, exaruerunt, et facti sunt sicut lignum: et mox in sequentibus: [u]) Τὸ δέρμα ἡμῶν, ὡς κλίβανος ἐπελιώθη, συνεσπάσθησαν ἀπὸ προσώπου καταιγίδων λιμοῦ: *Cutis nobis sicut furnus, nigra et contracta fuit, a facie; seu praesentia violentissimarum famis tempestatum.* [x]) Quibus consona prorsus est ista significantissima PHILONIS IVDAEI descriptio, *Lib. de Execrat. pag.* 723. οἱ πρὸ μικροῦ πίονες, εὔσαρκοί τε, καὶ εὐεξίᾳ μάλιστα θάλλοντες, οὕτως αἰφνίδιον ἐκτακέντες, ῥικνοὶ γεγόνασιν, ἶνες αὐτὸ μόνον, καὶ λεπτὴ δορά. *Qui paulo ante obesi, carnosi, luculentaque habitudine florentes conspecti fuerunt, tam repentina tabe colliquati sunt, rugosi redditi, et vix neruis haerentes atque ossibus, opertique tenui cuticula.* Hoc est vt facundia *Liuiana* elegantius id exprimam: *Effigies, imo vmbrae hominum, fame, frigore, illuuie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque. Lib.* XXI. *Cap.* 40. Conf. FRANCISCI IVNII *Lib.* III. *de pictura Vet. Cap.* 10. *pag.* 272. Sed haec hactenus.

Possem quidem adhuc longe plura exempla et testimonia similia huc larga admodum manu adferre, ex PLVTARCHO, ARISTIDE, POLYAENO, PROCOPIO, NICETA CHONIAT et aliis, inprimis autem ex LIBANIO, [y]) nisi hactenus producta abunde sufficere merito crederem, ad liquido demonstrandum, nullam plane aliam lectionem in GALENO locum commode habere posse, nisi solam illam πολιορκίαν; omnesque inde hariolationes et coniecturas CAGNATI, MVRETI et REINESII, magnorum cetera Virorum, inutiles prorsus esse ac superuacaneas.

u) *Ibidem, Cap.* v. 10.

x) Nempe studio hic retinuimus graecam LXX. INTERPRETVM versionem, quoniam ipsum S. HEBRAEI COD. sensum, hoc certe loco, alias quidem saepius aberrantes, optime expresserunt. Sic צפד עורם bene reddiderunt per ἐπάγη δέρμα αὐτῶν, item יבש per ἐξηράνθησαν: nec male quoque *Cap.* v. 10. נכמרו interpretati sunt per πελιώθη et συνεσπάσθησαν, (forte rectius, συνεσπάσθη) sic ad vtrumque Verbi נכמר significatum, nempe *denigrari* et *contrahi*, respicientes: Nisi forsan ibi rectius fuerit legendum: τὰ δέρματα ἡμῶν ἐπελιώθησαν, συνεσπάσθησαν: In ipso enim *Cod. sacro* est עורנו כלמרו h. e. *pelles nostrae atratae* aut *conuolutae sunt.* Sed haec obiter. Omnium accuratissime autem et elegantissime reddiderunt זלעפות רעב *Zalhaphoth Rahab*, per καταιγίδας λιμοῦ, hoc est, *tempestates famis rapidissimas*, insigni certe cum emphasi. Sed de his nunc satis; sunt enim alterius loci.

y) *Declamat.* XIX. *p.* 509. et passim alibi.

EXERCITATIO DECIMA TERTIA.

DE

PLANTA QVADAM VENENATA

EIVSQVE FVRIOSO EFFECTV

ΛΙΘΟΣΤΡΟΦΩ.

COPIIS ANTONIANIS OLIM EXITIALI

AD

ILLVSTRANDVM QVENDAM APPIANI LOCVM IN PARTHICIS.

Lectu digna magis, quam iucunda illa est singularis Historia, quae luculenter illud miserandum enarrat fatum, quod M. Antonii exercitum dira fame diutius obsessum et oppressum adeo vsque afflixit, vt plurima illius pars foeda et ignaua veluti morte occumberet, quum bellum ille gereret atrox aduersus feroces et inhumanos Parthos. Rem omnem, prout tum acta fuit, stupentibus cunctis videntibus, diserte ita exponit APPIANVS ALEXANDRINVS: a)

Iamque fame tentabatur Exercitus, quod frumentatio impediretur crebris proeliis, et instrumentum pistorium deficeret, relictum ex parte maxima. Iumenta quoque partim perierant; partim occupabantur vehendis aegris et sauciis. Fertur, Choenicem Atticam tritici quinquaginta drachmis tum venisse, et hordeaceos panes repensos pari argenti pondere. Versi deinde ad radices et olera, pauca inueniebant vsitati generis: et quum cogerentur experiri, quae nunquam gustauerant; primum inciderunt in Herbam, ducentem ad mortem, per insaniam. Quisquis enim hanc in cibo sumserat, aliorum negotiorum ignarus, et immemor, vnum agebat; mouebat nempe et vertebat omnem lapidem, putans, se rem valde seriam agere. Ita totus campus repletus

a) Lib. de *Bellis Parth. pag.* 284. *Tom.* I. *Opp.* per ALEX. TOLLIVM. Sed proposita hic tantum studio, Versione Latina. In Edit. autem HENR. STEPHANI graeca, *pag.* 110.

pletus est effodientibus et transmouentibus lapides. Tandem euomendo bilem, moriebantur, quando etiam Vinum, quod solum erat remedio, defecerat.

Sic ergo miserrimi isti milites Antoniani a fame, hoste quidem crudeli, longe crudeliore coacti, Vitae quasi suae precariae prodigi, ad insolita, peregrina, dubia, nociua, quin et mortifera vescenda, duro saeuae necessitatis imperio, compellebantur; qualem quoque male suadam famem, vt poeta significanter ait, quondam, prope Dyrrhachium, tolerare cogebantur ipsae copiae Caesarianae, quum ab acerrima et indefessa aduersariorum Pompeianorum vigilantia, commeatus vnice necessarius et aliquoties iugulo, et cum vitae discrimine, frustra petitus et quaesitus, ipsis interciperetur: quam atrocissimam calamitatem ita quidem describit, imo vero rectius, viuis et spirantibus quasi coloribus, depingit ingentis spiritus vastique ingenii poeta, cuius pharsalica aeternum legentur: b)

Sed patitur saeuam, veluti circumdatus arcta
Obsidione, famem: nondum surgentibus altam
In segetem culmis, cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, et carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, lethumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas:
Quae mollire queunt flamma, quae frangere morsu,
Quaeque per abrasas vtero demittere fauces,
Plurimaque humanis antehac incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.

Sed reuertamur iam potius, si lubet, ad nostrum APPIANVM, et sequentia ipsius verba, ceu notatu perquam digna, potissimum considerCEREMUS, atque paullo diligentius expendamus, quae tamen, vt

 inge-

b) LVCANVS, *Lib.* VI. 108. sqq. Conf. CAESARIS *Lib* III. de *Bell. ciuil.* APPIAN. *Lib.* II. *de Bell. ciuil pag.* 745. et *pag.* 763. *Tom.* II. SVETON. in *Iul. Caes. Cap.* LXVIII. et PLVTARCH. in *eiusdem Vita, pag.* 726 *Tom.* I. *Opp.* Ceterum similem fere rabidae famis, in Obsidione saguntin. descriptionem habes apud SILIVM ITALICVM, *Lib.* II. 463. sqq. vbi vid. omnino DAVSQVEIVM in *Notis, pag.* 87. qui plura ibi collegit tristia eiusmodi omniuorae famis exempla, non sine horrore legenda.

ingenue fateamur, ex PLVTARCHO c) potius, ad verbum penitus, ſunt deſumta, ex ſolito nempe APPIANI more, dum aliena, Auctoribus tamen ipſis haud nominatis, ſaepius in vſum ſuum conuertere conſueuit, ceu notum: En autem iſta ipſa: ἥψαντο τινὸς πόας ἐπὶ θάνατον διὰ μανίας ἀγούσης. Ὁ γὰρ φαγὼν, οὐδὲν ἐμέμνητο τῶν ἄλλων, οὐδὲ ἐγίνωσκεν· Ἓν δὲ εἶχεν ἔργον, κινεῖν καὶ στρέφειν πάντα λίθον, ὥς τι μεγάλης σπουδῆς διαπραττόμενος ἄξιον· ἦν δὲ μεστὸν τὸ πεδίον κεκυφότων χαμάζε, καὶ τοὺς λίθους διορυττόντων καὶ μεθιστάντων. Τέλος δὲ χολὴν ἐμοῦντες, ἔθνησκον· ἐπεὶ καὶ ὅ μόνον ἀντιπαθὲς ἦν, ὁ οἶνος ἀπέλιπε. Hoc eſt, ex noſtra ſubita quidem, at, niſi fallor, aliquanto accuratiore verſione: *Herbam quandam guſtando attigerunt, ad mortem per inſaniam, ducentem. Quisquis enim illam comederat, nihil quidquam aliud recordabatur, aut intelligebat. Id vnum autem negotium agebat ſolum, nempe, vt omnem lapidem moueret et inuerteret, quaſi vero rem valde ſeriam et maxima induſtria dignam, tractaret. Inde ergo omnis campus repletus erat militibus in terram pronis et inclinatis, lapidesque effodientibus ac transferentibus. Tandem autem bilem euomentes, moriebantur: poſtquam etiam vinum, quod ſolum ſcilicet eſſe poterat Remedium huic malo oppoſitum, defecerat.* Hactenus igitur APPIANVS, aut rectius, vt dixi modo, PLVTARCHVS.

Nunc vero et nos omnem hic lapidem moueamus, ſed ſaniore ſenſu, et laetiore, vt quidem ſperamus, euentu, quam factum eſt ab illis ipſis infelicibus militibus Antonianis, miſerando fato peremtis, vt quantum certe in noſtris exiguis viribus repoſitum, venenatam atque manicam iſtam plantam parthicam indagemus, eiusque praeſertim ſtupendum plane effectum λιθοστρόφον nonnihil explicemus. Iuſte autem hic ſtatim dolemus, inter eruditos quidem Medicos ac Philologos, nondum nobis repertum eſſe quenquam, qui hoc quaſi ſaxum voluiſſet, lucidam nobis facem in his tenebris praetuliſſet, atque hunc ipſum ſingularem APPIANI locum data veluti opera, iuſto commentario illuſtraſſet. Qui enim operoſe et copioſe de ipſis Venenis, eo-

rumque

c) In ANTONII *Vita, pag.* 937. *Bibl. Graec. Lib.* IV. *Cap.* 12. *pag.* 396. *Tom.* I. *Opp.* conf. huc FABRICII *Tom.* II.

rumque diuersa natura ac mirandis effectibus, scripserunt, Medici longe clarissimi doctissimique, vt MERCVRIALIS, CARDANVS, PARAEVS, GREVINVS, CAESALPINVS, ARDOYNVS, SCHENCKIVS, PONZETTVS, ZACCHIAS, BACCIVS, SCHARFFIVS, LIBAVIVS, SENNERTVS, KOENIGIVS, IONSTONVS, LINDERVS, aliique plures, ingens quippe eorum est numerus, et nouissime quoque illustris Anglorum Aesculapius, RICHARDVS MEAD, Fautor noster et amicus, dum Deus fataque sinebant, coniunctissimus integerrimusque, hi, inquam, omnes, quantum equidem recordamur, aut loci huius APPIANI plane non meminerunt, aut si etiam illius forte rarius parciusque meminerint, rem tamen istam serio atque ex instituto, haud tractarunt; sed leui potius brachio tantum attigerunt, ac obiter saltim, et veluti in transcursu, subitas quasdam dubiasque adhuc coniecturas in medium attulerunt. Sic igitur nouus ille Veteris illius Campi Elysii quasi fabricator, CASPAR a REIES,[d]) Vir alioqui pertinacis industriae et diffusae lectionis, ita mentem suam de hoc praesenti quidem loco, paucis declarat: *Colligo ergo, Herbam illam, quam* APPIANVS *in exercitu Antonii milites, extrema fame pressos, comedisse ait, Cicutam fuisse, aut Mandragoram.* Sed hoc profecto perquam dubitanter atque titubanter. Neque vero maiore sese veritatis specie commendabit, opinor, altera LINDERI supra modo laudati, coniectura, ita nimirum scribentis: [e]) *Eiusdem forte generis, scilicet Mandragorae, aut Daturae, aut Coriandri, vel Solani manici, seu Belladonnae, vel denique Baccarum Solani cuiusdam, nomine aureorum pomorum, vel Amoris, vulgo venientium, Herba ista fuit, quae in Parthorum regione, ab Antonii exercitu, prae fame, comesta, insaniam, obliuionem et mortem excitabat, vt prodit* PLVTARCHVS. Sed et haec cuncta pariter vage nimis, obscure, atque inconstanter, licet interea haud plane negandum, etiam has inter nominatas modo varias plantas venenatas atque furiosas, latere quoque eam ipsam herbam manicam λιθόσπορον, ab APPIANO indicatam magis, quam descriptam, ex nostra

d) *Quaest.* XLIII. *Elys. iucund. Quaest. Camp. pag.* 515.

e) *Exercitat.* de *Venenis*, *Cap.* VI. *pag.* 122.

noſtra certe opinione, forſan haud prorſus improbabili, de qua mox in ſequentibus plura.

Vnus igitur, quantum mihi quidem conſtat, adhuc ſupereſt Medicus Pariſienſis Celeberrimus, nempe NICOLAVS ANDRY f) ſagax ille Vermium explorator, et pertinax expugnator, qui nouam plane, inauditam et inexpectatam prorſus viam eſt ingreſſus, ad hunc ipſum APPIANI locum commode ſciteque explicandum. Putat nimirum Vir iſte clariſſimus, ex ſucco herbarum noxiarum ſtimulante imperioſa fame, improuide ingeſto, enatos potiſſimum ſubito fuiſſe, tetros atque mordaces vermes, in ipſo illorum miſerorum militum eſurientium cerebro, qui illud vellicando et irritando, inſolitam illam concitauerint inſaniam, per apertos vndique campos vno impetu, veluti ex compacto, diſcurrendi, terram effodiendi, lapides ibi forte repertos eruendi, erutosque tandem operoſe transferendi; donec mors cum vehementiſſimo bilis amarae vomitu, ſubito ſuperveniret, illosque ipſos inſcios veluti, aut praeſcios iam, ſui proximi ſepulchri foſſores, ſub illis ipſis lapidibus, a ſe acerrimo ſtudio, quaſi in ſepulturam, aut monumentum, congeſtis, protinus contumularet. Quod ſi tamen vinum praeſto fuiſſet, tum necari haud dubie atque expelli commode potuiſſe ipſius ſingulari virtute anthelmintica, nouos illos inuiſosque cerebri incolas, ſiue vermes iſtos, modo in capite exortos, eoque ipſo remedio infelices iſtos milites ab interitu feliciter tandem vindicari. Quibus mox ſubnectit Vir ingenioſiſſimus, ſeſe in iſtam veriſimilem de hoc APPIANI loco, ſententiam potiſſimum inductum fuiſſe pari fere exemplo, ſibi a fide digno amico relato, de quodam nempe generoſo Viro e Delphinatu, qui inter epulandum, apud amicum, poſteaquam vix quicquam acetariorum ex ſalubribus inſalubribusque iuxta herbis, raptim collectis, paratorum, deguſtaſſet, de menſa ſurgens, protinus male ſeſe habuerit, atque iam aeger, domum delatus fuerit: donec, triduo vix exacto, furore ſubito

f) Tract. de *Generat. Vermium, in Corpore humano, Cap.* III. *Artic.* I. *pag.* 34. ſqq. In quo Libro nemo forte quaereret hunc ipſum APPIANI locum explicatum, niſi forſan rectius, implicatum.

ſubito exagitatus, in campum pariter procurreret, infixis acriter unguibus terram praepropere effoderet, atque repertos ibi lapides congeſtos in aceruum, aut ſtruem diligenter componeret; ſed imminentis iam fati ſui prorſus immemor, quod ipſum nempe paucis, interiectis diebus, e viuis rapuerit, et moleſto ipſius inanique labori lapides fruſtra eruendi reuoluendique, finem tandem impoſuerit. Tum vero aperto ipſius poſt obitum, cadauere, repertum fuiſſe in capite praeſertim, vermem quendam inſolitum, erucae non nihil ſimilem, qui in aquam tepidam coniectus, per biduum vixerit; inſtillatis vero in iſtam tribus quatuorue Vini guttis, protinus exanimatus fuerit. Vnde ergo liquido pateat ratio, ex Cl. nempe Auctoris praeſumta opinione, cur ex Vini defectu, adeo miſere perierint deplorandi iſti milites Antoniani, quoniam nempe iſti Vermes in cerebro concepti, nullo alio modo, aut remedio, niſi per ſolum Vinum, necari potuerint. Hactenus quidem Vir iſte Celeberrimus. An vero hic ἀνδρῶδές τι fecerit Cl. ANDRY, vt ſic loquar, hoc eſt aliquid Viro Medico gravi, ſolerti et rationali dignum? de eo equidem, placide mihi ignoſcant ipſius manes, vehementer dubito. Nemini enim Lectorum, nemini, inquam, credibile, ſat ſcio, multo minus probabile, videbitur, ſumma etiam vi ipſi ſanae rationi admota, tot millibus militum, vno eodemque temporis puncto, vermes eiusmodi grandes atque adultos in cerebro tam ſubito enaſci potuiſſe, qui miſerrimos iſtos protinus ſaeuis quaſi furiis atque furoribus exagitarent, vt veluti lymphatici, in ſpatioſos campos excurrerent, et lapides incaſſum eruerent ac prouoluerent. Quin potius inde certiſſime ſum perſuaſus, omnes iſtos mecum, inſolitam et inexpectatam prorſus Cl. Viri de ſubnatis in cerebro, vermibus, opinionem, magis eſſe admiraturos, quam quidem calculo ſuo adiecto, adprobaturos. Praeſertim, quum variae inſuper inde quoque emergant quaeſtiones, ſatis profecto arduae et ſolutu difficillimae: Scilicet, quomodo ex ſolo herbae venenatae ſucco, vermis perfectus et omnibus ſuis membris organisque concinne inſtructus, tam ſubito generari potuerit? quum ſecundum illam vnice veram, et a MALPIGHIO, GREWIO, SWAM-

MERDAMIO, LEEVWENHOECKIO, VALLISNERIO, DERHAMO, aliisque pluribus, magnis Viris, inprimis vero REAVMVRIO, amico heu! quondam noſtro; quin et ab ipſo noſtro ANDRY, dudum receptam et ſolide defenſam ſententiam, vermis quilibet, etiamſi minimus, et viſu alias vix comprehenſibilis, per ipſam rerum naturam, vermem ſemper ſui ſimilem progenerare debeat, neque vnquam caſu fortuito, aut ex ſordida putredine, ſine maximo profecto miraculo, oriri poſſit. Porro, qua occulta et incognita prorſus via, vermis iſte in ventriculo prius conceptus, tam ſubito cerebrum ipſum petere potuerit, et cur non potius in iſto ſuo loco natali ſpatioſo alimentario remanſerit, ibique ſedem quaſi commodiorem fixerit? ac quomodo denique nouus ille et ingratus moleſtusque cerebri hoſpes, per vinum potu exhibitum, ibi necari, et qua demum via mortuus, aut putridus, ſalua tamen ipſius hominis vita ac ſanitate, inde commode educi potuerit? Quae ſane dubia cuncta, omiſſis iam breuitatis ſtudio, aliis, iſtis vtique haud leuioribus, me certe iudice, ita omnino comparata videntur, vt qua ratione, ſolida, certa, et ex omni quidem parte ſatisfactura reſponſio ad eadem, a quoquam reperiri et ſuggeri commode poſſit, pro mea ſcilicet ingenii mediocritate, nullus profecto perſpiciam. Praeſertim, quum contra ipſam illam Vermium in Cerebro ipſo, generationem, praeſentiam et exiſtentiam, olim nimis facile ac feſtinanter creditam ac deſcriptam, tot magna, grauiaque dubia, poſt ipſum perſpicaciſſimum VALLISNERIVM, maxima cum ratione, in medium attulerit venerandus ille annis, meritis ac Virtutibus ſenex, ill. nempe MORGAGNVS, in opere illo nouo praeſtantiſſimo, *de Sedibus et cauſſis Morborum, Tom.* I. *Lib.* I. *Epiſt. anat. med.* I. *pag.* 7. *ſqq.* Ecquid vero tum obſeruo, dicturus fuiſſet hic ipſe Vir incomparabilis, ſi quidem huius ipſius portentoſae et incredibilis plane ἑλμινθογονείας, in tot millibus militum, vno veluti temporis puncto, protinus obortae, commode meminiſſet? Forſan, credo, riſum vix continuiſſet grauiſſimus ille ſenex. Neque porro, vt pergam, Cl. ANDRY quidquam iuuat altera illa de nobili iſto equite ex Delphinatu oriundo, Hiſtoria, illuſtrationis quidem et confirmatio-

mationis gratia, huc ob ipso allata; sed auditu potius alieno, quam visu proprio percepta et explorata: quam quippe eaedem, imo adhuc maiores et grauiores difficultates premunt, quae dubiam nempe atque improbabilem prorsus iamiam reddiderant duram illam atque coactam APPIANI explicationem. Nimirum neminem quidem repertum iri confido, qui mente sana sobriaque concipere facile possit, quomodo a picridibus siue intubis noxiis forte, aut venenatis, intra breuissimum scilicet triduum, tam subito istius miselli equitis cerebro ingenerari potuerit eiusmodi vermis fatalis et formidabilis, erucae mordaci perquam similis; aut per quos demum caecos, angustos atque abstrusos cuniculos, idem ille, in ventriculo prius conceptus, aut exclusus, in cerebrum ipsum tam cito erepere ibique tantos motus fluctusque insanos ciere potuerit? Lepidum quoque, praeterea, imo rectius loquendo, ridiculum et propemodum absonum est, praesertim illud, vermem istum terribilem tribus tantum quatuorue Vini guttis, magna adiectae aquae tepidae copia dilutis atque disiectis, necari protinus potuisse. Sed omnis ista de Vino allata concludendi ratio est minus profecto apposita et cohaerens, aut vrgens; quin potius mera principii petitio, vt in scholis quidem loquuntur: Scilicet ideo pereundem fuisse infelicibus illis Militibus Antonianis, quoniam nempe vinum tum defecisset, quod solum interficere potuisset vermes illos in istorum quidem cerebro conceptos. Hoc enim omnino adhuc erat in quaestione, et in lite quasi nondum decisa; seu τὸ ἀμφισβητούμενον ἀντὶ ὁμολογουμένου, h. e. *controuersum adhuc pro confesso et concesso*, vt est apud GELLIVM, *Lib.* XVII. *Cap.* 5. Praesertim, quum aduersus omnis generis venena, tam plantarum, quam animalium, solis exceptis fossilibus, aut metallis pestiferis, Vinum vna cum Aceto, succo Citri, et omnibus acidis, sit generatim praestantissimum et praesentissimum remedium, vno ore clamantibus ac fatentibus, THEOPHRASTO, NICANDRO, GALENO, PLINIO, CORNELIO CELSO, SCRIBONIO LARGO, MACROBIO, ATHENAEO, et inprimis DIOSCORIDE g) atque

g) *Lib.* V. *Cap.* II. *Lib.* IV. *Cap.* 79. et *Alexipharm. Cap.* XI. *pag.* 406.

PLVTARCHO, h) aliisque, quos laudat MERCVRIALIS i) qui et cum innumeris aliis recentioribus, eandem merito tuetur sententiam, et ipsa sana ratione, et fida quoque experientia diuturna, vberrime confirmatam. Igitur nihil quidquam plane hic de Vermibus cogitandum, inprimis, quum ipse APPIANVS aperte et liquido meminerit πόας, ἐπὶ θάνατον, διὰ μανίας, ἀγούσης, siue *plantae, per subitam insaniam, ad mortem ducentis.* Sed quomodo, quaeso, illa ad mortem ducebat? an per vermes? minime, sed potius, obseruante ipso APPIANO et PLVTARCHO, δι' ἐμέτου χολῆς, siue *per vehementem et continuum Bilis vomitum, aut lethalem Choleram.* Quod sane maximo et manifestissimo est indicio, plantae huius funestae virus, more nempe omnium aliorum venenorum, ore assumtorum, pestiferas suas vires vellicando, rodendo atque inflammando, primum praesertim exeruisse aduersus ipsum ventriculum eiusque vicinas partes, duodenum nempe, hepar, atque reliquas, quod scilicet ille fatalis bilis corruptae vomitus liquidissime confirmat; deinde vero virosam istam anathymiasin per neruos mutuo contactu sibi amice respondentes, ad ipsum cerebrum adscendisse, mentem quasi ipsam sauciasse, atque illam male sanam variis vanis ac turbulentis imaginibus impleuisse; praesertim vero ipsi acre illud et flagrans desiderium lapides latentes eruendi et circumuoluendi, simul iniecisse. Sic ergo nulli vermes physici in horum miserorum cerebro latuerunt; licet interea non negem, ethicos atque fatuos, aut fatuorum, ingenti copia tum ibi adfuisse. Frustra igitur omnino, vt tandem finiam, Cl. ANDRY in hoc quidem loco, quaesiuit potius vermes, quam re ipsa inuenit; et si forsan quoque inuenerit, ipse potius ex sua tantum notissima hypothesi, de Vermibus, in omnibus paene morbis, inueniendis, istos secum attulit. Sed longe facilius omnino est, alienam coniecturam incertam refellere, quam quidem certiorem ac meliorem ex suo ingenio

nio

h) *Lib.* de *Garrulitate*, *pag.* 509. *Tom.* II. *Opp.* et *Symposiac. Lib* III. *Quaest.* V. *pag.* 653. conf. MACROB. *Lib.* VII. *Saturnal. Cap.* 6. *pag.* 511. vbi pro more solito, PLVTARCHVM ipsum exscripsit, sed male intellexit, bene quoque obseruante MERCVRIALI, loc. cit.

i) *Lib.* III. *Var. Lect. Cap.* 4. *pag.* 58. sqq. conf. eiusdem *Lib.* de *Venenis*, passim: praesertim *pag.* 51. et *pag.* 99. sqq.

nio proferre: ipſis praeſertim hic ſilentibus Auctoribus noſtris, PLVTARCHO nempe atque APPIANO, et generatim potius herbam venenatam indicantibus, quam ſpeciatim nominantibus. Ferocem vero inprimis Parthiam mortiferarum plantarum fuiſſe feracem, STRABO, THEOPHRASTVS, PLINIVS aliique teſtantur, accedente quoque et ſuccinente poeta:

Parthica quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit.

Inde et barbaram illam Parthorum gentem tela ſua Venenis armaſſe et vt SILIVS ITALICVS eleganter ait, infamaſſe, conſtat e LVCANO: k)

Spicula nec ſolo ſpargunt fidentia ferro,
Stridula ſed multo ſaturantur tela veneno:
Vulnera parua nocent, fatumque in ſanguine ſummo eſt.

In quo expreſſit Magiſtrum ſuum VIRGILIVM, l) imo, vt ingenue fatear, feliciſſime ſuperauit. Notum vero inter haec, praeſertim eſt

Bbbb 3 Aco-

k) *Pharſal. Lib.* VIII. 303 *ſqq.* vbi vid. OVDENDORP in *Not.* conf. inprimis DAVSQVEI. ad *Sil. Ital. Lib.* XV. *pag.* 681. HVG. GROTII, *Lib.* III. de *Iure Belli et Pac. Cap.* 4, 16. *pag.* 512. et CAEL. RHOD. *Antiq. Lect.* XII. 42. *p.* 644. ſqq.

l) *Lib.* XII. *Aeneid.* 857. vbi vid. SERVIVS, inprimis *de la* CERDA, in vaſto *Commentario* quem, et vid. ad II. *Georg. pag.* 325. Ceterum autem fere vereor, ne ipſum LVCANVM hic certo tantum reſpectu, ipſi VIRGILIO praeferendo, iterum iniuſtam cl. IVSTI iram ſim prouocaturus, qui me nuper, in ſpecim. *Obſ.* 15. *Crit. pag.* 77. ideo *furiis ipſis agitatum fuiſſe*, blande et modeſte pronunciavit, quod ſcil. in meis obſeruat. *Crit.* ipſum LVCANVM, ob ſublimen ſpiritum, foecundum ingenium, et eximias praeſertim vtiliſſimasque ſententias ethicas et politicas, vbique frequentes apud ipſum, *poetam ſummum* vocaſſem. Quid igitur? Ita ne vero GROTIVS, RVTGERSIVS, LIPSIVS, TVRNEB. HEINS. BARTH. MARESIVS, PALMER. PATIN. maxime BRIOSIVS, quin et ipſa REGINA CHRISTINA; immo, ipſe PAPIN. STAT. MARTIAL. QVINTILIAN. et alii plures, alibi iam a me laudati, furiis quoque agitati fuerint, qui pariter LVCANVM *optimum ſummumque* imo *diuinum poetam* vocarunt? Cum tantis autem Auctoribus ita *ſapienter furere*, ſumma potius eſt gloria, quam ignominia. Duplicem vero ad inſtar nempe Iani bifrontis, mihi habere faciem videor apud cl. cenſorem. In eodem enim docto Libello, me plus ſemel appellat *omnigenae eruditionis promum condum*: quod tamen nimium; vnde merito erubeſco. Hic vero, mutata ſubito ſcena, ipſi *furiis agitatus* dicor, quod rurſus nimium: Sed placide hic

Aconitum Parthicum, quo Phraates deteſtabili facinore, Patrem ſuum Orodem aquae intercutis morbo laborantem interimere auſus eſt, quanquam tum, contra impium degeneris illius filii votum, mira naturae obluctantis virtute, diro iſto veneficio in beneficium atque ſalutem potius conuerſo, ceu pluribus refert ipſe noſter APPIANVS, m) praeeunte nempe ipſo PLVTARCHO, n) quem iterum more ſolito, penitus exſcripſit.

Ecquis igitur nunc ex tam vaſta et ſpatioſa feralium ac furialium plantarum ſilua, a magno noſtro SENNERTO, o) IONSTONO, p) ZACCHIA, q) SCHENCKIO, r) aliisque, diligenter collecta et explicata, illam nunc praecipue herbam decerpere quaſi, et certiſſime monſtrare confidenter audeat, quae quondam copiis Antonianis fuerit exitioſa? meris ergo hic potius coniecturis timide eſt agendum; quam certi quicquam temere ſtatuendum. Ideo etiam iam ſupra laudati Auctores, REIES nempe et LINDER, recte dubitanter tantum hic propoſuerunt Cicutam, Mandragoram, ſolanum furioſum, ſeu Belladonnam, alterius Solani, Lycoperſici alias dicti, aurea, ſiue amoris, poma, atque denique Daturam, vel Stramonium. Ex quibus tamen omnibus, quaedam tantum ex aliqua parte, huc conueniunt, quaedam ex magna, nullae vero ex omni, niſi ſola forte excepta illa Datura, alieni tori alienaeque crumenae doloſis inſidiatoribus tam grata atque familiari planta: de cuius miranda natura, ſtupendisque plane effectibus in mente humana turbanda variique atque peregrini generis deli-

hic rideo, nec ira excandeſco. quin potius hunc ſubitum ingenii iuuenilis aeſtum ipſi candide condono, gratiasque inſuper ago pro tam blanda et paterna quaſi caſtigatione, licet illam vllo modo promeruiſſe, aegre adhuc agnoſcam. Sed haec obiter, et data hic opportune occaſione, dicta a me ſunto; qui ceterum ex animo faueo egregiis ſtudiis et naſcenti inde ſenſim famae iuuenis illius doctiſſimi et laude digniſſimi.

m) In *Parthicis*, *pag.* 262. *Tom.* I.

n) In M. CRASSI *Vita*, *pag.* 565. *Opp. Tom.* I.

o) *Pract. Med. Lib.* VI. *Part.* 7. a *pag.* 286. vſque ad *pag.* 321.

p) *Syntag. Med. Pract. Lib.* VI. *Tit.* II. *Cap.* 2. *pag.* 1097. ſqq.

q) *Quaeſt. Med. Legal.* XII. *Lib.* II. *pag.* 188. *Tom.* I.

r) *Obſeruat. Med. Lib.* VII. *pag.* 797. ſqq. add. inprimis huc KOENIGII *Regn. Vegetab. quadripart. pag.* 107. ſqq. *p.* 868. et paſſim.

deliriis portentosis ac prodigiosis inducendis, perquam multi Auctores tam veteres, quam recentiores, et inter ipsos B. quoque HEVCHERVS noster, [s]) quem honoris, amoris et piae memoriae caussa, hic nomino, diligentissime tractarunt; quorum nomina ac sententias quum nuper admodum alibi, maiore opere, [t]) magna copia, studiose iam produxerim, nolo nunc actum denuo agere, atque ibi modo dicta, fastidiose hic repetere. Hanc igitur Daturam, aut certe parem ipsi nocendi et infatuandi viribus, plantam, illam ipsam fuisse herbam, quae tantam olim stragem ediderit inter misere peritura Antonii agmina; ego interim hic modeste coniicio, non autem arroganter pronuntio, nec pertinaciter propugno: Inductus praesertim in hanc ipsam sententiam, aut coniecturam, isto quidem pari fere exemplo perquam memorabili, ab Ill. quondam *Lib. Bar.* VALVASORE [u]) fideliter relato, et ex vernacula ipsius lingua, in latinam hic a me accurate translato: *Ann.* 1685. *in Arce Freyhoffensi, Domestici quidam, errore forsan, cum lente coxerant Daturam ibi sua sponte crescentem; unde factum, vt omnes ex illa incautius comesta, miro diroque furoris genere subito corriperentur. Quidam enim operose Ligna congerebat, eaque congesta mox in latrinam deportabat: Alter binas secures sibi inuicem imponebat, Ligna quasi fissurus: Tertius Ligna funebat, tanquam perterebraturus: Vnus denique, admoto mordicus ore, ad instar porci, rostro humum effossuri, terram ipsam eruebat.* Vt reliqua iam taceam deliramenta varia, fusius ibi a VALVASORE relata. Hi igitur omnes pari fere modo, solum circa ligna congerenda, findenda atque terebranda, occupati erant in furore suo; quemadmodum milites isti Antoniani in suo delirio, soli occupati erant in lapidibus ex agro eruendis atque prouoluendis. Par igitur fere vtriusque furoris species, et idem paene effectus; sed dispar tantum nonnihil materia, aut obiectum furoris:

s) In *Novo Prouentu Horti Medici Acad Witemberg. Tom.* II. *Opp. pag.* 970. sqq.

t) *Thesaur. pharmaceut. vniuersal. Part.* I. *Cap.* 4. *pag.* 170. *Regni Vegetab.* vbi et *pag.* 71. de *Mandragora*, *pag.* 97. de *Belladonna*, *pag.* 105. de ipsa dira, aut diua *Cicuta*, vt hodie quidam volunt, et *pag.* 140. de *Solano*, diligenter a nobis tractatum fuit.

u) In magno splendidoque opere, sub honorifico Titulo, euulgato: *Die Ehre des Herzogthums Crain*, *Tom.* III. *pag.* 152. sqq.

furoris: quod tamen parum certe hic refert, fiue lapides nempe fuerint, fiue ligna. Sed eadem forte, aut fimili certe, herba virofa et furiofa paftus olim fuerit a Chryfame Theffala, Hecates facerdote et Venefica fimul infigni, Taurus ifte votiuus, qui inde in furorem actus, mox in aduerfa Erythraeorum caftra caeco impetu delatus, tandem ab illis captus, ceu grata Diis victima, mactatus, et inter milites diuifus ac manducatus, uniuerfum ftatim exercitum fimili prorfus infania infecit et contaminauit, vt omnes exilirent, faltarent, et relictis temere cuftodiis, in apertos vndique campos excurrerent. Vnde illis, imminentis fati fui ignaris, crudeliter interfectis, ipfe Cnopus, hoftis, vafro hoc ftrategemate, magna et florentiffima Erythraeorum vrbe facillime potitus eft, mirandam hanc hiftoriam fufius elegantiusque enarrante POLYAENO x).

Verum plura hic poffem adhuc, quin etiam vellem, adiicere, hoc ipfum argumentum vberius illuftratura: nifi dura neceffitate imperante, his ipfis lapidibus diutius hactenus motis, Lapis Terminus nunc effet demum ponendus. Vnum tamen mihi adhuc obiter hic monere liceat pauciffimis: Nimirum, notiffimum illud Graecorum et Latinorum prouerbium, *πάντα λίθον κινεῖν*, *omnem Lapidem mouere*, de ftudio acerrimo, vulgo adhiberi folitum, non tam fuam originem debere huic ipfi trifti hiftoriae, vt nempe quibufdam doctis haud fatis accurate vifum; quam potius ad antiquiora longe tempora, fcilicet ipfius infelicis expeditionis, a vefano quondam Xerxe, plagofo illo furdi maris Orbilio, vt ita cum poëta loquar, contra Graeciam fufceptae, effe referendum, bene docentibus DIDYMO, y) MICHAELE APOSTOLIO, z) aliisque veteribus paroemiographis, item SVIDA et HESYCHIO, quos recte quoque fequutus ipfe ERASMVS ROTERODAMVS. a) Sed de his hactenus.

x) *Lib.* VIII. *Strategemat. pag.* 619. *Edit. Cafaub.* Conf. ABR. BERKELII *Not.* ad STEPH. BYZANT. de *Vrbib. pag.* 354.

y) *Collect. prouerb.* per ALDVM, *pag.* 140.

z) *Paroem. Graec. Cent.* XV. *Prov.* 65. *pag.* 199. ex *Edit. Petr.* PANTINI.

a) *Adag.* 30. *Cent.* IV. *Chil.* IV. *pag.* 163.